

INSTITUTIONES

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

NOVI FOEDERIS

AUCTORE

R. P. CLARO VASCOTTI



ROMÆ

TYPIS CLEMENTIS PUCCINELLI

MDCCCLI.


25+
1 II
9

INSTITUTIONES

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

INSTITUTIONES

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

NOVI FŒDERIS

AD USUM SCHOLARUM SERAPHICI ORDINIS

AUCTORE

R. P. CLARO VASCOTTI

MIN. OBS. REFORM. PROVINCIAE CARNIOLAE LECTORE EMERITO
ET EJUSDEM HISTORIAE ECCLESIASTICAE,
ET JURIS CANONICI PROFESSORE



ROMAE
TYPIS CLEMENTIS PUCCINELLI
MDCCCLI.

Ad usum Fr. Dominici a Ragusio

VENANTIO . DOMO . COELANO

PHILOSOPHIÆ . ET . THEOLOGIÆ . DOCTORI

IAMDIV.PRÆFECTO.FRANCISCALI.M.O.REFORM.PROVINCIÆ.BRVTTIORVM

ITEM . QVE . PROCVRATORI . SVMMO . REFORM . FAMILIÆ

SODALI . HONORARIO . IN . PLERA . QVE . LITTERATORVM . COLLEGIA

OB . DOCTRINAM . ET . ELOQVENTIAM . COOPTATO

CONSILIARIO . REBVS . EPISCOPORVM . ET . REGVLARIVM . COGNOSCENDIS

QVO . AVCTORE . ET . ORDINIS . VNIVERSI . ANTISTITE

STATVTIS . PRO . SACRIS . EXPEDITIONIBVS . CONVENTIBVS

SACRA . QVÆ . QVE . STVDIA . COLLEGIIS . VBI . QVE . INSTITVTIS

IN . SPEM . VETERIS . RESTITVTA . SVNT

SACRVM . ESTO . HISTOR. ECCLESIASTICÆ . INSTITVTION . OPVS

QVOD . EO . AVSPICE . ET . PATRONO

CONCINNATVM . TYPIS . QVE . EST . EXCVSVM

Reverendissime Pater

Si Tuo inscriptae Nomini in lucem prodeunt, quas ad Castagnavitiae habui de *Historia Ecclesiastica Institutiones,* vitio mihi et arrogantiae ne vertas, Reverendissime Pater, quasi Patronum longe praestantem quaerere velim, aut saltem Tuo fausto sub omine varios cupiam tegere, quibus undique scatent, defectus; etsi enim id exigerent ingenii mei tenuitas, materiae varietas et difficultas, nunquam tamen mentem meam subiit cogitatio isthaec. Id potius coepi consilii, ut non solum filialem Tibi exhiberem observantiam Provinciae meae, quae si ex politicis vicissitudinibus, et temporum inclementia, quavis cum Praedecessoribus Tuis consuetudine invito animo abstinere debuit, nunquam tamen debitae obedientiae officia Patris et Legiferi nostri sanctissimi successoribus denegavit, et Nomen ad astra usque attollit Imperatoris Francisci Josephi ob Libertatis jura, Ecclesiae et Religiosis Familiis restituta, verum etiam universis sodalibus exterisque pateant, quae rependere gestio, grati animi sensa.

Quae dum libenter exequor, non referam tamen doctrinam, prudentiam, caeterasque dotes, per quas a primaevis usque religiosae vitae annis in Seraphici Ordinis spem, coruscare coepisti; nec memorabo dexteritatem in publicis negotiis obeundis, qua sive Aprutianae S. Bernardini Provinciae Ministrum, sive Reformatae Familiae Procuratorem ageres, domi, forisque laudum praeconiis commendabaris: nam et delati Tibi Literariorum Conventuum honores, et opus theologico-polemico-morale cl. Georgii Hay (*) ex anglica in italicam linguam mirabili styli amoenitate et verborum delectu redditum, et illustratum, et totius denique Ordinis clavum Tibi concreditum testes sunt amplissimi, nec fucato indigent eloquentiae lumine.

Nequeo tamen silentio praeterire, quae vix ad Ordinis Universi fastigium assumptus incredibili prorsus celeritate et labore improbo, datis epistolis vere aureis, contulisti tum ad regularis disciplinae incrementum, tum ad studiorum et Provinciarum restituendum candorem, tum denique in solamen animarum, quae sive in Italia, sive inter barbarorum degant plagas, flagrantissimum tuum zelum aeque exposcunt. Per Te in consilium accitis ex Ordine universo sapientissimis viris, Philosophiae et Theologiae studia non satis pro saeculi necessitatibus exculta, et alicubi in paucis Conventibus dispersa, statutis legibus, habitaque ad Alumnorum capacitatem ratione, in Col-

(*) *Il Cristiano Sincero*, *Roma* 1844.

legia primi et secundi ordinis sunt erecta: per Te Sacrae Eloquentiae Studium a Reverendissimo Patre Josepho Maria ab Alexandria Abellinensium nunc Episcopo, Te Ordinis Secretario Generali, institutum, et non omnimodis curis ubique prosequutum, ad apicem pervenit: denique ex iis, quae diu noctuque insudando, despectisque humanis rationibus decrevisti, pergrandem sibi utilitatem spondent Ordo et Ecclesia, si labores Tui ab illis potissimum adjumentum nanciscantur, qui Provinciis praesunt et studiis.

Haec et alia permulta sapientiae et dexteritatis specimina, quae tum in generali omnium Ordinum Moderatorum Consessu coram Sanctissimo habito prae ceteris patefecisti, tum in vindicandis Religionis nostrae juribus, tum in institutione unius Conventus in qualibet Provincia pro sacris parandis expeditionibus, tum etiam pro erectione novae Cathedrae *Juris Canonici*, et *Historiae Ecclesiasticae*, sat superque essent, ut has qualescumque *Institutiones* Tibi concrederem. Ceterum quot Tibi non devincior, iisque non communibus officiis, ut in hanc non descendam sententiam? Tuo non suffultae favore, proculdubio, ut, fato nefasto, evenire solet altissimae paupertatis voto adstrictis, vel cum auctore evanuissent, vel ad summum tandiu inter alicujus Bibliothecae pluteos delituissent, donec a pulvere et tineis corrumperentur. Si porro publici fiunt juris, et animo meo novi adduntur stimuli ad sacra quaeque studia impensius arripienda, laus Tibi et gloria cedenda, qui de hisce *Institutio-*

nibus certior factus, nedum ad Te deferre jussisti, sed studiosae Juventuti seraphicae proponendas statuisti. Quin ergo meae, potius, ut vides, Tuae sunt *Institutiones* istae. Cum porro suum uuicuique reddendum sit, quae Tua sunt, Reverendissime Pater, benigne excipias, etiam atque etiam rogo.

Hac fraetus spe auspicem consolationum mihi spondeo, quam a Te humiliter efflagito, Seraphicam Benedictionem; Tuisque obsequuturus nutibus esse glorior

Paternitatis Tuae Reverendissimae

Castagnavitiae prope Goritiam 20 Maji 1851.

Addictissimus filius et subditus
P. CLARUS VASCOTTI FRANCISCANUS.

PRAEFATIO

Suscepto, Superiorum jussu, munere erudiendi juventutem theologicas disciplinas, cum pleraeque Historiae sacrae elucubrationes vel propter materiae copiam, vel ordinis defectum scholae haud accomodatae mihi viderentur, etsi multis curis distractus, in usum meorum auditorum has Historiae Ecclesiasticae Institutiones compilavi. Non laudem, sed tyronum utilitatem quaesivi. Ingenue fateor, eas multis scatere mendis; ast vitio mihi vertet nemo, qui animadverterit opera hominum esse imperfecta. Si aliquid ex calamo affluxisset, quod doctrinae a S. Matre Ecclesia ad credendum propositae adversaretur, illud reprobo et condemno.

INTRODUCTIO

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM

NOVI TESTAMENTI

§. 1. *Historiae ecclesiasticae notio et divisio.*

Historia ingenio humano excolendo aptissima duplici sub respectu considerari potest, nimirum tanquam *cognitionis fons*, et ceu *cognitio positiva.* Sensu priori est complexus phoenomenorum, ac mutationum in spatio et tempore apparentium. Sensu posteriori est cognitio eorum, quae vere existunt, ac contingunt in spatio et in tempore. Possumus indubie rerum praeteritarum sufficientem cognitionem adipisci, dummodo nobis sincere communiceutur vel tradantur. — Status rerum omnium, quae sub sole sunt, nullo non tempore fluere, dum res ipsae perdurant, quotidiana experientia docet. Existentia igitur rei juxta continuam mutationum seriem, est *illius historia;* et cognitio rei secundum successiva mutationum momenta *historiae cognitio est.* Est igitur historia in genere cognitio, vel exhibitio rei secundum successiva temporis momenta, habita varietatis mutationum, earumque nexus causalis ratione (*a*).

Pro diversitate rerum, quarum mutationes nostrae cognitioni patent, historia dividitur in *naturalem, civilem, literariam* etc. — Pondus autem et pretium historiae pendet a dignitate objecti. Hominem esse excellentissimum historiae objectum, demonstratione haud opus est. Ex hominibus coaluerunt *Civitas* et *Ecclesia.* Ecclesia est hominum societas a Christo instituta eum in finem, ut vera ac divina illius Religio pura et integra conservetur, vegetiorque in dies red-

(*a*) Theodorus Katerkamp. Hist. Relig. p. 10.

datur. — Evoluta sic Ecclesiae Christianae notione, jam facile patet, historiam ecclesiasticam complecti historiam Religionis aeque, ac Ecclesiae Christianae. Est itaque *historia ecclesiastica, relatio fide digna originis, progressus, et factorum maxime memorandorum Religionis, et Ecclesiae Christianae.* Haec, si omnes res memorabiles in Ecclesia Christiana ab ejus exordio ad nostram usque aetatem recenset, *universalis;* si rerum gestarum partem tantum attingat, *particularis;* si unum alterumve factum insigne exponat, *singularis* dicitur.

§. 2. *Historiae ecclesiasticae utilitas.*

Si juxta Ciceronem (a) historia omnis sit *testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis;* quanto magis hoc debet esse historia Religionis, et Ecclesiae Christianae. Certe nobis nulla facilior via patet ad cognoscendum, veram esse Religionem Christianam, quam historia ecclesiastica N. T. — In ea enim, tamquam in speculo, mirabilem conspicimus Religionis nostrae originem, conservationem, et propagationem, sicque lucidissima detegimus divinae sapientiae, ac providentiae documenta. Historia ecclesiastica culturam intellectualem et moralem promovet, improbae superstitionis originem exhibet, fanatismi mala ob oculos ponit, denique dum describit, quid ab ineunte nostrae Ecclesiae aetate revera creditum, quidve gestum fuerit, ex juvenibus seneciones nos reddit grandaevos octodecim saeculorum.

Maxime autem in Theologo formando, adjuvando, et ornando historiae ecclesiasticae praestantia spectatur, utpote quae singulas Theologiae partes mirifice illustrat. Illa quippe librorum sacrorum numerum, authentiam et theopneustiam solidissime confirmat, historiam canonis evolvit, versionum originem et fata narrat, regulas hermeneuticas illustrat, mentem antiquissimorum Patrum aperit; docet, quae dogmata Christus tradiderit, quomodo Ecclesia in eorum possessionem venerit, integra conservaverit atque defenderit; errores et haereticorum figmenta detegit, in patrologiam magnopere influit; narrat qua ratione omni tempore morum praecepta proposita et observata fuerint; exponit, qua vigilantia, prudentia et sollicitudine, quibusve adminiculis Pastores animarum curam exercuerint, veram Religionem et virtutem hominum animis instillaverint, morum disciplinam reformarint, et haereticorum conversioni adlaboraverint; do-

(a) L. 2. de Oratore c. 9.

nique explicat veram Ecclesiae christianae indolem, mutuum ipsam inter et civitatem habitum, legislationis ecclesiasticae subjecta et objecta, regiminis ecclesiastici formam, canonum occasiones, genuinum eorum sensum, conciliorum mentem et scopum.

§. 3. *Fontes historiae ecclesiasticae.*

Ut ex studio historiae ecclesiasticae eos, quos praedicabam fructus capiamus, requiritur, ut relationes historicae verae sint, et nos de illarum veritate certi simus. Veritas et certitudo nostrae cognitionis historicae nititur testimoniis auctorum fide dignorum. — Sunt autem testes, seu *fontes primi ordinis*, qui ex nullo anteriori notitiam facti hauserunt, *secundi ordinis*, seu *testes subsidiarii*, qui anterioribus narrationem suam debent; et *tertii ordinis*, qui relationi testium secundi ordinis innituntur. Fontes, spectata origine, in *divinos* et *humanos*, et ratione formae in *scriptos* et *non scriptos* dividuntur. Praeterea fontes humani alii sunt *publici* et alii *privati*. Ad classem monumentorum publicorum scriptorum, seu fontium pertinent: 1. Acta Conciliorum et colloquiorum publica auctoritate institutorum; 2. Decreta Pontificum, et Episcoporum; 3. Libri symbolici, liturgici, et epistolae communicatoriae; 4. Diplomata, actaque imperantium civilium Religionem et Ecclesiam spectantia; 5. Acta judicialia, et protocolla de causis, negotiis et juribus ecclesiasticis; 6. Matriculae, acta martyrum, et apologiae nomine communitatis scriptae; 7. Privilegia et Concordata inter statum et Ecclesiam inita. — Ad fontes publicos non scriptos referri possunt: statuae, columnae, arae, numismata, arcus triumphales, pyramides, picturae, aedificia, mausolaea, dies festi, consuetudines etc. — Fontium privatorum nomine veniunt omnia ea monumenta, quae a privatis originem traxere, possuntque esse vel scripta, uti: testamenta, codicilli, pia legata, fundationes, contractus, epistolae illustrium virorum, elucubrationes dogmaticae, polemicae etc., vel non scripta, ut: aedificia, mausolaea, sigilla familiarum particularium etc.

§. 4. *Praecipuae testium dotes.*

Praecipuae testium dotes sunt *scientia* seu *dexteritas*, et *sinceritas* seu *veracitas*. Scientiam rei gestae iis inesse statuendum est, qui 1. rem sciverunt necessario, quales sunt vel rei gestae auctores, vel consiliorum participes, interdum etiam ii, qui eidem fuerunt, praesentes; 2. qui ab

his narrationem suam vel mutuarunt, vel loco et tempore rei cognoscendae peropportuno vixerunt, si nempe res ex sua indole debet esse pervulgata et nota; 3. apparet etiam, rem vere dixisse eos, qui dixerint necessario, uti pnblicorum monnmentorum et scripturarum auctores, nec non qui scripserint de re plane illustri et palam gesta. — Snpremus fidei historicae gradus tribuendus est testibus, qui rem et necessario scire, et necessario verum dicere debnernnt. Secundus debetur illis, qui rem quidem necessario sciverunt, sed ad verum dicendum nec adacti, nec impediti fuere, quales sunt rei gestae auctores et testes oculati. Tertius demnm iis concedendus, qui rem scire et verum dicere necessario non debuerunt, ejus tamen agnoscendae facultatem, verumque dicendi volnntatem babuisse constat, aut saltem nullum in oppositum adest argumentum, eos verum dicere nolnisse. Tales sunt testes ab anditu, aut historici, qui opportnno viventes loco ac tempore, verum cognoscere potuerunt, noc ulla laborarunt fraudis suspicione.

§. 5. *Testium dexteritas aestimatur.*

Itaque publicorum monumentorum scriptornm maxima fides est, comparate ad materiam principem: quae vero principi materiae sunt extranea, accessoria, accidentalia, severae crisi snnt subjicienda. — Quoad monnmenta publica non scripta attinet curandum potissimum, ut rite definiatnr, an monumentum sit spurium, supposititium, adulteratnm, an genuinum et intemeratnm. — Etiam monumentis privatis, sive scriptis, sive non scriptis praestanda fides est, eo quod fuerunt anctores eorum, vel principes actores, vel testes oculati, dnmmodo de eorum veracitate constat. Cavendum tamen, ne horum documentorum auctoritas ad accessoria qnaeqne, nec non adjuncta, v. g. causas, fines, probationes etc. extendatur. Quod de fide et auctoritate fontinm diximus, etiam accomodata sunt historicis subsidiariis, dummodo compertum sit, eosdem diligenter, et sincere fontibns usos fuisse; nam auctoritas fontis hocce casn in testem snbsidiarium recidit. — Si autem testis snbsidiarius e privatis monumentis narrationem suam hausit, horum auctoritate et fide necesse est nitatur assensus, quem narrationi illius praebemus. Quod si tamen non ea fontibus praedictis notitiam suam hauserit, sed aliunde, tantnm, dispiciendum est, utrum ex *narratione aliorum*, aut ex *communi fama*, vel etiam *incerto rumore* eam deprompserit. Priori casu ejusmodi testis haud est repndiandus, dummodo oxiopistia scriptorum unde hausit, indubia sit, et probe constet,

testem subsidiarium narrationem fideliter transcripsisse. Casu posteriori testi subsidiario tum primum assensus praebendus, cum exploratum fuerit, eum esse facto coaevum, remque narrare ita illustrem, et palam gestam, ut ab illo facile ignorari non potuerit. Si vero res narrata sit occulta, et narrationi quaepiam simul accessoria et accidentalia admisceantur, relatio crisi acerrimae subjicienda est, cum teste experientia, magis, quam par sit, rumoribus dari, ideoque incerta, vel etiam falsa immisceri soleant.

§. 6. *Aestimatur eorum sinceritas.*

Ad fidem faciendam praeterea necessarium est, ut constet de testium sinceritate, seu verum dicendi voluntate. Plura sunt judicia, ex quibus sinceritas testis cum aliqua saltem veri specie dijudicari potest, et quidem: 1. *Dicendi genus*, quo scriptor utitur. Qui stylo simplici utitur, in laudando aeque ac vituperando nulli exagerationi indulget, rem cum circumstantiis narrat, certum ab incerto segregat, fontesque indicat, certe animum praesefert a partium studio alienum; 2. *Religio, secta,* aut *societas* cui testis est addictus. Nullibi enim frequentius, quam in rebus ad religionem, sectam, et societatem pertinentibus, partium studia fervent, potissimum cum testes de causis, finibus, bonitate et vitiositate actionum pronuntiant. Attamen domesticus testis in regula praeferendus est extraneo. Interim non repudiandus vel ideo testis, quod res alterius religionis, aut familiae referat, cum non omnes in alienis rebus delineandis necessario mendaces sint; imo vix falsi suspicione unquam adspergenda sunt, quae de adversa familia cum laude memorantur, nisi forte scriptor vel gloriam, vel utilitatem tamquam proemium expectet., Maxime vero ii testes audiendi sunt, qui adversariis id vitio vertunt, quod laudandum erat; 3. *Patria testis, et natio* apud quam degit. Cum enim amor patriae nobis ingenitus sit, atque etiam in laudibus habeatur, aegre sibi temperabit scriptor, quin de gente sua laudabilia tantum referat, imo exageret, vitia vero silentio premat, minuat aut palliet. Habent etiam nationes propriam plerumque in scribendo faciem, pro indole ac diversitate educationis, institutorum, principiorum status politici, legum civilium, quae quidem in narratione rei parum, plurimum certe in judicio de actionum causis, finibus, honestate et vitiositate se prodit. De regula tamen scriptores domestici praeferendi sunt. Horum tamen fidem superant extranei, si tempore sint priores, si rem potuerint, et debuerint necessario nosse, et gravis adsit suspicio, domesticos variis fuisse causis

impeditos, quominus sincere scriberent; 4. *Tempus*, quo testis scripsit. Coaevus quidem in rebus apertis est posteriori praeferendus; ast in rebus occultis, et iis, ubi metus hominum potentium, aut adulatio, aut cupiditas, aut aemulatio intervenire potest, testes posteriores aequalibus sunt praeferendi, dummodo fontes limpidi, ex quibus hauserunt, haud ignorentur, eorumque judicium acre, et crisis adcuratior sufficienter pateant; 5. *Ipsa rei natura*, non quidem utrum per se fieri potuerit, sed utrum sub his adjunctis, hoc tempore, loco et auctore contingere potuerit; 6. *Antecedentia et consequentia*. Cum enim nil eveniat sine ratione sufficienti, omnisque effectus debeat habere causam, magna oritur suspicio de facti veritate, cujus omnino nulla causa detegi potest; 7. *Rationes chronologicae*, quibuscum si conciliari nequeat narratio, sine dubio falsa erit; 8. *Consensus scriptorum aut dissensus*. Si plures scriptores coaevi, et necessariis dotibus instructi, in re aperta consentiant, tum ea fit ita certa, ut nec unius alteriusve coaevi, haud iisdem dotibus praediti, et multo minus posteriorum contradictis obesse possit. Maxime cavendum est, ne ex dissensu testium, quoad adjuncta, finem, causam vel moralitatem actionis perperam concludamus, ipsam facti substantiam esse confictam; 9. *Silentium denique antiquorum*, seu *argumentum negativum*. Nam historicus diligens, verique studiosus non tantum curare tenetur, ne veritati contraria referat, sed etiam ne vera et memorabilia silentio premat. Hinc si scriptor aevi recentioris rem gestam narret, quam antiquus vel aequalis ex toto reticet, silentium hoc narrationis veritatem non infringit, nisi vel res ipsa fuerit clandestina parvique momenti, vel testi antiquo occasio defuerit et causa eam commemorandi, vel gravis eam omittendi fuerit ratio, vel socordia quaedam vitio verti possit.

§. 7. *Auxilia historica.*

Quemadmodum quaelibet scientia indiget auxiliis, ita etiam historia ecclesiastica. Sunt autem auxilia historiae ecclesiasticae sequentia: 1. *Notio linguarum*, potissimum graecae et latinae; 2. *Chronologia sacra*; 3. *Geographia* praesertim ecclesiastica; 4. *Diplomatia*, seu ars scripturam veterum diplomatum vel documentorum explicandi, veram eorum aetatem e characteribus scripturae, aliisque attributis adjudicandi, et ipsa diplomata, uti par est, adplicandi; 5. *Ars critica* seu scientia regularum, secundum quas monumentorum historicorum authenticitas et integritas examinari et dijudicari debet. Monumentum *authenticum* seu *genuinum* erit, si et auctori et aetati,

cui adscribitur, sit proprium, secus *spurium*, seu *supposititium*. Scriptum, si nihil additum vel demptum eidem est, *integrum*, si aliquae additiones factae sunt, *interpolatum*, si aliquid demptum vel erasum, *mutilatum* dicitur. Libri supposititii, absolute loquendo, plane nulla est auctoritas; nihilominus tanquam inutilis non est rejiciendus, dummodo constat: 1. suppositionis tempus; 2. suppositionis modus. Multum enim interest scire, utrum opus spurium suppositum fuerit ex *errore*, an ex *proposito*. Casu priori, dum bona fide adscribitur auctori, cujus non est, vel aetati, cui non convenit, ab omni usu non est removendus, etsi authentico auctoritate cedat. Casu posteriori attendi debet suppositionis motivum. Liber eo fine suppositus ut a mentito alterius nomine dici possit, quod proprio non licuit, omni prorsus auctoritate non caret.

§. 8. *Regulae criticae.*

Regulae criticae pro judicanda fontium authenticitate et integritate sunt sequentes: 1. Si in fonte memorantur personae, controversiae, haereses, facta, auctoris aetate recentiora, evidens est illum esse supposititium aut interpolatum, nisi forte gravis subsit ratio suspicandi, nonnulla continuatoris posterioris manu fuisse addita; 2. Spurius etiam, vel interpolatus censetur Apostolis, vel viris apostolicis tributus, in quo deprehenduntur aniles fabulae, nugae, ineptiae, fatuae narrationes, eorundem gravitati et characteri minime convenientes: 3. Grave oritur praejudicium contra libri authentiam, si stylus sit diversus in eodem scribendi genere, vel etiam sit alienus ab aevo scriptoris. 4. Si in libro reperiantur sententiae, et dogmata contraria iis, quae auctor alibi in partibus indubitatis tradit, suppositionis adest signum. Interdum tamen mutantur auctoris placita. Exemplum habetur in retractationibus S. Augustini.

§. 9. *Dotes historiae pragmaticae.*

Ut Historia sit fructuosa debet rerum causas, occasiones, consilia et fines agentium, eventuum mutuum nexum et sequelas explicare, gesta in usum nostrum convertere, justis observationibus munire, experientiae defectum supplere, et prudentiam docere. Talis historia merito *pragmatica* vocabitur. Ad pragmatismum historiae ecclesiasticae in primis requiritur, ut cogitandi agendique rationes virorum Ecclesiae illustrium rite explorentur, et principia interna inquirantur, ad

quae non singuli tantum homines, sed integrae nationes, suas quolibet aevo cogitationes moresque composuerunt. Neque hic praetereundum, operas quas historiae ecclesiasticae consecramus, uti omnia studia nostra, ad finem sublimiorem religionis et moralitatis in primis comparandos, in omni eventu sive prospero, sive adverso, totaque eventuum serie clarissima divinae providentiae documenta observanda, seduloque attendendum esse saluberrimis dispositionibus divinitus factis ad mentes hominum illuminandas, errores praecavendos, vel extirpandos, morum corruptelam cohibendam et novos in dies Religioni triumphos parandos.

§. 10. *Ordo temporum et rerum observandus.*

Ordo alius est temporis, alius rei gestae. Totum tempus, quod a Christo nato ad nos elapsum est, juxta usitatiorem methodum, in quinque periodos distribuimus. Prima harum a Christo nato ad Constantinum Magnum, seu ab anno aerae vulgaris primo usque ad annum tercentesimum sextum (1-306) producitur. Secunda tempus a Costantino M. ad Carolum M. seu ab anno 306-800 complectitur. Tertia a Carolo M. ad Gregorium VII, seu ab anno 800-1073 procurrit. Quarta a Gregorio VII. usque ad Lutherum, seu ab anno 1073-1520 pertingit. Quinta denique a Luthero ad nostra usque tempora, seu ab anno 1520-1844 se exporrigit. Quoad rem gestam attinet, ex ingenti multitudine, magnis et memorabilibus selectis, facta singula ad suum genus, certamve classem curate referimus, dicturi: 1. De fundatione et propagatione Ecclesiae et Religionis Christianae; 2. De fatis adversis, seu de persecutionibus Ecclesiae et Religionis Christianae; 3. De gubernatione et hierarchia ecclesiastica; 4. De scriptoribus ecclesiasticis; 5. De doctrina Catholicorum; 6. De haeresibus et schismatibus; 7. De ritibus et moribus Christianorum, nec non de disciplina Ecclesiae. Haec temporis et rerum partitio usibus saltem scholae accomodatior esse videtur.

§. 11. *Scriptores historiae ecclesiasticae primis tribus saeculis.*

Inter Scriptores rerum christianarum, principem sibi locum vindicant Apostoli et discipuli Jesu Christi, auctores librorum divinorum Novi Foederis, qui vitam divini Magistri, res ab Apostolis gestas maxime Petro et Paulo, et statum Ecclesiae Apostolicae ad vivum delinearunt. Post hos per annos prope tercentos vestigia dumtaxat quaedam, et fragmenta historiae ecclesiasticae occurrunt in epistolis Patrum Apostolicorum, et in apologiis virorum pietate et eruditione cele-

berrimorum. Saeculo secundo Hegesippus quinque libros historiae a passione Domini ad suam usque aetatem graeco sermone composuit; ast praeter fragmenta quaedam ab Eusebio nobis reservata, perierunt. Accedunt Judaeorum scripta, uti Philonis, Josephi Flavii, et gentilium, v. g., Plinii secundi, Taciti, Svetonii, quae historiae sacrae multum adferunt lucis, atque Christianorum narrationes quandoque confirmant.

§. 12. *Scriptores graeci a saeculo IV. ad VII. usque.*

Dimidio fere saeculi quarti Eusebius Caesareae in Palestina Episcopus, ob singularem cum Pamphilo martyre amicitiam cognomen Pamphili sortitus, historiam christianam ab Ecclesiae incunabulis ad Constantini Magni monarchiam, h. e. ad annum 324. libris decem complexus est, historiae ecclesiasticae Pater merito appellatus. Historiae huic veluti supplementa addidit quatuor libros de vita Constantini M. Eidem porro debentur Chronicon, et liber de Martyribus Palaestinae.

Medio saeculo V. Socrates Constantinopolitanus Scholasticus dictus, historiam Eusebii ab initio regiminis Constantini M. usque ad Theodosii junioris consulatum, seu ab anno 306-439 septem libris deduxit.

Eodem fere tempore Hermias Sozomenus, causidicus, novem libros historiae ecclesiasticae ab anno 323-439 conscripsit.

Hos sequutus est Theodoretus, Cyri in Syria Episcopus, qui libros quinque H. E. ab exordio haeresis Arianae usque ad Theodori Mopsuesteni mortem, seu ab anno 322-427. vulgavit, et omissa a Socrate et Sozomeno supplevit.

Circa idem tempus floruit Gelasius Cyzicenus, qui scripsit historiam de actis Nicaenae Synodi, tribus libris comprehensam.

Saeculo V. Philistorgius, natione Cappadox, secta Ennomianus, historiam ab origine haeresis arianae usque ad annum 425 duodecim libris contexuit, ac epitomen tantum ejus operis a Photio confecta ad nos pervenit.

Saeculo VI. Theodorus Ecclesiae Costantinopolitanae Lector historiam Socratis continuavit, eamque ad principatum Justini Senioris, seu annum 518. deduxit. Ex duobus libris, quos conscripsit, solummodo fragmenta a Nicephoro Calixto saec. XIV. collecta supersunt.

Circa finem ejusdem saeculi Evagrius scholasticus Antiochenus sex libros H. E. composuit, singulari industria, fidelitate et styli elegantia, quibus fata Ecclesiae narravit ab anno 400-594.

§. 13. *Scriptores H. E. Latini ejusdem aetatis.*

Rufinus Toranus, seu Turianus, praesbyter Aquilejensis, sub finem saeculi IV. historiam Eusebii Caesareaensis, in novem libros contractam, latinitate donavit haud fideliter, eandemque a Concilio Nicaeno ad mortem usque Theodosii M. duobus libris continuavit.

Saeculo V. ineunte Sulpitius Severus, natione Gallus, historiam ecclesiasticam ab orbe condito ad annum Christi 400. duobus libris ditione elegantissima, adornavit.

Eodem saeculo Paulus Orosius, Presbyter Tarraconensis, hortatu S. Augustini septem libros historiarum adversus Paganos composuit, incipiens a diluvio universali usque ad sua tempora.

Saeculo VI. Magnus Aurelius Cassiodorus Senator, Socratis, Sozomeni et Theodoreti historias, ab amico Epiphanio scholastico latine redditas, in compendium redegit, sub nomine historiae tripartitae. Pertingit usque ad annum 510.

Ad eandem fere aetatem refertur S. Gregorius Turonensis, qui decem libris res praecipue Francorum ecclesiasticas exegit, commemoratis antea gestis ab orbe condito usque ad Francorum imperium, sive ad annum 592. Est oppido eorum, quae propius ipse cognoscere potuit, testis fidissimus, et rerum praeteritarum non satis rigidus et exactus criticus.

§. 14. *Scriptores H. E. medii aevi Graeci.*

A Saeculo VII. ad XV. usque scriptores Bizantini historiae ecclesiasticae orientali multum lucis affuderunt. Singuli in vastissimo corpore Historiae Bizantinae sunt collecti. Ex illis praeter Cedrenum, Joannem Zonarem, aliosque, Nicephorus Calixtus huc spectat, monachus graecus et schismaticus, ineunte saec. XIV. vivens, qui historiam ecclesiasticam ex Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii aliorumque monumentis composuit libris 23. comprehensam, in quibus res a Christo nato ad obitum Leonis sapientis, sive ad annum 911. enarravit. Ad nos tantum libri 18 priores pervenere usque ad caedem imperatoris Phocae, seu usque ad annum 610. perducti. Criterio non excellit.

§. 15. *Scriptores ejusdem aevi Latini.*

Saeculo VIII. Paulus Diaconus, alias Vernefridus, Ecclesiae Aquilejensis servitio addictus, Desiderii ultimi Longobardorum regis Cancellarius, et hoc capto, monachus Cassinen-

sis, scripsit sex libros de gestis Longobardorum, et libros 24. historiae miscellanae.

Eodem saeculo fluoruit Venerabilis Beda, Anglus Benedictinus, qui chronicon edidit ab orbe condito ad annum 724, et historiam gentis Anglorum 5. libris comprehensam, in qua etiam res ad universam Ecclesiam pertinentes adumbrantur.

Saeculo IX. Haymo, Episcopus Halberstadiensis, de rerum christianarum memoria libros 10. scripsit, in quibus epitome H. E., ex Rufino contracta exhibetur a Christo nato usque ad tempora Theodosii M. Expectationem et genium sui aevi longe superavit.

Eodem saeculo Anastasius, presbyter et bibliothecarius Ecclesiae Romanae, chronographiam tripartitam ex Nicephori Costantinopolitani Patriarchae, Georgii Sincelli, et Theophanis chronicis conflavit, vitam RR. Pontificum scripsit, et acta Concilii Generalis octavi e graeco in latinum transtulit. Silentio praeterimus Adonem Viennensem, Riculphum Lekoviensem Episcopum, Reginonem Prumiensem, Marianum Scotum, Lambertum, Othonem Frisingensem, Conradum Urspergensem etc.

Saeculo XV. Laurentius Valla, Patricius Romanus et Canonicus, de literaturae classicae in Italia resuscitatione eximie meritus, historiam ecclesiasticam liberrimo calamo conscripsit, ac propterea atro stigmate fuit notatus.

§. 16. *Scriptores H. E. aevi recentioris.*

Saeculo XVI. Protestantes Catholicis necessitatem imposuere, historiam ecclesiasticam adcuratius excolendi. Sparta conscribendae historiae adversus centurias Magdeburgenses, quae duce Mathia Flaccio Istriano compositae in lucem prodierant, a S. Pio V. delata fuit Onuphrio Panvinio Augustiniano; ast hic, redactis vix in ordinem fastis consularibus, fatis concessit. Post hunc, hortante S. Philippo Nerio, Caesar Baronius, gente Neapolitanus, Congregationis Oratorii Presbyter, Vaticanae Bibliothecae praefectus et Cardinalis, vastum opus *Annalium Ecclesiasticorum* incredibili labore confecit, et usque ad annum 1198. perduxit 12 tomis in folio. Baronii annales continuarunt, Odoricus Raynaldus Congregationis Oratorii presbyter ad annum 1534; Abrahamus Bezovius Dominicanus Polonus Cardinalis ab an. 1198-1572; et Henricus Spondanus Episcopus Apamiensis ab an. 1198-1640. Antonius vero Pagius Ord. Min. Conventualium criticam historico-cronologicam in annales Baronii adornavit.

Post Caesarem Baronium in historia ecclesiastica excolenda excelluere ex Gallis: Antonius Godeau, Ludovicus Elias

Dupinius (du Rin), Jacobus Benignus Bossuet, Natalis Alexander Dominicanus, Sebastianus Nanus Tillemontius scriptor Portus Regii, Claudius Fleury, Franciscus Timoleon de Choisi, Bonaventura Racine Jansenista, Abbas Berault-Bercastel, Abbas Ducreaux, Henrion, Rohrbacher etc.; ex Italis: Carolus Sigonius, Hiacynthus Graveson, Augustinus Orsi Dominicanus, Joannes Laurentius Berti Eremita Augustinianus, Gasparus Saccarelli Congregationis Oratorii Presbyter, Josephus Zola, Del Signore, Tizzani etc.; ex Germanis: Josephus Pohl Jesuita, Chrysostomus Pfrogner, F. L. Comes de Stolberg historicus excellens, quem Fridericus de Kerz continuat, Marcellinus Molkenbuhr Franciscanus, Theodorus Katerkamp, Josephus Ignatius Ritter, Joannes Nep. Hortig, Jacobus Ruttenstok, Antonius Klein, J. J. I. Doellinger, I. Alzog, N. I. Chesier, etc.

PERIODUS PRIMA

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

NOVI FOEDERIS

A NATIVITATE CHRISTI USQUE AD CONSTANTINUM M.

H. E.

AB A. C. 1. AD 306.

CAP. I.

DE FUNDATIONE ET PROPAGATIONE ECCLESIÆ CHRISTIANÆ.

§. 1. *Status civilis populorum gentilium.*

Primae Religionis Christianae origines in ea profecto incidunt tempora, quae et illius adjumento praeclarissimo maximopere indigebant, et ad eam cognoscendam, explorandam, ac recipiendam per quam idonea erant. Sub tempus Jesu Christi natale maxima orbis tunc noti pars imperio romano parebat. Sceptro enim Romanorum suberant in Europa: Italia, Gallia, Hispania, Britannia, Germania usque ad Rhenum, Illyricum, Dacia, Pannonia et Graecia; in Africa: Aegyptus, Lybia, Africa propria, Numidia et Mauritania; in Asia: Asia minor, Armenia, Syria, Judea et Mesopotamia. Has diversas nationes Octavianus Augustus Caesar suprema instructus potestate moderabatur; et haec unius in tot regiones exporrecta dominatio, propagationi Religionis Christianae ingens adferebat praesidium (1).

§. 2. *Status religiosus gentilium.*

Quamquam originaria hominum primitivorum Religio indubie Monotheismus fuerit, attamen successive a corruptela mo-

(1) Tacit. in Annal. I. 2.

rali in dies ingravescente foedissimus pullulabat *Polytheismus,* qui purior perstitit in Oriente, v. g. in China, India et Persia, in Aegypto vero, Graecia et Romae in *purum Realismum,* animantium cultum, atque hominum apotheosim degeneravit, imo ad instar Prothei pro diversitate gentium in varias sese facies transformavit. Ita tot oriebantur religiones, quot erant populi; et in omni religione, seu potius superstitione τo divinum ad res creatas proterve deprimebatur, illisque subordinabatur. Idea Numinis revelatione divina subnixa, ad vires naturae et phaenomena, in hominem imbecillum benefice vel atrociter influentia, et ad omnia, quae vel in historia, vel in mentibus, animisque hominum illustria apparebant, perquam sinistre ac impie transferebatur. Qui supra vulgus sapiebant, non quidem erant Numinis notione destituti; ast huic turbam adjungebant inferiorum Deorum, quorum tutelae traditae essent orbis terrarum provinciae. Dii atque Deae potestate inter se omnino differebant. Principes nationum Dii erant heroës, reges, urbium conditores, aliique homines et foeminae, rebus praeclare gestis, beneficiis et iuventis, saepe etiam vitiis celebres. His passim addebant praestantiores naturae partes, solem, lunam, sidera; alii etiam multo deteriores, montes, fluvios, arbores, maria, ventos, ita plane, ut etiam vitia et morbos consecraverint. Pleraeque gentes, si Germanos, Gallos et Britannos excipiamus nominibus suis templa, fana, delubra consecrabant. Cultus variis caeremoniis, precibus, victimis, sacrificiis et festis diebus continebatur. Hostiae apud mansuetiores gentes ex animantibus, apud efferatas ex ipsis quoque hominibus deligebantur. Festi dies immani libidine ac scelerum licentia contaminabantur, quae in ipsius quoque templorum septis impudenter exercebantur. Toti Deorum cultui praefecti erant Pontifices, Sacerdotes, flamines, eximiis privilegiis, juribus ac fructibus praediti. (*a*)

In cultu Deorum inanium prae caeteris insaniebant Aegyptii, utpote qui praeter Apim sub simulacro Bovis, et Anubin sub simulacro canis, Isidem quoque, Osiridem, solem, lunam, stellas, Nilum, coepus et alia colebant, de quibus Juvenalis cecinit: felices gentes, quibus haec nascuntur in hortis numina. (*b*)

Veterum Persarum religio, in explicanda mali origine tota intenta, atque praedominante jam ubivis *Sabaeismo* (astrolatria), reformata fuit per Zoroastrem, qui duos statuit rerum fontes, principem lucis *Oromusdem,* et principem tenebrarum

(*a*) Gerh. Io. Vossius de idol. l. 1. 2. 3. Arnobius l. 6.
(*b*) Herodot. 2. 35. Plutarchus.

Arimanium, eosque *Mithrae* supremo Deo subjecit, et religionis placita libro *Zendavesta* consignavit. (*a*)

Graecorum religio ab Aegyptiis, et Phoeniciis erat desumpta, et a Poetis locupletata. Colebant duodecim Deos majores, et his tanquam famulos addiderunt minores, uti: heroes, legislatores, ac genios, quos daemones vocabant, et quibus mundi regimen commissum esse credebant. Populus iste cetera cultus eo interdiu progrediebatur, ut montes, arbores, flumina et divino cultu et divinis nominibus honoraret (*b*).

Graecorum fabulis Romani non solum propria commenta addiderunt, sed Aegyptiorum quoque Deos nonnullos jure civitatis donarunt. Habebant Deos indigenos, alienigenos, coelites, terrestres, infernos, marinos, fluviales, fontanos, certos atque incertos. Numerus deorum domesticorum, quos publica colebat religio et cultus, certa lege erat circumscriptus, neque licebat homini privato publicam religionem diis peregrinis amplificare (*c*).

Ex doctrina gentilium theoretica argumentum ducere licet ad practicam. Polytheismus natura sua ad veram pietatem, ac virtutem hominem excitare et manuducere nequit. Cum enim numen divinum quodommodo in plures Deos dissecet, sponte sequitur, hos solummodo esse entia limitata, hominique similia. Cum hi Dii nil, nisi metum homini inspirent amoris filialis loco, totus illorum cultus e solo propriae utilitatis studio proficiscitur. — Apud Graecos nullum fere flagitium fuit, quod exemplo unius alteriusve numinis excusari non potuisset, ipsique illorum philosophi mythologiam ceu funestae morum corruptelae scaturiginem palam agnoverunt. Quid sibi non licere existimant homines, qui Diis suis scelera affingunt? — Mirum eapropter esse nequit, vitam Polytheorum tam publicam, quam privatam, multiplici labe infectam, nefandos puerorum amores, ludos gladiatorios crudelitatis plenissimos, divortiorum licentiam, prolium expositionem, ebrietatem in bachanalibus, libidinem, jus vitae necisque in servos, atque lupanaria publica per quam vulgaria fuisse. — Patuit jam abunde ad tenebras adeo spissas dispellendas, nova prorsus ac longe clariori luce coelesti opus fuisse, cujus videlicet ortus jam pridem Judaeis praefiguratus fuerat, nec a conatu hominum sinceram pendere veritatem et sanctitatem, sed a solo Deo, vere sapientiae ac felicitatis largitore (*d*).

(*a*) Herodot. l. 1. (*b*) Herodot. l. 4. 52. Plato Cratyl. c. 16. (*c*) S. Aug. lib. 6. de civit. Dei c. 12. Livius l. 4. hist. c.30. (*d*) Plato de rep. l. 2. Aristot. Polit. 7. 8.

§. 3. *Status civilis Judaeorum.*

Judaei transactis in captivitate babylonica 70 annis, permittente Cyro monarchiae Persicae fundatore (a. 536. ante Christum), in patriam redierunt, novum ibi statum civilem condiderunt, in civilibus a Persis haud independentes. Post excidium monarchiae Persicae, etsi Alexandro M. fasces submitterent, bellorumque procellis involverentur, sorte tamen fruebantur utcunque tolerabili, in primis sub Ptolomaeo, Aegypti rege, qui a. 320. ante Christum Palaestinam occupaverat. Anno 160 Anthiocus IV. Epiphanes non solum Judaeos sub jugum misit, verum etiam nullis pepercat mediis, queis ad turpem religionis desertionem eosdem compelleret. Durante hac immani, ac cruenta persecutione, Judaei adeo parum animos despenderunt, quin potius heroës quidam ex familia sacerdotali Hasmonaeorum, Machabaei alias dicti, duce Mathathia, res suorum collapsas armorum vi erigerent, nec politicam tantum, sed et religionem instaurarent, tandemque principatum cum summo sacerdotio conjungerunt. Sub Aristobulo I. Hircani I. filio Principatus porro in regiam dignitatem excrevit. Hanc felicitatem turbarunt mutua Hircani II. et Aristobuli II. de Principatu certamina, ad quae dirimenda evocatus Pompejus, summus exercituum romanorum dux, a. 63 ante Christum Hierosolymas expugnavit in Hircani favorem, captisque urbibus in Coelesiria sitis, Judaeos in Romanorum ditionem redactos reddidit tributarios, atque ita impletum est vaticinium Jacobi (*a*).« Non auferetur sceptrum etc. » Frustra filii Aristobuli priorem rerum statum restituere conantur, praepotentia Romanorum vincula servitutis adstringente, cum subdolus amicus, nomine Antipater, Idumaeae dux, qua Procurator romanus in Hircani familiam se intruderet ad eam praecipitandam. Haec inter molimina Herodes Magnus, Antipatris filius, Antonii et Octavii favore, Judaeorum rex a Senatu Romano est proclamatus, ita tamen, ut esset sub tutela et alto Romanorum dominio. Is in superstitem Hasmonaeorum familiam, in proprias insuper uxores et proles atrociter desaeviit, Ecclesiam judaicam in servitutem redegit, majus Judaeorum Synedrium oppressit, patrios ritus cum profanis miscuit, institutis ludis et certaminibus athleticis. Post mortem Herodis, regnum inter tres illius filios divisum est. Archelao natu maximo, qua Ethnarchae dimidia, et quod excedit, regni pars cessit, puta: Judaea, Idumaea, Samaria; Philippo qua Tetrarchae, pars Galilaeae et Trachonitis; Herodi

(*a*) Gen. 49. 10.

denique Antipae altera pars Galilaeae, Peraea et Ituraea, idemque Tetrarchae titulus obvenit. — Archelaus ob crudelitatem depositus nono Principatus sui anno, Viennam Gallorum in exilium pulsus est; et ditio illius in provinciam romanam redacta, ita quidem, ut Idumaea et Samaria Syriae adjungeretur, Judaea vero proprium sortiretur Procuratorem, qui a Syriae Praeside penderet. Procuratores romani non minus, quam Publicani nullis parcebant mediis, ut Judaeorum impensis ipsimet ditescerent. — Anno 41 post Nat. Chr. Claudius imperator Herodem Agrippam, Herodis M. Nepotem, universo donavit regno paterno; ast post ejus mortem Judaei iterum Romanorum principatui fasces submittere coacti sunt (*a*).

§. 4. *Status religiosus Judaeorum.*

Originaria Israelitarum Religio e revelatione divina hausta, et ope traditionis ad posteros propagata, tota Monotheismo superstructa, et puritate, simplicitate, ac perspicuitate praestantissima fuit. — Moses ab ipso Deo afflatus, Israelitas ex parte superstitionis Aegyptiacae luto immersos, doctrina et miraculis ad agnitionem veri Dei reduxit, legem divinam in monte Sinai inter fulgura et tonitrua coelitus traditam illis patefecit, stabilem Religionis formam adumbravit, caerimoniarum adparatum, dierum festorum solemnia, Sacerdotum munia, sacrificiorum ritus et tempora certa lege circumscripsit. — Verum dolendum est, expirante Prophetarum aevo, in scholis eruditorum spirituales Religionis ideas sensim in desuetudinem abiisse, plurimos doctores externae tantum legis custodiam, cultusque Levitici observantiam ursisse. — Omnes praestolabantur Messiam ceu potentem Heroëm, qui eos servili Romanorum jugo erepturus, regnumque terrestre conditurus esset, omni bonorum cumulo refertum. Caeci plerumque caecorum ductores erant. Ipsi Judaeorum doctiores, qui exquisitam rerum divinarum scientiam sibi arrogabant, in plures sectas erant divisi: *Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum, Samaritanorum, Herodianorum, Hemerobaptistarum, Galilaeorum.* Cum tanta fuisset inter Judaeos idearum religiosarum varietas, et depravatio, tamque inimica sectarum pugna facile perspici potuit, proximae jam imminere plenae illarum dissolutionis tempus (*b*).

(*a*) Joseph. Flav. antiq. lib. 12. c. 8. Tacit. hist. l. 5. c. 8. Joseph. Flav. de bello Jud. l. 2. c. 8.

(*b*) I. Machab. 14, 35. Jos. Flav. bell. Jud. l. 6, c. 5.

§. 5. *Status literarum, imprimis Philosophiae.*

Literarum, artiumque liberalium studia in orbe floruisse, cum Christus nasceretur, testantur non solum illius aetatis celeberrima opera poetica, oratoria, historica, verum etiam famosissimae Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Academicorum, Epicureorum et Pythagoraeorum scholae, quae apud Graecos et Romanos reperiebantur. At cum perpetua esset inter Doctores principiorum pugna, nec religioni, nec moralitati prodesse poterant. Plato, etsi unum Deum admiserit, eidem tamen sociabat daemones et heroes, probabat ebrietatem in bachanalibus, liberorum expositionem, procurationem abortus, uxorum communionem etc. — Aristoteles colebat polyteismum, et ejus morum instituta nonnisi virtutes politicas respiciebant. Pantheismus Stoicorum, quorum Pater fuit Zeno, Deos tamquam vires universi considerabat. Academici omnia infirmare et incerta reddere studebant. Epicurus omne inter Deos et mundum tollens commercium, universum hoc fortuito exortum fingens, totam profecto religionem, et moralitatem funditus evertebat. Pythagoraei transmigrationem animarum docebant. Cum omnes heae philosophorum sectae inter se digladiarentur eo homines adducebant, ut paulatim ethnicam superstitionem contemnerent, lubentius jam audituri Messiam, qui dogmata nulli dubitationi obnoxia auctoritate divina praedicaret (*a*).

Diversam a Graecis et Romanis philosophandi formam sequebantur populi orientales, γνῶσιν proprie dictam; seu cognitionem, quae in Persia, in Chaldaea, Aegypto, et in ipsa Judaeorum familia multos sectatores numerabat. Per γνῶσιν Orientales potissimum Dei cognitionem intelligebant. Universa philosophandi ratio apud Orientales orta est e studio, mala hujus mundi tam physica, quam moralia explicandi, et cum infinita Dei bonitate conciliandi. Gnostici itaque, ut hunc difficultatis nodum solverent, fontem mali extra Deum quaerendum rati, materiam ὕλην malorum omnium matrem esse asseverabant, eamque proinde a Deo plane sejungebant, et illi coaeternam somniabant. Hoc semel posito, discutiendum restabat, quo auctore, vel casu rudis haec materia in ordinem adeo concinnum digereretur, animisque coelestibus jungeretur. Cum autem ratio sibi relicta, quaestionibus tam abstrusis expediendis impar omnino esset, rerumque natura nihil lucis iisdem affunderet, phantasiae sic fraena laxanda, et inanes nugae excogitandae erant verae religioni et moralitati con-

(*a*) Seneca ep. 75. Sallust. Catilin. 51. 52. Juvenal. Satyr. 15. 86. Lelandis Necessit. Christ. Revel.

trariae. Ex toto manifestum est, philosophiam orientalem spiritualibus hominum indigentiis adeo parum satisfecisse, ut potius in eorum animis ardentius divini doctoris, et instauratoris desiderium excitaverit (a).

§. 6. *Nativitas, pueritia et adolescentia Jesu Christi.*

Cum plenitudo temporis illuxisset, secundum vaticinia Prophetarum Jesus, unigenitus Dei Filius in carne nostra comparuit. Refert S. Luca II. 1. Augusto imperatore, censum capitum in Judaea indicente, virginem Davidicae gentis Mariam cum Sponso suo Josepho Bethlehemum petiisse, ut in tabulas censuales referretur, et cum non inveniret locum in hospitio, extra urbem, sive in spelunca, sive in stabulo, Messiam peperisse, eundemque pannis involutum in praesepio reclinasse. Adimpletum hic fuit aperte vaticinium (b). Nativitas Salvatoris nostri, teste scriptura sacra, (c) incidit in tempus Augusti regiminis, atque Herodis Judaeorum regis. De anno et die nativitatis, certi nil inferre valemus, quia Evangelistae generatim loquuntur. Communis est opinio, Salvatorem natum fuisse anno 749 ab U. C. 41 vel 42 imperii Caesaris Augusti 4004 ab O. C. — Inde a saeculo IV., praeeunte Julio Papa, in utraque Ecclesia memoria nativitatis Christi 25 Decembris recolitur.

Mirabilia, quae in Christi nativitate evenerunt, refert S. Lucas c. 2. — Angelus quippe annuntiavit Pastoribus in vicinia greges suos custodientibus, futuram orbi laetitiam per eum, qui natus esset. Una cum illo innumerabilis coelestium virtutum multitudo humile domicilium circumfulsit, summam illi concinans laudem: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis (d). Octavo a nativitate die circumcisus est divinus puer, atque in hoc ritu ei inditum est nomen JESUS ab hebraico ישע servatio, salus, metonimice salutis medium vel auctor, qui deinde e muneris sui gestione vocatus est Christus, proprie unctus a verbo graeco χριω ungo. Decem diebus quater elapsis, Maria cum Josepho ac Filio se contulit Hierosolymam, in templo sacrificium oblatura purgatorium. Ibi tunc aderat, qui spiritu ferebatur, Simeon, et grandaeva Anna, Jesumque Simeon senilibus excipit manibus. Ambo vero, quum viderent infantem in sinu materno subsilientem, magnum Israelis in eo perspiciebant Deum (e). Et postquam de eo magnifice praedicassent, et id quod futurum erat patefecissent, placida obierunt morte. Post praesenta-

(a) Tertul. de praescript. c. 7. Epiphan. haeres. 24. Brucker hist. crit. philosoph. t. 2. pag. 614. seqq. (b) Michaeae c. 5. 2.
(c) Matth. 2. 1. et Luc. 21. (d) Luc. 2. 15. (e) Luc. 2. 21-39.

tionem in templo parentes Bethlehemum redierunt, fama Christi jam latins percrebescente. Magi enim novo apparentis stellae spectaculo permoti Judaeam versus tendebant, cumque, duce stella, Hierosolymam pervenirent, ambigui de nativitate recens nati regis inquirebant, ab Oriente se venisse dicentes, ut debitum illi cultum, et adorationem pie persolverent. Quo audito, tota urbs tumultu impletur, maxime vero Herodes M. metuens, ne regno exueretur. Judaeorum itaque Sacerdotes ad se convocat, accuratiusque percontatur, ubinam loci Messiam nasciturum prophetae vaticinati essent. Hic illi Bethlehem Juda indicant, testimonium citantes Michaeae Prophetae, ut verbis suis fidem conciliarent. Illuc ergo Magos proficisci jubet Herodes, reducesque visa nuntiare, ut ipse quoque illuc profectus justum illi honorem praestaret. Magi stella iterum visa, iter suum prosequuti et ad habitaculum deducti, inventum adorant Dei Filium, eique offerunt aurum, thus et myrrham, idemque monitu divino per aliam viam in suam revertuntur regionem (*a*).

Magis, Angelo monente, in patriam reversis, Herodes rex pueros omnes a bimatu et infra interfici praecepit, ut in communi innocentium caede simul occideretur ille, cui per aemulationem insidias struebat, et non diu post, provenientibus in toto corpore plagis misere extinctus est. Interea Josephus ab Angelo admonitus, cum Maria et puero Jesu in Aegyptum celeriter profugit. Ibi cum ad Herodis obitum usque substitisset, divino accepto responso, cum suis reditum in Patriam paravit, sedemque suam Nazarethi in Galilaea fixit. Nazarethi quid egerit divinus puer, parum nobis constat, nisi quod jam satis mature egregia sapientiae suae specimina dederit. Duodecim quippe annos habens, cum parentibus suis Hierosolymam profectus est, ut solemnia Paschatis celebraret, atque iisdem domum redeuntibus, in templo latenter mansit, cum doctoribus Judaicis de rebus divinis adeo sapienter colloquutus, ut omnes auditores in illius admirationem summam raperentur. Caetera privatus vixit, subditus parentibus, et sapientia, aetate ac gratia apud Deum et homines auctus. Trigesimo demum aetatis anno ministerium insigne, ad quod obeundum a Patre caelesti missus fuerat, palam incohoavit (*b*).

§. 7. *Christi Baptismus.*

Anno XV. principatus Tiberii Caesaris Joannes Baptista, Zachariae Sacerdotis filius, in omnem venit Jordanis regio-


(*a*) Matth. 2. 1-23. (*b*) Matth. 2. Luc. 2. Jos. Flav. antiq. l. 17.

nem, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum (*a*). Vestitus illi erat de pilis camelorum, et zona pellicea circa lumbos, victum illi praebebant locustae, et mel silvestre. Favor et facundia viri plurimorum animos ita percellebat, ut veterem aliquem Prophetam, Eliam maxime, cui erat similior, in illo sibi cernere viderentur, alii plane Messiam suspicarentur. Verum omnia a se deprecatus humilis Joannes candide declaravit: Se praemissum esse Messiae ut vias illius sterneret; hunc jam jam inter eos versari; et regnum aliquod coeleste et spirituale conditurum, illiusque tantum bonos participes futuros. Adsentientes Jordanis fluvii undis, praecedente poenitentia, immisit, et salutari expiatione per aquam purgavit (*b*). Interea Jesus a Galilea progressus, tanquam unus e vulgo advenit, baptismum subiturus, Joanne aliquandiu reluctante, tandemque cedente. Hac occasione Spiritus S. columbae specie in ipsum descendit, et vox Patris de coelis audita est. « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi beue complacui » (*c*). Ita Christus muneri egregio palam inauguratus, ac coelesti testimonio ceu verus Messias declaratus fuit. Hisce rebus peractis Jesus a spiritu in solitudinem ductus, pietatis exercitiis ibi vacavit, dies noctesque quadraginta jejunus persistens, orationi rerumque coelestium contemplationi indulgens, omnibusque tentatoris oppugnationibus victor resistens, humana conditione longe superior (*d*).

§. 8. *Doctrina Christi theoretica et practica.*

Ita praeparatus ad munus gravissimum Christus trigesimo aetatis suae anno, derelicta solitudine, Judaeam, Galilaeam, Samariam, vicinosque tractus peragrabat, omnemque Israelis gentem visitans. Doctrinae theoreticae praecipua capita haec fere erant: Patrem Filium et Spiritum sanctum in spiritu et veritate adorandos esse (*e*); se esse verum Dei Filium, verumque hominem a Patre in hunc mundum missum, ut homines a peccati servitute, atque pernicie liberaret; Spiritum autem sanctum a Patre et a se mittendum esse, omnis veritatis doctorem et animarum sanctificatorem; se esse vitam, lucem et veritatem, generis humani providum rectorem aeque, ac opitulatorem, et in fine mundi strenuum omnium hominum judicem, ac pro ratione vitae his in terris actae, vel remuneratorem, vel vindicem (*f*).

(*a*) Matth. 3. 1. (*b*) Joan. 1, 22. (*c*) Matth. 3. 16. (*d*) Matth. 4. (*e*) Matth. 28, 19. (*f*) Matth. 11, 27. 20, 28. Joan. 5, 21-28.



Quoad practicam doctrinam attinet, Jesus praecepit amare Deum super omnia, et proximum sicut semetipsum; hunc amorem esse voluit signum characteristicum, vi cujus veri illius discipuli, seu sodales regni Dei ab aliis rite dignosci possint (*a*). Ut regnum charitatis magis dilataret divinus Magister praeceptum de proximo diligendo ad ipsos quoque inimicos extendit (*b*). Excitabat praeterea discipulos ad pravos affectus expugnandos, ad resignationem in divinam voluntatem, ad modestiae et humilitatis studium, ad patientiam in adversis, ad crucis amorem, ad orationem, ceu familiare cum Deo colloquium (*c*). Omnia illius morum praecepta naturae humanae ita comparata erant, ut dicere potuerit: Jugum meum suave est, et onus meum leve (*d*).

§. 9. *Rationes, quibus Christus probavit doctrinae suae divinitatem.*

Christus divinitatem missionis suae, et dogmatum a se traditorum veritatem demonstravit cum per exitum vaticiniis V. T. a se datum, tum per miracula et prophetias. Imprimis fide vaticiniorum V. T. usus est, haud obscure significans, adcurate evenisse, quaecumque de se a tot inde saeculis per vates judaicos nuntiasset orbi Deus. Ad haec vaticinia Judaeos calumniantes remisit, dicens: « Scrutamini scripturas ..., et illae sunt, quae testimonium perhibent de me (*e*) ». — Non aliena a Deo accepta, sed propria vi ac virtute, non clam, sed palam, miracula patravit. Aquam enim in vinum convertit, ventis imperavit, ambulavit super mare, caecos illuminavit, claudos fecit ambulare, aegrotos sanavit, leprosos mundavit, surdis auditum dedit, mortuos ad vitam revocavit (*f*). Suam porro divinitatem confirmavit factorum instantium praedictione, cui semper eventus ad normam respondit. Ita praedixit proditionem Judae, negationem Petri, suam passionem, mortem et resurrectionem, urbis sanctae, nec non templi excidium, futuras discipulorum persecutiones, et plura alia (*g*).

§. 10. *Sacramenta a Christo instituta.*

Septem instituit Divinus magister Sacramenta, seu signa visibilia gratiae invisibilis obtinendae. Sic Ecclesiae suae initiari volentibus baptismum aquae purae praescripsit, juxta

(*a*) Matth. 5, 20. Joan. 13, 34. (*b*) Matth. 5, 44. (*c*) Matth. 3, 5. 14. (*d*) Matth. 11, 30. (*e*) Joan. 5, 39. (*f*) Matth. 11, 4. 5. etc. (*g*) Matth. 24, 1. 12, 40. Marc. 10, 34. 13, 1. Luc. 19, 41 etc.

formulam a se delineatam (*a*). Qui in constantia fidei et sanctimonia roborari cupinnt, iis copiosissima Spiritus sancti dona in Sacramento confirmationis alligavit (*b*). Confirmatos pretioso corpore et sanguine suo refocillavit (*c*). Imbecillitati naturae bumanae benigne consulturus Sacramentum poenitentiae instituit (*d*). Illis vero, qui ministerio sacro inaugurantur, vel matrimonii vinculo junguntur, vel animam luctantem vicina sub morte trahunt, uberrima auxilia concessit (*e*).

§. 11. *Apostoli et discipuli Christi.*

Cum Christus in locum Mosaicae legis nova fidei dogmata stabiliverit, novas et salnberrimas leges baptismi, encharistiae, ac professionis fidei in ipsum sanciverit, easque juberet per totum orbem terrarum promulgari, sole clarius patet, Eum novam instituisse societatem a Judaeorum Synagoga distinctam seu Ecclesiam peculiarem, fidei, spei et charitatis vinculo colligatam. Ut vero etiam succedentibus annis conservaretur et propagaretur latius, ex omni Judaeorum multitudine duodecim viros sibi elegit, qui Apostolorum nomine designantur, nimirum: Simeonem (Cephas, Petrum) et Andream filios Jonae, Jacobum majorem et Joannem filios Zebedaei, Philippum, Thomam, Bartholomaeum, Matthaeum, Jacobum minorem, Judam Thadaeum, Simonem et Judam Iscariotam (*f*). Praeter hos primi Ordinis legatos, alios assumpsit discipulos 72, mittens illos in omnen civitatem et locum, quo erat ipse venturus, ut Messiae adventum annuntiarent, animosque hominum ad illum recipiendum praepararent (*g*).

§. 12. *Mors Christi.*

Generis humani Salvator, non obstantibus beneficiis, quibus gentem judaicam cumulavit, internecinum odium incurrit Rabbinorum, Sacerdotum, legis peritorum, et aliornm plurimorum, qui honorum et comodorum jacturam timentes perniciem illius serio meditari coeperunt. Simultas haec in pectore diu inclusa, tempore circiter tertii, vel quarti festi paschalis, quod a primordiis magisterii sui Hierosolymis celebrabat, in apertas denique flammas erupit. Occasionem opportunam perdendi eum, praebebat illis sordida lucri cupiditas Judae Iscariotae, divinum magistrum in manus inimicorum tradere non

(*a*) Joan. 3, 5. (*b*) Act. 8, 15. (*c*) Matth. 26, 26 (*d*) Joan. 20, 23. (*e*) Act. 6 et 24. Ephes. 5, 32. Marc. 6, 13. (*f*) Marc. 3, 14. Luc. 6, 13. (*g*) Luc. 10, 1. seqq.

erubescentis, postquam paulo ante augusto epulo Apostolos suos refecerat. A militibus itaque interceptus, primum coram Sacerdote summo, et Synedrio violatae legis divinae, ac impietatis adversus Deum, dein coram Procuratore Romano Pilato seditionis commotae, ac laesae majestatis humanae accusabatur. Pilatus, etsi innocentiam illius probe haberet notam, et palam profiteretur; nihilominus populi clamoribus victus, Barabbam dimisit, Jesum vero flagellis subjecit, quae uti gravissimos corporis dolores ei attulerunt, ita et hi per spineam coronam capiti illius impositam vehementer aucti sunt: tandem vero innocentissimum illum, generisque humani benefactorem eximium infami crucis supplicio adjudicavit. Jam igitur ingentem crucis molem in humeros tollere jussus, extra portam sanctae urbis educitur. Quum ad Calvariae locum fuisset ventum, tertia diei hora in crucem sustollitur, clavis affigitur, variisque conviciorum generibus proscinditur, nil obmurmurans ipse, non par pari rependens, sed pro tortoribus suis fervide orans, poenitenti latroni propinqua Paradisi gaudia promittens, suamque matrem dolentem ac lacrymantem Apostolo Joanni commendans. Demum consummatis omnibus, quemadmodum ipse palam declaravit, sanctissimam animam suam inclinato capite exhalavit. Hora sexta i. e. prope meridiem, sole non naturae ordine, sed quod Creatori compateretur, extincto, tenebris densis terra involvitur, terrae motus facti sunt immanes, petrae scissae, templi velum, quod Sancta Sanctorum ab oculis vulgi abscondit, in duas partes disruptum, monumenta aperta, et mortui e sepulcris egressi, multisque sibi notis manifesto visi (*a*).

§. 13. *Resurrectio Christi, et Ascensio.*

Visis miraculis, centurio Romanus ad Christi crucem excubias agens exclamavit. « Vere Dei Filius erat iste! » Corpus illius exanime de cruce depositum Josephus ab Arimathaea Senatorum unus, precibus a Pilato impetravit, sindone munda involvit, aromatibus condivit, et in recenti monumento, quod in petra vicina erat excisum, honorifice sepelivit. Verum principes Sacerdotum, et Pharisaei recordati, Jesum saepius gloriatum fuisse, fore, ut intra trium dierum spatium vivus resurgeret, Procuratorem rogabant, ut lapidem ostio sepulcri adpositum sigillo muniri, et custodiam illic competentem collocari juberet, ne forte discipuli illius corpus furto subduce-

(*a*) Matth. 26, 3-47-75. 27. Luc. 22, 47-71. 23, 1-25- 46. Joan. 18, 3-40- 19, 17-30.

rent. — Verum non obstante hac cautela, Christus tertio a morte die, qui fuit Dominicus propria virtute gloriosus resurrexit.—Quum redivivus prodiisset, apparuit Mariae Magdalenao apud sepulcrum, a qua tangi noluit, mulieribus e sepulcro redeuntibus, Simoni Pietro eadem verosimiliter die, discipulis euntibus in Emmaus, nimirum Cleopao ejusque socio, Apostolis, qui Hierosolymis erant, absento Thoma, post dies octo, praesente Thoma, cui manuum, pedum et lateris cicatrices palpandas obtulit, septem discipulis ad mare Tiberiadis piscantibus, in monte quodam Galilaeae, in quo a 500 et amplius fratribus visnm eum fuisse, maxime probabile est, demum Apostolo Jacobo, quo autem tempore, et cui Jacobo? num minori aut majori? non satis constat. — Omnium vero apparitionum ultima fuit, qua discipulis suis ultimum dicens vale, in coelum sublatus est. Quadragesimo nimirum a resurrectione die, loquens de regno Dei et Spiritus Sancti adventu, deduxit eos in Bethaniam, et quidem in montem Olivarum, unde cum prius manibus elevatis illis benedixisset, iisdem videntibus in coelum ascendit. Discipulos ro tota attonitos, oculisque immotis abeuntem illum prosequentes, viri duo candidis induti vestibus reddiderunt certiores, Jesum assumptum esse in coelum et iterum venturum, quemadmodum illum viderunt euntem in coelum (*a*).

§. 14. *Initia muneris apostolici.*

Post gloriosam Christi ascensionem, Apostoli Hierosolymis, juxta Domini praeceptum, Spiritus Sancti adventum praestolabantur (*b*). Interim indicto 120 circiter discipulorum conventu, Petrus Apostolorum princeps necessitatem exposuit alium substituendi in locum Judae traditoris. Fuere propositi duo exquisitae probitatis viri, nimirum Josephus Barsabas (justus dictus) et Mathias. Cum autem ad Deum orassent „ut ostenderet, quem elegisset, sortes jactae sunt, et cecidit sors super Matthiam (*c*). — Cum complerentur dies Pentecostes, et essent omnes in eodem loco, factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes: et apparuerunt illis dispertitae linguae tanquam ignis, seditque super singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis (*d*). Populi, qui undique

(*a*) Matth. 27,54-66. Marc. 15, 33-47. Luc. 23, 50-53. Joan. 19, 38, 42. Marc. 16, 9-14. Matth. 28, 9. Luc. 24, 12-34. Joan. 20, 24. 1. Cor. 15, 6-7. Joseph. Flav. Antiq. c. 8, §. 6. Marc. 16, 19. Luc. 14, 51. Act. I. 9-10 etc. (*b*) Act. 1. (*c*) Act. 1. (*d*) Act. 2, 1-5.

ad festi solemnitatem Hierosolymam confluxerant, in stuporem rapti sunt, cum Apostolos linguam, quae cuilibet eorum propria erat, loquentes audiverint. Stans et hic Petrus, qui cum undecim aderat, vocem suam levavit, et tanta cum efficacia Jesum Christum praedicavit, ut tria hominum millia coetui credentium adgregarentur (*a*). Atque istud est initium plantationis Ecclesiae Hierosolymitanae. Huic coetui incrementum dedit insigne miraculum a Petro patratum. Cum enim Petrus et Joannes hora orationis nona in templum ascenderent, homo ex utero matris claudus, et ad speciosam templi portam sedens, ut stipem colligeret, sola D. Petri virtute ita sanatus est, ut firmam surgendi et ambulandi facultatem recuperaret (*b*). Ad hoc miraculum, cum effusa populi multitudo undique concurrisset, S. Petrus Jesum Christum crucifixum denuo praedicabat, et numerus credentium ad quinque millia excrevit (*c*).

Antistites Judaeorum laetissimos videntes rei christianae successus, nihil jam nisi vindictam spirabant. Petrus et Joannes Sacerdotibus, Sadducaeis atque praefectis templi custodum intercepti, ac postridie ad Synedrium adducti interrogabantur: in qua virtute, aut in quo nomine hoc fecissent? Nunc Petrus Spiritu Sancto plenus respondebat, incredibili illis libertate exprobrans caedem Messiae illatam, omnes Synedrii assessores obstupefaciens. Altera vice se sistere jussi, audita severa prohibitione, ne ultra in nomine Jesu loquerentur, cordate declarabant: « Deo magis obtemperandum esse, quam hominibus (*d*). » Cum numerus fidelium in dies augeretur, Princeps Sacerdotum Apostolos in carcerem conjecit, unde noctu ab Angelo liberati, ex ejus mandato non tantum in plateis et compitis, verum etiam in templo verba salutis plebi praedicabant. Inde absque vi ad concilium adducti intrepide Jesum confitebantur ita, ut Judaei dissecarentur cordibus, et cogitarent eos interficere. Surgens autem Gamaliel e Pharisaeis unus, dixit: « si opus Apostolorum opus hominum est, per se dissolvetur, si vero ex Deo est omnes conatus vestri in irritum cadent ». Huic orationi acquievit Synedrium, et Apostolos flagris caesos, imposito eis silentio, dimisit, qui gaudentes ibant a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*e*).

§. 15. *Sauli conversio.*

Haec dum gererentur, sapientia divina Apostolis illiteratis virum addidit eruditum, Ecclesiae recens fundatae eximio prae-

(*a*) Act. 2. 41. (*b*) Act. 3, 2. (*c*) Act. 3, 9-26. (*d*) Act. 4, 1-22. (*e*) Act. 5, 34.

sidio futurum. Erat is Saulus, posthoc Pauli nomine celeberrimus, Tarsi in Cilicia natus a parentibus Judaeis e tribu Benjamin, de secta Pharisaeorum, et Gamalielis discipulus. Cum Damascum proficisceretur, ut Christianos, quoscunque inveniret, vinctos Hierosolymam perduceret, lucis coelestis splendore circumfusus, et ad terram collapsus vocem audiit dicentem: « Saule, Saule, quid me persequeris? »; cumque quaesivisset: « Quis es Domine? » responsum tulit: « Ego sum Jesus, quem tu persequeris. » Ad haec Paulus totus obstupefactus et tremens reposuit : « Domine quid vis me facere? » atque ita gratiae divinae se submittens declaravit, velle se Deo obedire, et omne Christianos vexandi studium deserere. — Cum salutari lavacro ab Anania tinctus Damasci apud Christi discipulos substitisset, Jesum Dei Filium in Synagogis praedicabat, adversariorum tamen persecutione immani ita pressus, ut Hierosolymas ad Apostolos confugeret, et in eorum sodalitium cooptaretur (*a*).

§. 16. *Apostolorum scripta et Symbolum.*

Quamquam Christus Apostolis nullum disertum dederit mandatum scribendi, ii tamen corumque amici, ut specialibus singulorum hominum vel coetuum votis, aut indigentiis se se accomodarent, relationes de Christi gestis atque doctrinis literis consignarunt. Sunt autem Apostolorum scripta sequentia: quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim epistolae S. Pauli, septem aliae epistolae, quae catholicae vocantur, quia ad varias simul Ecclesias destinatae sunt, una videlicet S. Jacobi Minoris ad Judaeos, duae S. Petri, tres S. Joannis, et una S. Judae Thaddaei. Agmen denique claudit Apocalypsis ab eodem Joanne Apostolo conscripta, dum in insula Pathmos exul moraretur.

Vetus fert traditio, Apostolos antequam Hierosolymis discesserint, Evangelium omnibus gentibus annuntiaturi, *symbolum* vulgo *Apostolicum* dictum, seu succinctam fidei confessionem composuisse, ut ipsi docendi, alii autem credendi normam haberent. — Usque ad saeculum XV. hanc traditionem in dubium vocavit nemo; ast saeculo XV. Laurentius Valla, et post illum Erasmus Rotherodamus, Ger. Jo. Vossius, Herm. Vitsius, et plures alii eam impugnare tentarunt. Ex variis conjecturis ea verosimilior esse videtur, quae statuit: Apostolos Symbolum illud viva voce tradidisse discipulis suis, cui aliquid passim explicationis causa ab Ecclesiis particula-

(*a*) Act. 9, 1-19.

ribus additum fuerit. Huic opinioni favere videtur S. Hieronymus ep. 61. ad Pamachium, in qua scribit: « Symbolum fidei et spei nostrae, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis (*a*): » Apostolis supposita fuere multa scripta, ex quibus memoratu digniora sunt: Evangelia secundum Aegyptios et secundum Hebraeos, Proto- Evangelium S. Jacobi, Acta Apostolorum, Apocalypses, Canones Apostolorum 85, et Constitutionum Apostolicarum libri 8.

§. 17. *Ecclesiae saeculi primi.*

Ecclesia Hierosolymitana ab ipso Christo et Apostolis fundata prima fuit sedes christianae Religionis, cujus Episcopus primus fuit S. Jacobus Minor Alphaei filius. Refert S. Lucas : multitudinis credentium fuisse cor unum et animam unam, nec quemquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dixisse, sed fuisse illis omnia communia (*b*). Ditiores quippe de pauperibus sustentandis adeo solliciti erant, ut agros et praedia venundarent, argentumque inde conflatum ad pedes Apostolorum deponerent (*c*). — Ex urbe sancta in alias regiones se diffudit Christi Religio. Orta Hierosolymis persecutione, post martyrium S. Stephani, omnes Christi discipuli, solis Apostolis exceptis, per varias Judaeae et Samariae regiones dispergebantur, in locis singulis, quae perambulabant, Dominum Jesum annuntiantes (*d*). Qua occasione Philippus Diaconus ad Samaritanos missus, Christum illis praedicavit, mares et foeminas, et inter alios famosum Simonem Magum baptizavit. Quo audito, Apostoli Petrus et Joannes illuc se contulerunt, qui neophytis Samaritanis manus imposuerunt, ut acciperent Spiritum S., et illusionibus Simonis Magi fraudulentis fraena injecerunt (*e*). — S. Petrus Lyddae sanavit Aenaeam octo annis paralyticum, et Joppe viduam Thabitam ad vitam revocavit, quibus miraculis effectum est, ut non tantum heae regiones, verum etiam Sarona, aliique terrae tractus usque ad Caesaraeam in Christum crederent (*f*). Etiam Caesaraeae Judaeis aeque ac gentilibus accessit gratia fidei adstipulante S. Petro, qui Joppe commorans apud Simonem Coriarium visione lintei coelitus demissi, et animantibus promiscuis pleni permotus, non tantum Cornelium centurionem, a quo illuc fuerat accersitus, totamque illius familiam baptizavit, sed Christianos quoque Judaizantes, Spiritu S. accedente,

(*a*) Ruff. Aquil. in exposit. Symb. Ap. (*b*) Act. 2, 44. (*c*) Act. 5. (*d*) Act. 8, 4. (*e*) Act. 8, 5-25. (*f*) Act. 9, 42-43.

permovit ad deponendum praejudicium, quasi gentiles inepti essent, ad fidem christianam recipiendam (*a*). Nec inter solius Palaestinae limites diu se continuit Evangelium Christi, sed extra Palaestinam quoque per Asiae, Europae et Africae provincias, in Syria, Italia, Aegypto, novae Ecclesiae effloruerunt, inter quas eminent *Antiochena, Romana, et Alexandrina.*

Singularem attentionem meretur Ecclesia Antiochena vel ideo, quod ibi primum auditum est Christianorum nomen. Primi illius fundatores fuerunt discipuli, durante persecutione hierosolymitana, dispersi; imo quidam Cyprii et Cyrenaei Christiani Antiochiae gentilibus Evangelium praedicarunt. Rei hujus nuncio accepto, Ecclesia Hierosolymitana Barnabam Antiochiam misit, ut coetum fidelium ibi collectum in fide Jesu Christi confirmaret. Cum solus non sufficeret, Tarsum descendit, unde Paulum Antiochiam deduxit. Ambo viri per integrum annum unitis viribus rem christianam ibi eximie promoverunt, eamque Ecclesiam in diem florentiorem effecerunt. Missi deinde Hierosolymam, ut eleemosynam perferrent, Ecclesiam illam a rege Agrippa misere pressam, et Apostolorum Principem S. Petrum arcte custoditum invenerunt, ita ut nullo Apostolorum viso, assumptoque Joanne, qui cognominatus Marcus, Antiochiam reverterentur (*b*). Tradunt veteres, primum hujus Ecclesiae Episcopum fuisse S. Petrum, secundum Evodium, tertium S. Ignatium Martyrem (*c*).

Ecclesiam Romanam aevo Apostolorum fundatam fuisse, res indubia est. Certe Apostolus Paulus in sua ad Romanos Epistola I. 8 scribens: « Primum gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro vobis omnibus, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo » plurimos jam Romanos sua aetate in Christum credidisse significat. Si quaeritur de primis Evangelii praeconibus, improbabile haud est, illos fuisse Judaeos, qui Hierosolymis praedicationem Apostolorum audierunt, et ex iis forte fuit Aquila (*d*). — S. Petrum vero Romam venisse, Episcopatum hujus Ecclesiae tenuisse, ibique martyrem occubuisse, non obscure patet cum ex sacris paginis, tum ex scriptoribus ecclesiasticis. S. Petrus I. ep. V. 13. scribens: « Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta, et Marcus filius meus » per Babylonem, ubi hanc epistolam scripsit, Romam intelligit; cui expositioni non tantum Papias et S. Hieronymus favent, sed etiam S. Joannes (*e*). Accedunt Patres tam Graeci quam Latini: S. Ignatius in epistola ad Romanos ita scribit: « Non ut Petrus et Paulus praecipio vo-

(*a*) Act. 10. (*b*) Act. 11, 22. 12. (*c*) S. Hieron. cat. script. ecc. (*d*) Act. 18, 2. (*e*) Apocal. 17. 5. et 9.

bis; illi Apostoli, ego condemnatus. » Origines narrat, D. Petrum ad extremum Romam venisse, et cruci affixum fuisse capite inverso (*a*). Cajus in disputatione cum Proclo Montanista de loco, in quo Apostolorum Petri et Pauli corpora deposita sunt, sic loquitur: « Sive in Vaticanum, sive ad viam Ostiensem pergere libet, occurrent tibi trophaea eorum, qui hanc Ecclesiam fundarunt (*b*). » Idipsum asserit Tertullianus de praescript. c. 36. praedicans Ecclesiam Romanam felicem, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni dominicae adaequatur (*c*). Etiam Ecclesiam Alexandrinam tempore Apostolorum extitisse, testimonia Clementis Alexandrini et Eusebii extra dubium ponunt. Marcum Evangelistam S. Petri discipulum primum hujus urbis Episcopum fuisse, tradunt Eusebius (*d*), Chronicon Alex. (*e*) Eutychius Patriarcha (*f*), et Chronicon Orientale (*g*).

His merito adduntur Ecclesiae in Apocalypsi S. Joannis commemoratae, nimirum: Ecclesiae Ephesi, cujus Episcopus S. Joannes Apostolus, Smyrnae, cui praefuit S. Polycarpus, Pergami, Tiatyrae, Sardis, Philadelphiae, et Laodicaeae (*h*).

§. 18. *Ecclesiae saeculi secundi et tertii.*

Religionem Jesu Christi saeculo II. et III. indefesso sanctorum virorum studio per Asiam, Africam et Europam longe lateque propagatam fuisse, sequentia evincunt testimonia: 1. S. Irenaeus, Pater saeculi II. (*i*), mentionem facit Ecclesiarum Germaniae, Galliae, Hispaniae, Orientis, Aegypti et Lybiae; 2. Tertullianus (*k*), memorat Ecclesias Getulorum, Maurorum, Hispaniarum, Galliarum, Britannorum, Sarmatarum, Dacorum, Germanorum, Scytharum, locorum Romanis inaccessorum, gentium abditarum, provinciarum et insularum multarum incognitarum, in quibus omnibus locis Christus regnabat; 3. Hisce domesticis testibus consonat Plinius gentilis Bithyniae Proconsul, qui ad Trajanum imperatorem ita scribebat: « Rem consultatione dignam esse duxi ob ingentem numerum eorum, qui Christo nomen dederunt; nam plurimi omnis aetatis, sexus et conditionis periclitantur ».

Ecclesiae Orientis. Tradunt Eusebius (*l*), et S. Hieronymus (*m*), Panthaenum philosophum Stoicum ad Religionem Christi conversum, et primum scholae Alexandrinae magistrum, Indos profectum fuisse, eosdemque fide christiana imbuisse.

(*a*) Euseb. l. 3. c. 1. (*b*) Euseb. lib. 2. 25. (*c*) Tertul. de bapt. c. 4. (*d*) H. E. l. 2. (*e*) p. 230. (*f*) in Annal. Eccl. Alex. (*g*) p. 109 (*h*) Apocal. c. 2. et 3. (*i*) l. 4. adv. haeres. c. 3. (*k*) lib. adv. Judaeos c. 7. (*l*) H. E. l. 5. c. 10. (*m*) De Script. eccl. c. 36. p. 107.

Per Indiam aeque ac Persiam Religio Christi jam saeculo II. et III. propagata fuerit oportet, quia Arnobius 7 libros adversus gentes anno circiter 297 scribens (lib. 2.) tradit: « veritati christianae coaluisse homines in India, apud Seras, Persas, et Medos. »

In Arabia, ubi S. Paulus semina Evangelii sparserat, anno circiter 216 munus praedicationis obiit Trigenes.

In Armenia tunc temporis jam fuisse Ecclesiam christianam patet ex epistola, quam Dionysius Alexandrinus ad christianos Armenos de poenitentia scripserat. Tradit Eusebius illum in Lybia quoque, quo sub Valeriano imperatore exul migrare jussus est, cum nonnullis aliis sociis Evangelium praedicavisse.

Gothi, qui saeculo tertio Mesiam et Thraciam occupaverant, facta in Asiam, Galatiam et Cappadociam hostili incursione, plurimos christianos atque Sacerdotes captivos abduxerunt, quorum praeclaris exemplis ita fuere moti, ut jugo Christi sponte colla subderent (*a*).

Ecclesia Occidentis. Etiam in provinciis Occidentis, potissimum autem in Italia, Gallia, Germania, Britannia et Hispania coetus fidelium collectos fuisse, extra dubium omne positum est. Quoad Italiam attinet, ex Urbe Roma in alias terras se diffudit Christi Religio (*b*).

De ecclesiae Gallicanae initiis dimicant viri docti. Natalis Alexander (*c*) tradit, Crescentem, Martialem, Trophimum, Paulum et Dionysium (sed non Areopagitam) Apostolorum discipulos jam I. saeculo varias Ecclesias jam fundasse. Certum est, saeculo II. coetus fidelium Viennae et Lugduni extitisse; nam S. Irenaeus, Pater saeculi II. Pothino in episcopatu Lugdunensi successit, et epistola utriusque coetus nomine scripta a 177. ad Asiae et Phrygiae Christianos persecutionem Marci Aurelii recenset.

Ex Italia et Gallia in Germaniam transrhenanam, inde in Germaniam meridionalem Religionem Christi mature transiisse valde probabile est. Nonnulli tradunt, Eucharium, Valerium et Maternum Apostolorum discipulos jam saeculo I. in Germania Evangelium praedicasse. Quidquid sit ex Irenaeo et Tertulliano supra allegatis patet, jam saeculo II. Ecclesias in Germania extitisse.

Etiam Britanniae jam aevo Apostolorum illatam fuisse Christi Religionem, creditu non est difficile. Quod vero saecu-

(*a*) Euseb. H. E. l. 6. c. 46. l. 7. c. 11. Zozom. II. E. l. 2. c. 6.
(*b*) Petrus Giannone H. E. du royaume de Naples t. 1. p. 74. Jo. Lami t. 8. praef. p. 35. et cet. (*c*) E. H., 3. p. 161.

lo II. Ecclesiae floruerint, ex testimoniis Irenaei et Tertulliani manifestum est.

Tandem de Hispania ejusdemque fide christiana aperte testantur mox citati scriptores. Vetus fert opinio, Apostolum Paulum in Hispaniam profectum, terris illis coelestis doctrinae lumen intulisse. Huic opinioni suffragatur textus S. Pauli (*a*) scribentis: « Cum in Hispaniam proficisci coepero spero, quod praeteriens videam vos ». Ejusdem sententiae fuere S. Athanasius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Joannes Chrisostomus, et plures alii.

§. 19. *Causae celeris propagationis Religionis christianae.*

Praeter adorandum consilium Dei omnipotentis, qui, ut ait S. Augustinus (*b*) « verbo sonante extrinsecus, bonam credendi voluntatem in cordibus operabatur auditorum », tam stupendi effectus sequentes causae assignari possunt: 1. Sanctitas Religionis christianae, quae religione judaica ad meras caeremonias delapsa, et Ethnicismo scelera fovente hominibus longe excelsior et praestantior apparuit. 2. Innumera miracula a Christo, Apostolis et discipulis patrata, homines in admirationem rapuere. 3. Constantia Christianorum, illorumque patientia admirabilis, ac viribus humanis vere superior, in exquisitissimis tormentis ad mortem usque perferendis adhuc invicta, quae plurimos spectatores reddidit pronos ad amplectendam Religionem. 4. Zelus, quo Spiritus S. vivificabat Evangelii praecones ita, ut nomen Jesu Christi coram Regibus et Principibus praedicarent, ejusque gloriam usque ad terminos orbis terrarum propagarent. 5. Integerrimi Christianorum mores, de quibus Plinius (*c*) confitetur, se nihil invenisse in Christianis, nisi quod surgant antelucano tempore, et Christum tamquam Deum colant. 6. Eorum in omnes, etiam in Ethnicos charitas et beneficientia. 7. Versiones Scripturae sacrae, Apologiae, philosophorum ethnicorum conversiones. 8. Denique quorundam Principum Romanorum benevolentia et aequitas erga Christianos, uti Alexandri Severi et Philippi Arabis (*d*).

(*a*) Rom. 15, 24. (*b*) Lib. de gratia c. 4. (*c*) Lib 10. Ep. 97.
(*d*) Plin. l. 10, ep. 97. Justin. M. Apolog. I. c. 2-20. Athenag. deprec. pro Alienis p. 26 Tertull. Apolog. c. 2. 3. Euseb. H. E. l. 6. c. 21. 28. 34. Lampridius in Alex. Sev. c. 29.

CAPUT II.

DE FATIS ADVERSIS RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 1. *Persecutiones Judaeorum in Christianos.*

Ut de internis obstaculis nil dicamus, externa, quae Religio christiana in sua propagatione superare debuit, tanta et talia erant, ut virtus divina in cujuslibet oculos insiliat. Quod Christus discipulis et adseclis suis praedixerat, fore ut in synagogis flagellentur, et ad praesides atque reges ducantur propter ipsum (*a*), hoc etiam experti sunt Apostoli, eorumque successores. Et primi fuerunt Judaei, qui gravissimis contumeliis, atrocissimisque injuriis eosdem adficerent. Tres praecipue aetate hac adversus Christianos persecutiones concitarunt. Prima erat Zelotarum et Sauli, in qua Stephanus Diaconus martyr occubuit (*b*). Altera subsecuta fuit auctore Agrippa, qua S. Jacobus Major occisus, et D. Petrus custodiae mancipatus, attamen per Angelum liberatus est (*c*). In tertia martyrium passus est S. Jacobus Minor, Episcopus Hierosolymitanus, cujus mortem describit Josephus Flavius referens, Ananum Pontificem Maximum post mortem Festi procuratoris, antequam Albinus successor ejus advenerit, concilium convocasse, atque in eo S. Jacobum cum quibusdam aliis ad lapidum supplicium condemnasse a. Christi 62 vel 63. Praeter has persecutiones aliae a Judaeis motae sunt, praesertim contra Paulum in Pisidia, Iconii, Thessalonicae, Corinthi. Quae Hierosolymis gesta sint, itidem commemorat S. Lucas (*d*).

Verum Judaeorum in Christianos furor vesanus anno circiter post C. N. 70. misera gente summas ad angustias redacta, et late dispersa, ut Christus praedixerat, fere extinctus est. Judaei siquidem Gessii Flori, Syriae praefecti immanitate et avaritia oppressi, palam seditionem meditabantur, et ad arma convolabant. Unde exortum est acerrimum cum Romanis bellum. Vespasianus renuntiatus imperator obsidionem commisit filio suo Tito, qui aucto exercitu urbi appropinquabat. Prima illius inclusio fiebat tempore festi Paschalis. Frustra Titus repetebat pacis et gratiae conditiones. Ad conditiones quascunque et monita pervicaces Judaei aures suas obturabant, ne tum quidem cedentes, cum arctior jam urbis obsidio atrocissimam famem, morbosque pestiferos, intus pe-

(*a*) Matth. 10, 17. et seq. (*b*) Act. 6, 5. seqq. (*c*) Act. 12, 2. (*d*) Act. 17, seqq.

perisset, ipsumque jam Castrum Antonianum esset subactum. Jam itaque vehemens in templum impetus factus, ejus primo porticus, deinde Sancta Sanctorum succensa, denique mons Sion in Romanorum redactus potestatem. Qua occasione tanta judaici sanguinis copia effusa est, ut ipsis quoque victoribus summo horrori esset. Durante hac obsidione undecies centum Judaeorum millia periisse, tantaeque cladi superstites in turpissimam servitutem abducti fuisse perhibentur. Ita impletum est Christi vaticinium. — Sub Trajano imperatore tumultum fecerunt Judaei in Cyrenaica, Aegypto et Cypro; et imperator brevi eos aliquot cladibus attrivit. Tandem cum post Trajani mortem Judaei, facta seditione, regem sibi praeficerent Barcochabum, (i. e. filium stellae) qui pro Messia a suis haberi voluit, Hadrianus imperator, missis in Judaeam robustissimis legionibus, munitissima eorum castella expugnavit, multa hominum millia occidit, renascentem Hierosolymam denuo evertit, novamque urbem, Aeliam Capitolinam a nomine suo dictam e cineribus excitavit (*a*).

Causae quibus Judaei commovebantur ad persequendos Christianos, partim in perversa intelligendi facultate, partim in corrupta voluntate positae erant. Earum indubie principaliores sunt sequentes: 1. Invidia Rabbinorum, legis peritorum, et summorum Sacerdotum, quibus se jungebant Sadducaci. 2. Sensuales illorum conceptus tam de lege Mosaica quam de regno Messiae. 3. Liberae et energicae Christi ejusque discipulorum declamationes contra arrogantiam, hypocrisin ac corruptelam eorum. 4. Recusata denique a Christianis armorum societas.

§. 2. *Causae odii gentilium in Christianos.*

Immanis odii Ethnicorum in Christianos causae praecipuae erant sequentes: 1. Religio Christi reputabatur esse defectio a religione licita, et seditio contra Religionem popularem. 2. Religio Christi celeriter propagata, non tantum Religioni publicae, verum etiam civitati, cum religione arctissime copulata extremam perniciem minitari videbatur. 3. Cum Christiani templis, publicis victimis, festis, omnique externa caerimoniarum pompa carerent, in atheismi suspicionem adducebantur. 4. Quia Deos gentilium ceu malignos daemones reformitabant, eorum cultum et spectacula publica vitabant, Christiani tamquam contemptores religionis dominantis habe-

(*a*) Tacit. Hist. lib. 10. Jos. Flav. antiqq. lib. 8. 9. Euseb. H. E. 1, 5, Josephus de bel. jud. l. 5. c. 14.

bantur. 5. Metus sacerdotum, augurum, haruspicum, mercatorum et opificum, bona, commoda, honores et ornamenta amittendi. 6. Causa omnium publicarum calamitatum, quae Romanos affligebant, repetebatur a Christianis, utpote Deorum irrisoribus. 7. Christiani variorum criminum falso accusabantur, quod videlicet caput asini colerent, in suis conventibus epulas Thyesteas celebrarent, concubitus Aedipodeos exercerent. 8. Christiani saepius confudebantur cum seditiosis Judaeis. 9. Obscenae Gnosticorum sectae, quarum dogmata et scelera ipsi Gentiles aspernabantur. 10. Denique Chiliastica quorumdam Christianorum somnia, omnium regnorum propinquam ruinam praedicantium. Causae heae acerbissimum odium concitabant in eos, qui Christum ejusque doctrinam profitebantur (*a*).

§. 3. *Impugnatores Religionis Christianae.*

Religionem Jesu Christi aggressi sunt Philosophi ethnici ita quidem, ut alii indirecte, alii directe eam evertere sint conati. Indirecte Religioni christianae nocuerunt Tacitus, Svetonius, Sallustius, Quintilianus, et saeculo II. Plinius Junior. Directe veritates coelestes fallacibus disputationibus impugnare, calumniis et mendaciis proscindere, nec non risui exponere ausi sunt sequentes:

Saeculo II. Celsus, imperante Hadriano florens, sectae Epicuri addictus, varia composuit scripta, in quibus id principem locum tenet, cui titulum fecit ἀληθὴς λόγος (discursum veracem nominavit), et in quo religionem judaicam et christianam acriter impugnavit. Origenes autem se opposuit, et confutationem octo librorum scripsit.

Crescens, philosophus Cynicus, et sub Antonino pio clarus, S. Justinum M. et Christianos atheismi accusavit.

Fronto Afer, Rhetor, edita oratione illam vulgi calumniam de incestis Christianorum conviviis probare conatus est.

Lucianus Samosatenus, homo Epicureus et maledicus sub M. Aurelio imperatore vivens, satyras composuit, quibus dogmata, virtutes, martyria, et caeremonias Christianorum irrisit.

Saeculo III. Etiam hoc saeculo haud deerant viri acutiores, praesertim ex familia Neoplatonicorum, qui religionem christianam, ejusque professores conviciis, atque contumeliis proscindere non vererentur. Eorum quodammodo agmen duxit

(*a*) Cels. Lib. 3. p. 138-40. Justin. M. Apot. I. c. 6. 16. Minut. Felic. Octavius c. 12. Tertul. Apolog. c. 2. 4. 7. 8. 40. Euseb. H. E. L 5.

Plotinus Lycopoli in Aegypto a. 205 natus, Ammonii Saccae discipulus, imperatori Gallieno valde acceptus, qui cum ore, tum scriptis pseudo-mysticis totam Religionem Jesu Christi insectatus est.

Ex innumeris Plotini discipulis famosissimus fuit Porphyrius Syrus, prius Christianus, dein a fide apostata, sub Gallieno imperatore, Romae vivens, qui in opere quindecim libris deducto textus S. Scripturae sibi apparenter contradicentes collegit eum in finem, ut ostenderet Scripturam S. opus Dei non esse. Scripsit porro vitam Pythagorae, ubi, facto inter Christum atque Pythagoram parallelismo, conatus est demonstrare, non agno agnum similiorem esse, quam Christo Pythagoram.

Philostratus e Cappadocia oriundus Apollonii Tyanaei vitam 8 libris composuit eo fine, quo Porphyrius vitam Pythagorae. Vir fatuus totus in eo est, ut facta Christi mirabilia destruat, atque Apollonium vel paria, vel etiam majora fecisse probet. Eusebius praefatos libros fabulis, absurdis refertos esse demonstravit (*a*).

§. 4. *Persecutiones gentilium in Christianos saeculo I. et II.*

Non tantum ore, et calamo, verum etiam ferro Gentiles in Religionem Christianam saevierunt. Primus gladium strinxit Nero Claudii filius ex Agrippina natus, imperatorum longe deterrimus, qui matrem, patrem, tutorem, praeceptorem, multos senatores et cives trucidavit. Narrat Tacitus (*b*). Christi 64, imperii vero sui 10, Romae in majoris Circi tabernis adeo vehemens incendium exortum fuisse, ut e 14 Urbis regionibus quatuor tantum intactae manserint. Cum autem percrebuisset rumor, imperatorem ipsum facinoris hujus auctorem fuisse, hanc ille invidiam a se Christianos detorsit, eosque tanquam incendiarios in crucem agi, pellibus insutos canibus lacerandos objici, pice illitos in usum nocturni luminis flammari, aliisque suppliciis e medio tolli jussit. Periit Nero anno imperii sui decimo tertio aetatis vero trigesimo primo. Praecipui, qui tempestate hac ad gloriam et dignitatem Martyrum pervenerunt, sunt principes Apostolorum Petrus et Paulus, prior in crucis patibulo, posterior gladio extinctus (*c*).

Neronis crudelitatem emissis in lucem edictis imitatus est Domitianus Vespasiani filius a. 93. Ex iis, quae Euse-

(*a*) Tatian. orat. ad graec. c. 32. Minut. Felix Octav. c. 9. et 31. Porphyr. vita Plotini, S. Aug. l. 6. de civit. (*b*) Lib. 15. annal.
(*c*) Tacit. Annal. l. 15. Sveton. in Neron. c. 16. Tertul. Apologet. 5. Euseb. Chron. p. 164.

bius de Hegesippo refert, conjicitur, imperatorem hunc, prava concepta de Christianis opinione, quasi ad seditionem proni essent, coronae jacturam ab iis sibi timuisse, ac propterea omnes e Davidis stirpe progenitos, Christique cognatos enecari jussisse. De fine calamitatis hujus, quam brevem fuisse omnes fatentur, dissentiunt antiqui scriptores. Inter eos, qui durante hac procella Religionem Christi sanguine suo purpurarunt, celebrari merentur Flavius Clemens consularis, imperatoris patruelis, et Flavia Domitilla ejus conjux. Tradit Tertullianus, S. Joannem Apostolum in ferventis olei dolium missum, sed protegente Deo inde incolumem eductum, in Pathmos insulam deportatum fuisse, in qua vir sanctus suam Apocalypsim scripsit (*a*).

Multa dira passi sunt Christiani etiam sub Trajano, Nervae filio adoptivo, qui a. 98 in imperio successit, non quidem jubente imperatore, sed vel accusantibus Magistratibus, vel ethnicae superstitionis praefectis, vel tumultuosa populi multitudine. Huc profecto referri potest tempestas in Bithinia adversus Christi cultores excitata. Cum Plinius junior, Bithiniae Proconsul ep. 97. ab imperatore quaesivisset, quid cum Christianis agendum? Trajanus respondit: « Conquirendi non sunt Christiani: si tamen deferuntur, et arguantur, quod Diis nostris sacrificare nolint, puniendi sunt: » Hanc legem Tertullianus sequenti dilemmate perstrinxit: « Christiani vel nocentes, vel innocentes sunt: si nocentes, quare in eos inquiri prohibes? Si innocentes, cur delatis poenas irrogas? » Sub Trajano passi sunt S. Ignatius Episcopus Antiochenus, et Simeon Cleopha filius S. Jacobi in Episcopatu Hierosolymitano successor, 120 annorum senex cruci affixus, nec non plures alii (*b*).

Etiam sub Hadriano imperatore Christiani variis passim miseriis oppressi fuerunt. Sub imperii sui initium, non quidem jussit, sed permisit, ut Christi cultores persequerentur. Postquam autem S. Quadrati Atheniensium Antistitis, et Aristidis philosophi apologias legisset, nec non Serenius Granianus Asiae Proconsul eidem declarasset: « iniquum sibi videri, ut Christiani nullius criminis rei occidantur. » Minutio Fundano Graniani Successori sequenti modo rescripsit. « Quod si quis eos detulerit, probaveritque, contra leges quidquam agere, tu pro gravitate delicti in eos statue. Sin mehercule calumniae causa istud intenderit, operam dabis, ut pro gravitate criminis in illum animadvertas. » Hadriano imperante

(*a*) Euseb. l. 3. H. E. c. 10. Tertull. lib. de praescript. adv. haeret. c. 36. Dio Cassius lib. 67. pag. 670. Sveton. in vita Domit. c. 15. (*b*) Euseb. H. E. lib. 3. Tertul. Apolog. c. 2. p. 26.

martirio coronati sunt SS. Evaristus et Alexander RR. PP. Eustachius cum sociis, Sabina matrona romana, Symphorosa cum septem filiis etc (*a*).

Hadriano successit ejus filius adoptivus Antoninus Pius, sub quo Christianos non omnibus caruisse miseriis satis evictum est. Attamen non negandum, illum erga Christianos praedecessoribus suis longe mitiorem fuisse. Cum enim rescivisset, Christianos ad judices passim, et ad capitalia supplicia violenter rapi, insuper ex Apologia a S. Justino M. sibi porrecta agnovisset, eos innocentes esse, scripsit ad Thessalonicenses, Athenienses et universos Graecos, ne contra Christianos tumultus concitarent. Nihilominus exorto in Asia terremotu, populus omni malorum et injuriarum genere Christianos insectabatur. Qua re cognita Antoninus Pius, ad commune Asiae, seu ad omnes Asiae Praesides, quos Ephesi congregari jussit, edictum misit, vi cujus Christianum religionis solum causa delatum absolvi, delatorem vero graviter puniri mandavit. Non obstante hoc edicto, multos martyrii laurea condecoratos fuisse, patet ex Justino Martyre (*b*).

Gravior tempestas in Christianos saeviit sub Marco Aurelio Antonino e Stoicorum familia, Antonini Pii successore, quo imperante Christiani falso accusabantur Atheismi, epulae Thyesteae et incesti concubitus. Et quasi objicere delicta satis fuisset, Christiani, nullius licet sceleris convicti, trucidabantur. Verum deerat adhuc imperatoris auctoritas. Philosophi itaque imperatorem inducebant, ut immane contra Christianos edictum proponeret. Praecipue autem tres notantur persecutiones atrocissimae. Prima fuit Romae, in qua occubuit S. Justinus capite minutus anno 167. Secunda fuit in Asia, qua durante S. Polycarpus Episcopus Smyrnensis anno 169 in amphitheatro martyrium subiit. Tertia fuit in Gallia, qua inprimis Christiani Viennenses et Lugdunenses innocuum pro Christi cruorem fuderunt, et inter hos memoratu dignissimus est S. Pothinus Episcopus Lugdunensis (a. 177). Porrexerunt quidem et huic imperatori suas Apologias Athenagoras Philosophus Atheniensis, Theophilus Episcopus Antiochenus, Apollinaris Hierapolitanus, Melito Sardicensis, Justinus M.; at Imperator eas componi et legi prohibuit. — Narrant veteres, Marcum Aurelium mitiorem animum erga Christianos induisse, postquam militum christianorum precibus e summis illis angustiis liberatus fuerat, in quibus a Quadis et Marcomannis inclusus tenebatur. Summa historiae hujus haec fere est: In

(*a*) Euseb. H. E. l. 4. c. 8. (*b*) Apolog. 2. c. 3. Just. M. Euseb. l. 4. et 5. H. E.

bello contra Guados et Marcomannos, cum exercitus M. Aurelii inter montes ab hostibus circumdatus aestu et siti premeretur, milites Christiani legionis Melitinae fusis ad Deum precibus impetrarunt, ut hostibus fulmine prostratis, exercitus Romanus copioso imbre reficeretur, eamque ob rem legioni *fulminatricis* cognomen ab imperatore inditum, et multo benignius Christianis ingenium exhibitum fuisse. Romae extat columna M. Aurelii honoribus dedicata, ad perpetuam hujus facti memoriam (*a*).

Felicius sidus familiae christianae illuxit sub Commodo, Marci Aurelii filio, qui ab an. 180-192 clavum imperii tenuit, et in gratiam Marciae concubinae suae, Christianis benevolum se exhibuit. Nihilominus non desunt exempla Christianorum sub hoc principe occisorum, inter quae illud Apollonii senatoris eximium est, qui Romae capitis supplicium subiit (*b*).

§. 5. *Persecutiones gentilium in Christianos saeculo III. et IV. ineunte.*

Recruduit bellum in Christianos anno circiter 203, imperium romanum moderante Septimio Severo, qui licet primitus benigna in Christianos esset voluntate, postea tamen contra eos edictum promulgavit, vi cujus prohibuit sub gravi poena a Religione gentilium ad Judaeos vel Christianos transire. Veteres tradunt, quod huic edicto ausam praebuerint renovatae calumniae in Christi cultores, Judaeorum defectio in partibus Syriae et Palestinae, denique factum militis christiani, qui lauream castrensem gerere recusavit. Persecutionis hujus atrocitatem ex eo merito colligimus, quod Christiani existimaverint Antichristi adventum jam tum imminere. Durante persecutionis hujus procella, permulti ad martyrum dignitatem pervenerunt, quos inter eminent Leonidas, Origenis pater, Perpetua et Felicitas. His Christianorum miseriis perculsus Tertullianus disertum pro illis Apologeticum exaravit. Persecutio haec cum morte Severi non plane est sopita, sed ita remissior evasit, ut sub ejus filio Antonino Caracalla etiam Magistratus nonnulli paulatim mitescerunt. Neque Christianis majores molestias facessebant Macrinus et Antoninus Heliogabalus, de cetero perditissimi moris Principes. Sub Alexandro Severo longe pacatiores erant Christianorum res,

(*a*) Euseb. H. E. l. 4. c. 26. et l. 5. c. 1-3. Justinus M. Apolog. II. Tertul. Apologetic. c. 5. p. 63. Dio Cassius apud Xiphilinum p. 270.
(*b*) Euseb. H. E. l. 5.

quam sub ullo imperatorum superiorum. Is enim Juliae Mammaeae matris suggestioni cedens, non tantum nihil in Christianos moliebatur, sed etiam varia illis benevolentiae suae pignora dabat, et in tablinio suo Christi, Abrahami, Orphei, aliorumque effigies collocabat *(a)*.

Pacem hanc Christianorum turbabat Julius Maximinus Thrax, qui metu adactus, ne Christiani caedem Alexandri Severi a se patratam ulciscerentur, a. 237 atram movit in Christianos persecutionem. Persecutionem hanc per tres annos, quibus Maximinus imperavit, durasse innuit Eusebius. Nonnulli tradunt persecutionis edictum ad solos Ecclesiarum Antistites pertinuisse. Ceterum in quibusdam provinciis, inprimis in Cappadocia et Ponto etiam alii Christiani ad supplicium fuere rapti. Ansam praebuit terrae motus. Inter Martyres referuntur Pontianus R. P., S. Barbara Nicomediensis, et S. Catharina Virgines. Ad idem quoque tempus refertur martyrium S. Ursulae et sociarum VV. MM. *(b)*.

Pacem recuperarunt Christiani sub Philippo Arabe, quam iterum turbavit imperator Decius. Is longe atrociorem tempestatem in Christianos commovit, sive Christianorum Philippo amicorum metu, sive avitae superstitionis amore. Tradit S. Gregorius Nyss. imperatorem jussisse in edicto suo praesides et magistratus, Christianos omni suppliciorum genere ac metu ad Deorum cultum reducere, si supplicia ipsimet fugere vellent. Haec persecutio fuit saevissima, sive spectemus Martyrum multitudinem, sive poenarum acerbitatem, sive crudelem eas infligendi modum. Dionysius Alex. dicit, edictum Decii tale fuisse, ut ipsi electi, si fieri posset, scandalum paterentur. Martyrum celebriores sunt: Fabianus R. P., Alexander Episcopus Hierosolymitanus, et Babilas Antiochenus in carceris squalloribus mortui. Huc praeterea refertur historia septem dormientium. Periit Decius a. 252 in bello contra Gothos, postquam duobus annis regnasset *(c)*.

Persecutionem instaurarunt Gallus, et Volusianus ejus filius. Hi Christianos suppliciis affici jusserunt, eo quod noluerint Deos per sacrificia placare, ut pestem aliasque calamitates publicas averterent *(d)*.

Valerianus imperator pacem, quam ipsemet ante triennium Christianis reddiderat, repente et insperato abrupit. Ejus propensissimam hanc voluntatem a. 257 immutavit Macria-

(*a*) Euseb. H. E. l. 6. c. 1. 2. 7. Ruinartus Act. MM. Lampridius etc. (*b*) Euseb. H. E. l. 6. c. 18. 28. 29. Grimilianus ep. 75. ad Cyprian. (*c*) Greg. Nyss. vit. Greg. Thaum. Euseb. H. E. l. 6. c. 41. (*d*) Dionys. Alex. apud Eusebium H. E. l. 7. c. 1. S. Cyprian. ep. 57.

nus, qui Valerianum in eos ita accendit, ut proposito edicto Episcopis et Presbyteris, si Diis sacrificare nollent', exilium indiceret, et conventus religiosos vetaret. Cum autem Christiani non paruissent, post unius anni intervallum aliud ferale edictum publicavit, quo Christiani, imprimis Episcopi et Presbyteri perimi, aliisque exquisitis poenis adfici jubebantur. Imperator a Sapore rege captus, eidem Sapori equum ascendenti scabelli instar servire debuit. Tandem pelle sibi vivo detracta sale conspersus periit. Passi sunt sub Valeriano Stephanus et Sixtus RR. PP., Laurentius diaconus, S. Cyprianus, et plures alii (*a*).

Valeriani filius Gallienus non tantum Christianis pacem concessit, verum etiam eorum praefectis facultatem dedit, munus suum secure obeundi, fundos, oratoria ac coemeteria recuperandi (*b*).

Aurelianus a. 270 ad imperii solium evectus, integro quadriennio Christianis utcumque pepercit; verum quinto et ultimo imperii sui anno pacem turbare tentavit. Inter initia furoris sui justitia divina ei vitam ademit. — Sub sequentibus imperatoribus, nimirum sub Tacito, Probo, Caro, Carino, Numeriano et Apro Christiani tranquillitate fruebantur (*c*).

Anno 284 a militibus salutatus fuit imperator Diocletianus, Salonae in Dalmatia natus. Is primis imperii sui annis adeo miti et benigna fuit in Christianos voluntate, ut eos passim provinciis praeficeret, ab officio sacrificandi praefecturae adnexo dispensaret, in ipso palatio eos religionem exercere, et templa aedificare pateretur. Hoc tamen non ita intelligendum est, ac si Christiani toto illo tempore ne quidem per transennam fuerint vexati. Ut enim Diocletianus erat superstitioni deditus, in partibus Orientis agens pecudes immolavit, et in earum jecoribus ventura quaesivit. Cum Christiani praesentes essent, et signo Crucis sese munirent, Sacrificuli asseruerunt, ob homines profanos in illis solita non apparere signa. Imperator itaque ira concitatus omnes, qui in palatio essent, sacrificare, et si detrectassent, verberibus castigari, imo milites quoque ad nefanda sacrificia cogi, et qui non paruissent, militia solvi jussit (*d*).

Ast longe infensiorem Christianis animum prae se tulit Maximianus Herculeus a. 285 imperii collega a Diocletiano adscitus, qui Mediolani residens partem imperii occidentalem rexit. Is cum exercitum duceret in Galliam ad seditionem ibi

(*a*) Euseb. H. E. l. 7. c. 10. Cyprian. ep. 82. Ruinart. Act. MM.
(*b*) Euseb. H. E. l. 7. c. 13. (*c*) Euseb. l. 7. c. 30.
(*d*) Euseb. H. E. l. 8. c. 1. Lactant. de mort. persecut. c. 10. p. 85.

exortam compescendam, in partibus Valesiae ad lacum Lemannum legionem Thebaeam, cujus dux erat S. Mauritius, Diis sacrificare recusantem prius decimari, dein totam legionem trucidari jussit. Exstat hodiedum in praefata planitie aedicula S. Mauritio ejusque sociis sacra (*a*).

In pejus Christianorum res abierunt, ex quo Diocletianus duos etiam Caesares adsciverat, Maximianum uempe Galerium, cognomento Armentarium, et Constantium Chlorum, quorum prior Sirmii in Pannonia, posterior ordinarie Augustae Trevirorum in Gallia residebat. Siquidem Maximianus Armentarius, natura saevus ac superbus, nec non a matre sua Rumelia instigatus, Diocletianum socerum suum urgere non destitit, donec a. 303 edictum illi extorserit, quo Christiani privilegiis ac juribus omnibus privari, templa Christianorum dirui, et eorum libri sacri comburi jubebantur. Dicunt, imperatorem poenam capitis libros tradere nolentibus irrogari sivisse, ut adeo non deessent inter Christianos, quibus vita libris suis carior videretur, dicti propterea *Traditores*, et a Fratribus suis ceu Apostatae considerati. — Ingravescebat autem Diocletiani odium adversus Christianos, cum non ita diu post imperiale Palatium Nicomediae duplici incendio conflagraret, cujus auctores Christianos esse, imperator credulus jam non dubitabat. Is itaque omnium ordinum ac aetatum Christianos Nicomediae tormentis excruciari, plurimosque tamquam incendiarios torreri jussit. Orta in Armenia et Syria sub idem fere tempus seditione, illiusque culpa denuo in Religionis Christianae ministros collata, imperator secundum emisit edictum, quo omnes Christi ministros in vincula conjici mandavit. Sequebatur mox tertium edictum, quo praecepit, ut omnes captivi poenis et cruciatibus ad sacrificandum cogerentur. Hinc magna multitudo virorum sanctorum per omnes romani imperii provincias atrocissimis suppliciis e medio tollebantur, alii membris truncati et mutilati ad metalla damnabantur. Tandem Diocletianus, instigante Armentario, quartum edidit decretum, quo omnes omnino Christianos ad cultum Diis exhibendum sub gravissimarum poenarum interminatione adegit. Quum persecutio haec non tantum acerbissima esset, sed etiam per decem annos duraret, sequitur, permultos Christianos martyrii palmam consecutos fuisse. Innumerabiles martyres occubuisse vel ex eo patet, quod Diocletianus cuso numismate gloriatus fuerit, se Re-

(*a*) S. Avitus Episcopus Viennensis orat. de SS. Martyribus Agaunensibus. S. Eucherius Episcopus Lugdun. apud Ruinartum Acta SS. Febr. T. III.

ligionem Christianam in toto suo imperio eradicasse. Meliorem tamen sortem experti sunt Christiani in Gallia sub Constantio Chloro; nam ait Lactantius: « vexabatur universa terra, ac praeter Gallias ab Oriente usque Occidentem tres acerbissimae bestiae saeviebant (*a*). »

Cum anno 305 ambo Augusti Diocletianus et Herculeus imperio sese abdicassent, persecutio in Oriente sub novo Augusto Galerio Armentario, et Caesare Maximino Gaza aestuare non destitit, in Gallia et Hispania ex toto quievit sub Constantio Chloro, atque in Africa et Italia sub Caesare Julio Severo saltem remisit. Mortuo a. 306 Constantio Chloro, illius filius Constantinus non tantum Christianis Galliae et Hispaniae plenam cultus divini libertatem concessit, sed ambo quoque Augusti Maxentius et Maximianus vexationi Christianorum in Italia et Africa finem imposuere. In Oriente quidem persecutio a. 311 per edictum Galerii Armentarii rescissa est, attamen non ita diu post Maximinus in Oriente Asiatico novam Christianis persecutionem intentavit. Cum autem Constantinus devicto Maxentio, (an. 312) solus Occidenti praesset una cum Licinio Orientis europaei rectore primo omnium religionum tolerantiam sanxit, deinde paulo post (an. 313) aliud peculiare edictum in favorem Christianorum proposuit, quod superato Maximino per universum orbem vim obligantem obtinuit (*b*).

§. 6. *Martyres, eorumque acta et cultus.*

Qui Religionem Jesu Christi sanguine suo obsignarunt, *Martyres*; qui vero alia mala veluti carcerem, bonorum temporalium jacturam, verbera, non tamen ipsam mortem pro Christo pertulerunt, *Confessores* vocati sunt. Quam magnus fuerit primis tribus saeculis Martyrum et Confessorum numerus luculenter patet ex iis, quae de persecutionibus narravimus. Scripta porro documenta, quae Martyrum gesta continent, *Acta Martyrum* appellari consuevere. Genuina acta Martyrum collegit Theodorus Ruinartus Benedictinus Congregationis Maurinae.

Primis Ecclesiae saeculis cultum Martyribus exhibitum fuisse historia testatur, nam ad eorum intercessionem lapsis in persecutione indulgentia et communio ecclesiastica iterum, vel saltem citius, quam alios canones permittebant, concede-

(*a*) Lactant. de mort. persecut. c. 10, 16, c. 18. Euseb. H. E. l. 8. c. 2., et de Mart. Palest.

(*b*) Euseb. H. E. l. 8. l. 9. Lactant. de mort. persecut. c. 24.

batur, in tabulas ecclesiasticas referebatur, eorum nomina recitabantur in Ecclesia, post mortem eorum reliquiae colligebantur, et thesauri instar conservabantur, super eorum tumulis aediculae sacrae erigebantur, eorum Natales seu dies martyrii anniversaria solemnitate celebrabantur (*a*).

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIÆ ET HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ.

§. 1. *Potestas Apostolorum.*

Apostoli non tantum verbum Dei praedicarunt, verum etiam coetus sibi concreditos rexerunt, varias condentes leges, earumque executioni sedulo invigilantes. Talem potestatem rectoriam illis revera tributam fuisse, imprimis eruitur a Matth. 18, 18, ubi Christus eis dixit: « Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo » Ex sacris litteris constat, Apostolos de facto potestatem legislatoriam a Christo sibi concessam exercuisse (*b*). Potestatem hanc spiritualem esse, Christus et verbis et factis docuit; nam Pilato interroganti: « num sit Rex Judaeorum? » respondit: « Regnum meum non est de hoc mundo » (*c*). Nec solum verbis, sed etiam factis docuit, se non venisse, ut rerum temporalium curam ac regimen ullum susciperet, tum, quando aufugit, ne a Judaeis rex eligeretur, tum quando recusavit rerum temporalium judicium (*d*). Apostolos potestate solum spirituali instructos fuisse, etiam ex eo abunde patet, quod Christus iisdem simpliciter potestatem dederit annuntiandi Evangelium, credentes baptizandi, aliaque mysteria dispensandi (*e*).

§. 2. *Primatus S. Petri.*

Intuitu unitatis ecclesiasticae in toto orbe conservandae, Christus prae caeteris Apostolis D. Petro primatum non tantum honoris, sed etiam jurisdictionis concessit. Talem primatum S. Petrum divinitus accepisse ac tenuisse, patet ex Scriptura sacra N. T. (*f*). Ex Actis App. similiter patet, D. Petrum variis occasionibus tanquam Principem Apostolorum se

(*a*) Euseb. H. E. 1, 4. c. 15. S. Cyprian. ep. 34. et 37. S. Gregor. Nyss. in vita Gregorii Thaum. (*b*) Act. 15, 20. I. Cor. 14, 24.
(*c*) Joan. 18, 36. (*d*) Matth. 20, 25. Joan. 6, 15. (*e*) Matth. 28. 19.
(*f*) Matth. 16, 18. Joan. 21, 15.

gessisse, et ceu talem a reliquis Apostolis agnitum fuisse. Sic Petrus in conventu fratrum necessitatem proposuit alium substituendi Apostolum in locum Judae proditoris (a). Petrus omnium primus in festo Pentecostes munus evangelicae praedicationis exordiebatur, primum credentium coetum sacramento baptismatis initiabat (b), primum miraculum patrabat, primam cum Apostolo Joanne ad Samaritanos missionem suscipiebat, Simonem Magum anathemate feriebat, durante persecutione Hierosolymitana vicinos fidelium coetus invisebat, et roborabat, primus coelesti excitatus visione primitias gentilismi Jesu Christo lucrabatur (c); pro Petro in carcere detento tota Ecclesia orabat; primus in Concilio Hierosolymitano sententiam ferebat (d). Ex toto patet Beatum Petrum ab ipso Christo caput totius Ecclesiae constitutum, et ab omnibus agnitum fuisse.

§. 3. *Petri successor Romanus Pontifex.*

Quemadmodum Primatus ad unitatem ecclesiasticam conservandam a Christo institutus cum Petro expirare non potuit, ita etiam in alios non transiit, quam in Romanum Episcopum, quia Petrus Romae Episcopatum gessit, et Martyr occubuit. Plura adsunt hac periodo facta historica et Patrum testimonia quibus edocemur, Primatum in Romano Pontifice agnitum fuisse. Sic anno circiter 93 in Ecclesia Corinthiaca grave ortum est dissidium inter Clerum et populum. Corinthii, ut turbato Ecclesiae suae statui subvenirent, non ad S. Joannem Apostolum sibi viciniorem, vel ad alium Episcopum, sed ad Clementem Romanum recurrerunt, qui turbas sedaturus potentissimas ad Corinthios litteras scripsit. Marcion a. 140 a Patre suo ob scelus excommunicatus, ad sedem Apostolicam confugit, ut in communionem reciperetur. Dionysius Alexandrinus, cum a quibusdam haeresis Sabellianae accusaretur, ad Dionysium R. P. fuit delatus. — S. Irenaeus (e) scribit: « Ad Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem oportet omnem Ecclesiam convenire. » S. Cyprianus ep. 54. Petri Cathedram vocat Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est. His multa alia testimonia addi possent, quae vero commemorare nimis longum foret.

(a) Act. 1, 15-26. (b) Act. 8. (c) Act. 10. (d) Act. 12. et 15. (e) Lib. 3. adv. haeres. c. 3.

§. 4. *Doctores ab Apostolis instituti.*

Apostoli in coetibus a se fundatis Doctores et Ministros constituerunt, qui eadem, ac illi potestate praediti, praedicatione verbi divini, et sacramentorum administratione animas hominum fidelium pascerent, eaque omnia disponerent, quae ad regnum Dei spectant. Rem se ita habere, SS. Litterae demonstrant. Sic Apostoli constituerunt septem Diaconos, et orantes eis manus imposuerunt (*a*). Saulus et Barnabas fuerunt segregati in opus, ad quod eos assumpserat Spiritus S. (*b*). Denique Paulus et Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias Presbyteros (*c*.) Patet fuisse jam in Ecclesia Apostolica doctores et auditores, atque discrimen inter *Clericos* et *Laicos* jam tunc locum habuisse. Haec autem distinctio non erat mere arbitraria, et a Clericis usurpata, sed peculiari ordinatione nitebatur, quae dignitatem et gratiam complectebatur et complectitur, uti ex verbis Divi Pauli ad Timotheum (*d*) eruitur, « Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri. » Huic porro asserto tota retro traditio ecclesiastica suffragatur. A temporibus Clementis Romani et Ignatii M. uti inter varias Clericorum classes, ita inter Laicos et Clericos essentiale discrimen factum fuisse, testatissimum est (*e*).

§. 5. *Eorum gradus.*

Insigni in Hierarchia ecclesiastica dignitate gaudent Episcopi, veri Apostolorum successores, a Spiritu S. positi, regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo (*f*). Episcopos praecipua et eminentiori supra Presbyteros potestate gavisos fuisse, testimoniis evincitur adeo firmis, ut nulla ratione enervari possint. Sic, ut e sacris Litteris exordiar, S. Paulus Timotheum monet: « adversus Presbyteros accusationem noli accipere, nisi sub duobus vel tribus testibus » (*g*), quae monitio judiciariam Antistitis potestatem in Presbyteros supponit. Item Apostolus declarat, se Titum Cretae reliquisse, ut ea, quae desunt, corrigat et constituat Presbyteros per civitates (*h*); et alibi, eundem Titum jubet, ut fideles arguat cum omni imperio. — Eandem porro Episcoporum supra Presbyteros eminentiam egregie confirmant Patrum antiquissimorum, puta Clementis R. Ignatii M. aliorumque testimonia (*i*).

(*a*) Act. 6. 6. (*b*) Act. 13, 2. (*c*) Act. 14, 12. (*d*) Ad Tim. l. c. 4, 14.
(*e*) Clemens R. ep. ad Cor. S. Ignatius M. ep. ad Magnes.
(*f*) Act. 20. (*g*) I. Tim. 5. 19. (*h*) I. Tit. c. 5. (*i*) Clemens R. ep. 1. ad Cor. c. 40. S. Ignatius M. ep. ad Magnes.

§. 6. *Episcoporum potestas. — Metropolitani.*

Episcopi praecipui erant coetuum suorum Rectores et Pastores. Illorum erat docere, admonere, sacra administrare, Clero invigilare, totumque coetum salubribus legibus ad sanctitatem perducere. — Quae ipsi peragere non poterant, Presbyteris peragenda committebant, eorumque consiliis in causis majoris momenti utebantur, siquidem illi senatum Ecclesiae constituebant. Lites etiam plebis adversus Presbyteros aliosque Clericos decidebant. Auctis Ecclesiae limitibus, jactum est fundamentum districtuum ecclesiasticorum, qui primo *Parochiae,* deinde *dioeceses* dicebantur. Plures eorum, quibus Episcopus urbanus novorum coetuum administrationem committebat, *Chorepiscopi* nominabantur, seu Episcopi ruris τυς χῶρας ἐπυσχοπον, forenses Episcopi vicarii, quorum prima mentio occurrit in epistola Patrum Antiochenorum contra Paulnm Samoratenum congregatorum (*a*).

A sua origine omnes Episcopi, salvis in omnibus juribus Primatus, erant independentes et aequales. Verum sublata paulatim hac Episcoporum aequalitate, orta sunt jura Metropolitanorum. Metropolitanus Episcopus proprie is est, qui in Metropoli residet; seu in urbe primaria, et idcirco totius provinciae curam gerit. Systema Metropolitarum, cujus fundamenta sat mature jacta fuere, lapsu temporis perpolitum et auctoritate Synodorum firmatum fuit. Inter omnes autem Metropolitas principem locum tenebant: *Romanus, Alexandrinus,* et *Antiochenus* propter singularem observantiam, qua ab omnibus colebantur, eminentiae sedis ipsorum intuitu, cum vel esset Ecclesia mater, vel singulariter ex antiqua praescriptione venerata. Hi vocabantur *Metropolitae Majores* (*b*).

§. 7. *Diaconi et Diaconissae.*

Post Presbyteros in hierarchia ecclesiastica locum occupant Diaconi, quibus instituendis occasionem praebuere dissidia Hierosolymis orta inter viduas Hebraeorum et Hellenistarum (*c*). Ut hisce dissidiis finem imponerent Apostoli fidelibus congregatis proposuerunt, ut septem viros eligerent Spiritu S. et sapientia plenos. Electi fuere Stephanus, Philippus, Prochorus, Nichanor, Timon, Parmenas et Nicolaus, quos Apostoli oratione et impositione manuum non solum ad mini-

(*a*) S. Ignat. M. ep. ad Ephes., Euseb. H. E. l. 7. c. 20. (*b*) Petrus de Marca concord. Sacerd. et imp. l. 6. c. 1. Bingham. orig. eccl. vol. 1. (*c*) Act. c. 6.

sterium mensae, sed etiam ad functiones sacras initiarunt. Eos sacras reapse obiisse functiones ex Actibus App. (*a*) intelligitur, ubi narratur, Stephanum praedicasse, et Philippum Samaritanis baptismum contulisse. — Praeter Diaconos etiam Diaconissas fuisse in primaeva Ecclesia ex epistolis S. Pauli (*b*) eruitur. In epistola ad Romanos Paulus commendat Phoebem, quae erat in ministerio Ecclesiae Cenchrensis, in altera ad Timotheum dotes praescribit, quibus eas ornatas esse oportebat. Vocabantur Diaconissae, quia eorum functiones functionibus Diaconorum similes erant. Earum officium fuit cathecumenas rudimentis fidei imbuere, baptismi aquis immergere, atque ita pudori consulere (*c*).

§. 8. *Ministri inferiores.*

Praeter ordines sacros hucusque recensitos, alios quoque minores saeculo tertio Ecclesia instituit. Ex his erant Subdiaconi sive Hypodiaconi, primum in Ecclesia Romana sedente Cornelio Papa, instituti. Ex antiquissimis monumentis constat, eos debuisse Diaconos sublevare, vasa sacra pro altari praeparare, litteras ad alias Ecclesias perferre, ab aliis Ecclesiis missas in publico conventu legere, pallas et corporalia abluere etc. (*d*).

Inferioribus ministris etiam adnumerabantur *Acolythi*, a quibus cerei deferebantur. *Exorcistae*, quibus cura commissa erat ab energumenis malos spiritus depellendi; *Lectores*, quorum munus erat libros sacros in publico conventu legere; *Ostiarii*, qui debebant claves Ecclesiae custodire, portas aperire et claudere, aditum poenitentibus et infidelibus denegare, et cuilibet in Ecclesia locum suum adsignare (*e*).

§. 9. *Modus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas.*

Quoad modum attinet ad dignitates ecclesiasticas perveniendi Christus nihil praecepit, neque Apostoli in assumendis ministris semper eandem rationem sequuti sunt. Nam Mathias per sortem electus est. Septem Diaconi fuere a coetu fidelium electi, et ab Apostolis constituti. Crescente fidelium multitudine, Apostoli pro sua auctoritate Antistites designarunt. Ita Paulus ordinavit Titum et Timotheum, Joannes plures Episcopos in Asia, Petrus Anthiochiae et in aliis Ecclesiis

(*a*) C. 6. 7. c. 8.12. (*b*) Rom. c. 16,1. et I. Timoth. c. 5. (*c*) Matthias Zimmermann. (*d*) Ep. Cornelii P. ad Fabium Antioch. Epist. S. Cyprian. 78. Const. Ap. l. 8. (*e*) Ep. S. Cornel. apud Euseb. H. E. l. 6. c. 43. S. Cyprian. ep. 42. et cet.

Antistites constituit. Idem fecerunt reliqui Apostoli, prout testatur Clemens Romanus (*a*). Tardius de regula peragebatur electio Antistitum a Clero, in quam populus quoque suum dabat suffragium. Rem vero totam moderabatur Metropolita et Synodus provincialis, cujus erat electionem approbare, et electum consecrare (*b*).

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Patris Ecclesiae notio.*

Scripta Evangelistarum et Apostolorum jam alibi commemoravimus. Post aevum Apostolorum causam Religionis et Ecclesiae scriptis suis egregie promoverunt Sancti Ecclesiae Patres. Ut aliquis Ecclesiae Pater nominari queat, sequentia habere debet requisita: 1. Sanctitatem vitae. 2. Doctrinam in rebus divinis. 3. Antiquitatem. 4. Ecclesiae approbationem. Qui Apostolos habuerunt Magistros, *Patres Apostolici* vocantur. Illi vero, quibus deest unum ex supra dictis requisitis, *Scriptores ecclesiastici* appellari consuevere. Patrum aetas clauditur cum Sancto Bernardo.

§. 2. *Patres Apostolici saeculi I.*

Patres Apostolici ex ipso Apostolorum ore praecepta sua hauserunt. Inter hos princeps facile est Clemens Romanus, tertius post D. Petrum Romanae Ecclesiae Praesul, a Trajano, uti fertur in Chersonesum exul missus, atque anchora ad collum alligata in mare demersus. Sub nomine illius duae exstant epistolae ad Corinthios scriptae ad tollendum inter Corinthios dissidium. Reliqua opera eidem adscripta, sunt supposita (*c*).

Barnabas probabilius ex ordine 70 discipulorum, S. Pauli familiaris et comes individuus, eximiis laboribus pro Christo praestitis inclytus. Extat sub ejus nomine epistola graece scripta, quae si non sit illius, saltem ad primum saeculum refertur (*d*).

Ad Patres Apostolicos quoque refertur Hermas, Apostoli Pauli forte discipulus, sub cujus nomine extat opus

(*a*) Ep. 1. ad Corinth. (*b*) Act. 1. 23. 6, 5. 1. Tit. 3. Euseb. H. E. l. 2. c. 1. etc. (*c*) S. Irenaeus l. 3. adv. haeres. Niceph. H. E. l. 3. (*d*) Act. 9, 26. 27. Euseb. H. E. l. 3.

Pastor inscriptum, et in tres partes divisum, quorum prima *visiones*, secunda *praecepta*, tertia *similitudines* continet.

§. 3. *Patres Apostolici saeculi II.*

S. Ignatius Martyr, S. Joannis discipulus, Evodii in sede Antiochena successor, Theophorus cognominatus, qui cum omni fide munus suum administrasset, reique Christianae consuluisset, tandem pro votorum suorum summa, Trajano in Christianos saeviente, Romam abductus, ibique leonibus objectus martyr occubuit anno circiter 116. In itinere Romano septem scripsit epistolas, quas genuinas agnoverunt SS. Patres, nimirum ad Ephesios, ad Magnesios, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphios, ad Smyrnaeos et ad S. Polycarpum.

S. Polycarpus, S. Joannis discipulus, et Episcopus Smyrnensis, ab ipsis Apostolis ordinatus, quem veteres tradunt Romam iter fecisse, tantoque veritatis studio flagrasse, ut sub M. Aurelio Antonino, cum Asia maximis persecutionum procellis agitaretur, martyrio fuerit coronatus anno circiter 169. Sancti Martyris cineres Smyrnenses Christiani pie collegerunt, et veluti auro gemmisque pretiosiores coluerunt. Plures scripsit epistolas, sed unica tantum ad Philippenses data ab interitu vindicata est (*a*).

Papias, verosimiliter S. Joannis discipulus, Episcopus Hierapolitanus in Phrygia, Martyris honore auctus, scripsit quinque libros de explanatione oraculorum dominicorum, de quibus hodie nihil praeter fragmenta supersunt (*b*).

Dionysius Areopagita, a S. Paulo ad Religionem Jesu Christi conversus, primus Atheniensium Episcopus ordinatus ibidem ob fidei confessionem ignis supplicio affectus. Eundem in Galliam venisse, atque munia episcopalia gessisse, perperam a quibusdam asseritur. Sub nomine illius varia circumferuntur scripta: de hierarchia coelesti, de hierarchia ecclesiastica, de divinis nominibus, de theologia mystica, et epistolae nonnullae; sed supposita illa esse, et ad saeculum IV. aut V. pertinere apud omnes hodie in confesso est (*c*).

§. 4. *Ecclesiae Patres et Scriptores saeculi II.*

S. Justinus M. in civitate Samariae ex ethnicis parentibus natus anno circiter 100, philosophiae studio addictissimus,

(*a*) Epist. Eccl. Smyrn. de Martyr. S. Polycarpi, Euseb. H. E. l. 4. c. 15. (*b*) Iren. l. 3. adv. haeres. Euseb. H. E. l. 3. c. 39. etc.
(*c*) Act. 7. 34. Euseb. H. E. l. 3. c. 4.

qui delibatis omnium philosophorum scholis, denique sapientiam platonicam ceteris antiquiorem habuit. Cum autem aliquando in solitudinem se contulisset, et locum mari proximum petiisset, senex quidam ad illum accessit, venerabilem praeseferens habitum, qui amice illum allocutus, egregias Prophetarum, veluti omnibus philosophis excellentiores laudes celebravit. Quo audito Justinus nobili ardore succensus, veram Christi sapientiam adamare et sequi coepit. Varia postmodum itinera ingressus, sub Antonino Pio Romam pervenit, ibique aliquandiu moratus, in Asiam rediit, et colloquium cum Triphone Judaeo habuit; verum altera vice Romam profectus, sub M. Aurelio, agente Crescente philosopho, martyrii palmam consecutus est anno 163 gladio percussus. Inter Justini M. vera et genuina scripta locum suum habent: 1. Duae Apologiae ad Antoninum Pium, et M. Aurelium exaratae. 2. Dialogus cum Triphone Judaeo; 3. Paraenesis et oratio ad Graecos; 4. Liber de monarchia Dei. Reliqua sunt vel spuria vel dubia (a).

S. Irenaeus circa annum 120 Smyrnae piis et Christianis parentibus natus, Polycarpi et Papiae discipulus, ex Asia in Galliam venit, et in ecclesia Lugdunensi prius Presbyteri, dein mortuo Pothino Episcopi munere functus, quod munus non tantum verbis et vitae sanctitate, sed etiam ingenii monumentis egregie exornavit (177-202.) Ex his supersunt libri quinque adversus haereses, quorum primo haereticorum errores a Simone Mago usque ad Tacianum recenset, sequentibus vero quatuor eos sacrae Scripturae et Traditionis auctoritate refellit. Multa alia opera scripsit, quae ad nos non pervenerunt. Imperante Severo martyrii palmam adeptus est.

Athenagoras, primum scholae Atheniensis philosophus, et lectione Scripturae sacrae ad lumen veritatis conversus, celeberrimus scholae Alexandrinae Magister, scripsit legationem pro Christianis ad imperatores M. Aurelium Antoninum, hujusque filium L. Aurelium Commodum, et librum de mortuorum resurrectione.

Claudius Apollinaris, Hierapolitanus Episcopus, posteritati reliquit: 1. Volumen pro fide Christianorum ad M. Antoninum Verum; 2. Libros quinque adversus gentes. 3. Libros duos de veritate contra Judaeos; 4. Epistolas contra Montanistarum haeresim; 5. Librum de Paschate.

Milsiades eodem fere tempore Apologiam scripsit pro Christianis ad imperatorem M. Antoninum et Lucium. Praeter Apologiam alios itidem composuit libros contra gentes, Judaeos et Montanistas, qui omnes perierunt.

(a) Euseb. H. E. l. 4. c. 16., Ruinart. Act. Mart.

Theophilus ex Ethnico Christianus et Ecclesiae Antiochenae Episcopus, (a. 157) varia reliquit opera; per injuriam temporis autem nihil ad nos pervenit, praeter tres libros ad Autolycum, qui tunc ethnicae superstitioni addictus erat. Dicunt, Theophilum primum fuisse, qui nomine Trinitatis et generationis usus est.

§. 5. *Ecclesiae Patres et Scriptores saeculi III. Latini.*

S. Cyprianus Carthaginensis, ethnicis parentibus et senatoria dignitate conspicuis ortus, rethorices magister, opera Thassii Coecilii presbyteri, cujus idcirco nomina sua adjunxit, ad Christum conversus, a Donato Episcopo presbyter ordinatus, eidem in Episcopatu Carthaginensi successit, quo in munere zelo et disciplinae ecclesiasticae studio eminuit. Sub initia Decianae persecutionis populi clamoribus exagitatus et ad leones quaesitus, fugam arripuit, ut hostium impetum devitaret. Sopita autem persecutione Carthaginem rediit, et varios conventus celebravit. Demum a. 255 sub imperatore Valeriano ad capitis supplicium tractus, vitam pro Jesu Christo profudit. Scripta reliquit partim apologetico-polemica, partim moralia. Prioris generis sunt: 1. Liber de idolorum vanitate; 2. Libri tres testimoniorum adversus Judaeos. Posterioris generis sunt libri: de oratione dominica; de mortalitate; de bono patientiae; de coelo et livore; de opere et eleemosynis; de habitu virginum; de lapsis; de gratia Dei ad Donatum; de unitate Ecclesiae; liber ad Demetrianum et epistolae multae in negotio religionis scriptae.

Quintus Septimius Floreus Tertullianus, ortu Carthaginensis, centurionis proconsularis filius, ethnicus olim, postea ad sacra Christiana conversus; et in ordinem presbyterorum adscriptus, qui tandem in provecta aetate deflexit ad sectam Montanistarum, et in ea circa annum 220 obiit. Ex pluribus scriptis, quae exaravit, sequentia ad nos pervenerunt: 1. Liber apologeticus; 2. De testimonio animae; 3. De spectaculis vitandis; 4. De idololatriae crimine; 5. De corona militis; 6. De poenitentia; 7. De oratione; 8. Liber ad martyres; 9. Liber de poenitentia; 10. Duo libri de cultu foeminarum; 11. De virginibus velandis; 12. Duo libri ad uxorem; 13. Liber adversus Judaeos; 14. De praescriptione contra haereticos; 15. De baptismo; 16. De exhortatione castitatis; 17. Libri quinque contra Marcionem; 18. Liber adversus Valentinianos; 19. Liber contra Praxeam et Hermogenem; 20. Liber contra Gnosticos, Scorpiacus dictus; 21. Ad Scapulam, Africae Proconsulem, in Christianos saevientem; 22. De anima; 23. De carne Chri-

sti; 24. Do resurrectione carnis; 25. De pallio; 26. Duo libri ad nationes. — Scripsit porro quatuor alios, Catholicis oppositos, cum jam in Montanistarum luto haereret, videlicet: 1. De jejuniis; 2. Librum de pudicitia; 3. De fuga in persecutione; 4. De monogamia.

Minutius Felix, probabilius Afer, insignis fori romani causidicus, ad religionem Christianam conversus, dialogum reliquit *Octavius* inscriptum, in quo gentilium sacra, quibus ipse prius addictus erat, erudite refellit, et verum Dei cultum, veramque Christianorum pietatem vindicat. Inscriptio dialogi hujus desumpta a principe colloquente Octavio Januario. Tres enim sunt colloquentes: Caecilius Natalis idololatriae defensor et Christianorum accusator: Octavius, qui pro Christianis dimicat, et ipse Minutius Felix, qui inter duos disputantes arbitri partes implet.

Hyppolitus, Episcopus Portuensis, forte ad ostia Tiberina, imperante Alexandro vivens, martyriique laurea condecoratus, multa eruditionis monumenta composuit, temporis edacitate absumpta, si excipias librum de antichristo, canonem paschalem, in statua marmorea, quae a. 1551 ad urbem Romam effossa fuerat, graece et latine descriptum, et nonnulla fragmenta, quae tum in editis libris, tum in codicibus manuscriptis habentur (*a*).

Arnobius, in Africa natus, ibidemque Siccae Rethorices praeceptor, in fine saeculi III inclaurit. Scripsit septem libros adversus gentes, in quibus ethnicismum impugnat.

§. 6. *Ecclesiae Patres et Scriptores saeculi III. Graeci.*

Clemens Alexandrinus, ethnicus primum, deinde sacra christiana amplexus, vir eximiis dotibus ornatus, qui, sub ductu Pantaeni divinioribus litteris ingenium suum rite excoluit, et in celeberrima Alexandrinorum schola praesulis et doctoris munus obiit; verum propter persecutionem imperatoris Severi Alexandria digressus, varia instituit itinera, consumptoque Hierosolymis et Antiochiae aliquo tempore, Alexandriam rediit, suamque mortalitatem finiit anno circiter 220. — Inter opera illius, quae hodie adhuc supersunt, haec locum habent: 1. Cohortatio ad gentes, qua idololatriam impugnat; 2. Libri tres paedagogi, quibus de piis et sanctis moribus praecipit; 3. Libri octo Stromatum, seu tapetum structurarum octo libris deductum, quod ipso Clemente interprete, inde nomen traxit, quod ex omni eruditione varie contextum

(*a*) Euseb. H. E. l. 6. c. 10.

est. Priores septem libri complectuntur comparationem philosophiae ethnicae cum doctrina christiana, simulque haereticorum errores explodunt. Liber octavus more dialectico in definitionibus, demonstrationibus et causis versatur; 4. Commentatio inscripta: « Quis dives salvabitur ? » — Inter alia Clementis opera temporum injuria perierunt octo libri hypothyposeon, in quibus breviorem utriusque Testamenti enarrationem instituit (a).

Omnes viros doctos saeculi III. ingenio et eruditione superavit Origenes, ab indefesso studio *Adamantius* dictus, anno 185 Alexandriae natus, Leonidis Martyris filius, Ammonii in philosophicis, Clementis Alexandrini in theologicis discipulus, qui puer adhuc tanta martyrii cupidine flagravit, ut ad certamen ultro prosilire gestiret, jam mors proxima illi immineret, quem tamen impetum mater, abscondita omni illius veste, cohibuit. Litteris satis instructus, ut suam et matris viduatae extremam penuriam sublevaret, alios erudire coepit, iisque praecipue grammaticas disciplinas tradidit. Relicta grammaticae docendae provincia, ad scholam catecheticam, quae Alexandriae florebat, se contulit, ac Clementi Alexandrino in munere docendi successit, cum octo et decem annos natus esset. Quo in munere, ut omnis vis libidinis extingueretur, semetipsum mutilavit ac eunuchum fecit, perperam interpretatus Christi verba: « sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum » (b). Viri hujus celebritas brevi tempore ita percrebuit, ut in pluribus majoris momenti causis in partem consilii vocaretur, variaque itinera ingrederetur. Ita Origenes, ut alia taceam, in Acajam negotii cujusdam ecclesiastici conficiendi causa evocatus, imperatore Caracalla, Caesaream in Palestina petiit, et ab illius regionis Episcopis Theoctisto Caesareaensi et Alexandro Hierosolymitano presbyter ordinatus est anno 228. — Quod Demetrius Alexandrinus Praesul adeo aegre tulit, ut coacta Synodo Originem honore Sacerdotis privaret, et Alexandria pelleret. Derelicta igitur Alexandria a. 231, ex una dioecesi in aliam vagabundus ferebatur, non tantum libris componendis, verum etiam aliis erudiendis intentus. Saeviente in Christianos Decii persecutione, carceri mancipatus, gravissimos cruciatus constanti animo tulit, donec mortuo Decio vinculis solutus, in pristinam restituebatur libertatem. Tandem Tyri obiit a 254, imperantibus Gallo et Volusiano. — Scripta illius omni memoria digna sunt: 1. Biblia V. Testamenti tetrapla, hexapla, octapla, quibus diversas V. T. versiones exhibet; 2. Quatuor libri

(a) Euseb. H. E. l. 6. c. 13. (b) Matth. 19.

περιαρχῶν, seu de principiis fidei; 3. Octo libri contra Celsum; 4. Multae homiliae, adnotationes et commentarii, quibus Scripturam sacram illustravit; 5. Liber de oratione; 6. Sermo exhortatorius ad Martyrium, scriptus Maximino imperante ad Ambrosium et Protectum (a).

Inter Origenis auditores praecipuam sibi laudem conciliavit S. Gregorius Thaumaturgus, ethnicis quidem parentibus Neo-Caesareae natus, verum duce Origene cognitione christianae Religionis imbutus, tantoque illius zelo succensus fuit, ut non solum Christo nomen daret, sed etiam Episcopus Neo-Caesaraensis consecraretur. Quo in officio boni pastoris partes adeo zelose implevit, ut communis invalesceret opinio, tempore electionis Gregorii septemdecim Christianos Neo-Caesareae numeratos fuisse, tempore autem mortis illius septemdecim tantum gentiles. Multa miracula ab illo patrata fuisse, veteres passim tradunt. Ex scriptis S. Gregorii ad nos pervenerunt: 1. Panegyris Origeni dicta; 2. Metaphrasis in Ecclesiasten; 3. Expositio fidei de Trinitate, quem divinitus illi patefactam fuisse refert S. Gregorius Nyssenus; 4. Epistola canonica ad Episcopum quemdam Ponti.

Dionysius Alexandrinus, a graecis Patribus Magnus appellatus, ethnicus olim, deinde ad Christum Origenis probabilius opera conversus, et Presbyter ordinatus, Alexandriae primum scholae catecheticae praefuit, et anno 248 post obitum Heraclae, praesulis Alexandrini dignitate ornatus est. Ex multis scriptis, quae composuit, solum ejus superest epistola ad Basilidem Episcopum Pentapolitanum, ideo canonica dicta, quod ejusdem cum canonibus Ecclesiae auctoritatis reputaretur (b).

S. Methodius, Tyri Episcopus, vir valde eruditus ac pius, eorum facile primus, qui Origenem, editis libris impugnarunt, saeviente Diocletiana persecutione martyr factus, variis simul monumentis rem christianam promovere est conatus, quorum pars maxima interiit, et paucae tantum reliquiae supersunt. Ita tribuuntur illi: 1. Libri adversus Porphyrium; 2. Dialogus de castitate, sive symposium virginum; 3. Opus de resurrectione adversus Origenem; 4. Commentarii in Genesim, et Cantica canticorum; 5. Dialogus decem Virginum de castitate (c).

Julius Africanus, Nicopolitanus in Palestina Episcopus, mortuus anno circiter 222, varia scripta reliquit, quorum tamen fragmenta solummodo restant. In illis principem locum

(a) Euseb. H. E. l. 6. et 7. (b) Euseb. H. E. l. 6. l. 7. S. Hieronymus de vir. ill. (c) S. Hieron. de vir. illustr. Leo Allatius.

tenent: 1. De chronographia libri quinque, ab orbe condito usque ad annum Chr. 221; 2. Epistola ad Origenem de historia Susannae.

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Fontes doctrinae Catholicae.*

Ex SS. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum operibus discimus quid primaeva Ecclesia docuit et didicit. Primarius doctrinae catholicae fons fuit semper Scriptura Sacra V. et N. T., quam ceu divinitus inspiratam, et hominibus summe necessariam antiquissimi Patres celebrarunt. Ita Clemens Romanus Corinthios admonet, ut inspiciant Scripturas, Spiritus S. vera oracula (*a*). Clemens Alexandrinus (*b*), Scripturas S. praedicat divinitus inspiratas. Item Tertullianus (*c*), S. Cyprianus (*d*), Origenes (*e*) non tantum divinam S. Scripturae originem confitentur, verum etiam illius saluberrimam lectionem impense commendant.

Praeter Scripturam S., traditiones quoque divinas, continua successione in Ecclesia conservatas, ceu alterum doctrinae catholicae fontem semper venerati sunt antiquissimi Ecclesiae Patres. Ita S. Irenaeus gnosticis traditionem opponit Ecclesiae Romanae (*f*). Tertullianus in libro de praescriptione adversus haereticos c. 19. dicit: « contra haereticos non esse ad Scripturas S. provocandum, sed quid docuerint Apostoli per Ecclesiae ab ipsis conditas probandum. » Idem docuerunt Clemens Alexandrinus(*g*), Origenes (*h*) et plures alii. Exinde colligere est, Verbum Dei sive scriptum sive traditum, a primaevis Ecclesiae doctoribus ceu fontem Religionis agnitum fuisse. Extant quoque symbola, quibus summa Religionis capita repraesentantur, quaeque in *publica* et *privata* dividuntur. Ad publica pertinet symbolum Apostolicum dictum; inter privata refertur illud S. Irenaei (*i*), Tertulliani (*k*), S. Gregorii Thaumaturgi, et Origenis (*l*).

(*a*) Clemens R. Ep. ad Corinth. c. 45. (*b*) Strom. l. 7. p. 894. (*c*) Ep. c. 31. (*d*) De unit. Eccl. (*e*) Lib. de principiis fidei. (*f*) S. Iren. l. 2. contra haeres. (*g*) Strom. l. 4. (*h*) In libris de principiis. (*i*) L. 1. a. 10. adv. haeres. (*k*) Adv. Prax. c. 2. (*l*) Lib. de principiis fidei p. 47.

§. 2. *Ex S. Scriptura et Traditione SS. Patres dogma Religionis hauserunt.*

Explosa Deorum fabulosa genealogia unum Deum, rerum omnium conditorem et conservatorem palam confessi sunt PP. (*a*). Hoc dogma contra Ethnicos egregie vindicarunt Athenagoras (*b*), et Minutius Felix (*c*). Uni Deo adorationis, cultusque religiosi obsequium ab antiquis Christianis delatum fuisse, demonstrant orationes, cantica et hymni quorum usus in Ecclesia antiquissimus est.

Quemadmodum autem unum Deum statuebant, ita tres personas divinas confitebantur, quod colligitur ex administratione baptismatis in nomine *Patris*, et *Filii*, et *Spiritus Sancti.* Hoc idem patet ex Patrum testimoniis (*d*).

Jesum Christum esse verum Dei filium, ejusdem cum Patre naturae ac potentiae, cum ex S. Scriptura, tum ex Patribus evincitur. « In principio erat verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt (*e*). » S. Paulus scribit ad Philippenses (*f*): « Christum Dominum esse aequalem Deo. » Ex Patribus S. Ignatius epist. ad Smyrnenses ait: « Glorifico Jesum Christum Deum. » Idem testantur Clemens Romanus (*g*), et S. Justinus M. (*h*).

§. 3. *De peccato originali, et de satisfactione per Jesum Christum praestita.*

Naturam humanam depravatam, genusque humanum omnis generis calamitatibus obnoxium esse, omnium saeculorum experientia testatur. S. Paulus ad Romanos « Peccatum Adami causam esse dicit, ex qua omnes homines peccato, condemnationi et morti subjecti sint. » A peccato proto-plastorum omnem miseriam etiam Patres repetierunt (*i*).

Christum Dominum vero corpore humano vestitum apparuisse, fusoque sanguine homines redemisse ac Deo reconciliasse, clare docent SS. Literae et SS. Patres. S. Paulus ad Coloss. 1. scribit: « In Christo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. » Ita quoque docent Clemens Romanus (*k*), S. Ignatius (*l*), aliique.

(*a*) S. Cyprianus lib. de vanit. idol. p. 14. (*b*) Legat. pro Christianis c. 7. (*c*) Octav. c. 18. (*d*) S. Ignat. ep. ad Magnes. c. 13. Athenagoras legat. pro christianis. (*e*) Joan. c. 1. (*f*) C. 2. (*g*) Ep. ad Corinthios. (*h*) Apolog. I. (*i*) S. Justin. M. dialog. cum Triphone c. 88., S. Irenaeus l. 5. adv. haeres. c. 20., S. Cyprianus ep. 64. (*k*) Ep. 1. ad Corinthios. c. 7. (*l*) Dialog. cum Triphone.

Septem a Christo Domino Sacramenta instituta fuisse, Ecclesiae doctores testantur. De baptismo Petrus in festo Pentecostes dixit: « Baptizatur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum. » — « Felix Sacramentum aquae nostrae, qua ablutis delictis pristinae caecitatis in vitam aeternam liberamur (*a*). » Eodem modo loquuntur Clemens Alex. (*b*), S. Irenaeus (*c*), et S. Justinus.

Baptizatis Sacramentum Confirmationis administratum fuisse, ut acciperent Spiritum S. in pluribus Actuum apostolicorum locis legimus. Hoc idem confirmant Patres (*d*).

Dogma de Christi reali praesentia in Eucharistiae Sacramento reperitur in Scriptura S. N. T., et in SS. Patrum scriptis. De S. Coena S. Paulus (*e*) ita disserit: « Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. » S. Irenaeus (*f*) scribit: « Sicut granum frumenti..... in panem mutatur, ita panis in Corpus Christi. » Idem testatur S. Justinus M. (*g*). Inde etiam patet primigeniam Ecclesiam credidisse, substantiam panis et vini per consecrationem transire in substantiam carnis et sanguinis Jesu Christi (*h*).

Sacramentum poenitentiae esse medium gratiam post baptismum peccato amissam recuperandi, perspicue tradunt S. Cyprianus (*i*), Tertullianus (*k*), et plures alii.

Extremam unctionem olei infirmis graviter decumbentibus adhibitam, iisdemque salutem, levamen, et peccatorum remissionem tributam fuisse, eruitur, cum ex epist. S. Jacobi (*l*), tum ex Origene (*m*).

Quoad Sacramentum Ordinis attinet, Apostoli, jubente Christo, successores suos delegerunt, et manuum impositione ac precibus ordinarunt (*n*).

Matrimonii tandem ad sacramentalem dignitatem elevati praestantiam egregie defenderunt Doctores Christiani. Testantur S. Ignatius M. et Clemens Alexandrinus, nuptias semper in facie Ecclesiae celebratas fuisse (*o*).

(*a*) Tertull. l. de bapt. c. 1. p. 255. (*b*) Paedag. l. c. 6. (*c*) L. 1. adv. haeres. (*d*) Tertull. l. de bapt. c. 17. S. Cyprianus ep. 73. etc. (*e*) I. Cor. 11. (*f*) L. 5. adv. haeres. c. 2. (*g*) Apolog. I. (*h*) S. Iren. l. 1. c. 3. l. 4. c. 13. (*i*) Lib. de lapsis. (*k*) De poenitentia c. 9. (*l*) C. 5, 14. (*m*) Hom. 2. in Leviticum. (*n*) I. Tim. 4. II. Tim. 1. 6. Tit. 1. 5. Clemens R. ep. ad Cor. c. 42. etc. (*o*) S. Ignatius ep. ad Polycarp. Clemens Alex. l. 3. pedag.

§. 5. *De resurrectione corporum, et de fatis animarum post mortem.*

Quemadmodum inter Judaeos, ita etiam inter Christianos constantem semper fuisse, et universalem fidem in futuram corporum exanimatorum instaurationem, SS. Litterae et historiae monumenta contestantur. Clemens R. (*a*) in vicissitudine diei et noctis, in fructibus e grano seminis progerminantibus, in Phoenice se ipsum libenter funerante et renovante resurrectionis imagines et argumenta se invenire scribit. Idem confitentur Athenagoras (*b*), et S. Irenaeus (*c*). Maximi denique momenti est, quod dogma resurrectionis caput sit symboli apostolici, quodque ab antiquis Christianis loca sepulturae passim *dormitoria* nominentur.

Poenas ab improbis luendas, aeternum duraturas, et praemia justis promissa, finem nullum habitura, praeter S. Scripturam Patres Ecclesiae docuerunt. S. Justinus M. in Apolog. ita scribit: « Cum Deus omnium.... hominum corpora resuscitabit, ac dignorum quidem corpora induet incorruptione; iniquorum autem..... in ignem aeternum mittet. » Eodem modo loquitur Theophilus Antiochenus (*d*).

Dogma Purgatorii, primis Ecclesiae saeculis creditum fuisse, antiqua monumenta extra omne dubium ponunt. Clemens Alexandrinus scribit: « Omnes peccati immunditias judicio ac igne alluendas esse » (*e*). S. Cyprianus ep. 6. « Aliud est ad veniam stare..., aliud pro peccatis... emundari et purgari diu igne. » Tertullianus (*f*) « oblationes pro defunctis... annua die facimus. »

§. 6. *De Ecclesia fidissima verbi divini custode.*

Ecclesiam Jesu Christi ceu verbi divini custodem et magistram infallibilem numquam non agnoverunt SS. Ecclesiae Patres. S. Ignatius (*g*) ita scribit: « Ob id Dominus accepit unguentum, ut Ecclesiae spiret incorruptionem. » S. Irenaeus (*h*) dicit: « Fides quam ab Ecclesia perceptam custodimus, semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescit, et juvenescere facit ipsum vas, in quo est. » Origenes (i) tradit: « Illam solam credendam esse veritatem, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordet traditione. » Plus tamen reliquis omnibus, hanc materiam

(*a*) Ep. 1. ad Cor. c. 24. (*b*) Lib. de resurrect. mort. (*c*) Lib. adv. haeres. c. 2. (*d*) Ad Autol. l. 1. c. 20. (*e*) Strom. l. 4.p.634. (*f*) Lib. de coron. c. 3. (*g*) Ep. ad Ephes. c. 17. (*h*) L.3. adv. haeres. c. 6. (i) L. 1. de princip.

dilucidavit S. Cyprianus (a), qui ita disserit: « Ecclesiae foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est, et pudica; quisquis ab Ecclesia separatus adulterae jungitur, a promissis Ecclesiae separatur. Nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. »

§. 7. *Controversia de legis Mosaicae valore.*

Cum Religionis doctrinae etiam occasione controversiarum propositae fuerint, jam potiores controversiae enarrandae veniunt. Antiquissima est controversia de legis mosaicae valore. Judaei ad Religionem Jesu Christi conversi cum de lege mosaica, tum de circumcisione tam alte sentiebant, ut utramque ad salutem aeternam consequendam necessariam, ac propterea Religioni Christianae jungendam esse putarent. Hinc opinabantur Ethnicos ad Christum conversos debere circumcisionem suscipere, et legem mosaicam observare, ut queant Deo placere et ad portum salutis pervenire. Id factum est praeprimis Antiochiae, ubi gentiles conversi circumcisionis et legis mosaicae onus recusabant. Cum gravis tumultus exoriretur, et ea de re graviter disputaretur, Paulus et Barnabas, Ecclesiae Antiochenae consulturi, cum quibusdam aliis Hierosolymam profecti sunt. Ad hanc igitur litem componendam anno circiter 50, Apostoli et Seniores Concilium Hierosolymis celebrarunt (b). Post varias disputationes D. Petrus Apostolorum princeps, primus in Concilio sententiam suam dixit, illud potissimum urgens: non esse gentilibus neoconversis onus circumcisionis, legisque mosaicae imponendum; cui sententiae cum omnes subscriberent definiverunt: « Visum est Spiritui S. et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis » (c). Hoc decretum scripto conceptum per Paulum et Barnabam, Barsabam atque Silam ad Antiochenos miserunt, ut intelligerent quid Spiritu S. suggerente decreverint. Ita controversiae finis impositus est.

§. 8. *Controversia de regno millenario.*

Inter alias dissensiones celebrior est illa de millenario Christi his in terris regno nata. Erant quippe in ipso Docto-

(a) Lib. de unit. Eccl. p. 109. (b) Act. 15,12-25. (c) Act. 15.

rum coetu, qui palam confiterentur: post resurrectionem mortuorum, Christum in has terras rediturum, et Hierosolymis novam civitatem constituturum, cum in finem, ut pii ibidem sub Christi regimine per mille annos vivant, omnique felicitatis genere perfruantur. Opinio haec, vulgo *Chiliastica* dicta, probabilius inter Judaeos primum efficta, et in dies magis exornata, cum quibusdam tamen modificationibus in Ecclesiam Christianam translata fuit. Ad comprobandam hanc opinionem Chiliastae argumentum suum depromebant ex capite 20, 2 Apocalypseos, ubi Satanas ligandus dicitur per mille annos, et Sancti cum Christo per idem temporis spatium regnaturi. Quam vulgaris primis Ecclesiae saeculis fuerit haec opinio vel ex eo colligitur, quod non solum heraetici, uti Cerinthus, Montanus, sed etiam nonnulli Ecclesiae Doctores eidem faverint. Sic Papias, Hieropolitanus in Phrygia Antistes, edito scripto, cui titulus: « Expositio sermonum Domini, » illam regni millenarii spem aperte defendit. Vestigiis ejus inhaerentes, eamdem de regno millenario sententiam amplexi sunt S. Justinus M., S. Irenaeus, Tertullianus, Lactantius et plures alii. Ex quo autem haec doctrina Montanistarum scholis fuit illata, fieri non potuit, ut viri cordati eam non impugnarent. Eorum facile princeps fuit Cajus Romanae Ecclesiae presbyter, qui conatus est demonstrare eam esse absurdam, sacrae Scripturae contrariam, et ab haeretico Cerintho invectam. Summam Chiliasmi absurditatem etiam Origenes ad vivum probavit (*a*).

Eandem doctrinam saeculo III recoxit Nepos Aegypti Episcopus edito libro, cui titulus: « Castigatio Allegoristarum » in quo docuit, regnum a Christo fundandum mille annos duraturum, et in eo fideles deliciis corporalibus fruituros esse. Libri hujus divulgatio in provincia Arsinoitica homines adeo fascinavit, ut duce Coracione presbytero, a ceteris Christianis, qui opinionem de regno millenario respuebant, se separarent. Hanc scissionem sustulit prudentia Dionysii Alexandrini Episcopi, qui eo profectus, conventum presbyterorum instituit, contra Nepotianos disputavit, atque monendo, demonstrando, exhortando effecit, ut errori simul et factioni valedicerent. In Synodo Costantinopolitana I. Symbolo Nicaeno post illa verba: « et iterum venturus est.... » additum fuit: « cujus regni non erit finis » (*b*).

(*a*) Lib. 2. de princ. (*b*) Euseb. H. E. l. 3.

§. 9. *Controversia de tempore celebrandi Paschatis.*

Vetus Ecclesiarum dissensio quoad celebrandi Paschatis tempus, sub exitum saeculi II. in apertam erupit litem. Christiani Asiatici et alii in Oriente degentes eodem cum Judaeis tempore Pascha celebrabant, nimirum 14 mensis Nisan, in quamcumque ea hebdomadis lucem incideret. At qui Romae, et in aliis Occidentis regionibus Christum colebant, non alia, quam solis die, Paschatis sacra peragenda esse contendebant. Utrique consuetudinem suam Apostolorum auctoritate munire conabantur ita, ut illi adfirmarent, se ritum accepisse a Joanne et Philippo, hi autem ad Petrum et Paulum provocarent, et ab his instituti sui originem repeterent. Referente S. Irenaeo hujus discrepantiae causa, Smyrnensium Antistes S. Polycarpus Romam est profectus, et cum inter alia de tempore Paschatis cum Aniceto Pontifice colloquium habuisset, nec potuisset hic commovere Polycarpum, ut morem Asiaticorum desereret, nec Polycarpus potuisset Aniceto persuadere, ut ritum Ecclesiarum Asiaticarum sequeretur; nihilominus tamen inter utrumque pacis vinculum substitit (*a*).

Saeculo II. ad finem vergente Victor Papa aegre ferens, quod Asiatici morem Ecclesiae Romanae non sequerentur, scripsit ad Polycratem Ephesinum Episcopum, eumque gravissimis verbis hortatus est, ut morem Occidentalium amplecteretur. Literis Pontificis non modice pulsatus Polycrates, indicto Ephesi concilio, consuetudinem firmavit, datisque ad Victorem responsoriis significavit, se ritum antiquum deserere haud posse. Quam ob rem Victor Pontifex, omnes Asiae, vicinarumque provinciarum Ecclesias a communione segregare conatur. Ast S. Irenaeus scriptis, nomine plurium Ecclesiarum apud Pontificem intercessit, ne ob solius disciplinae diversitatem pacem et unitatem Ecclesiarum disrumperet. Lis isthaec sopita quidem est, non autem penitus extincta. Quum enim veteres quaerelae de Asiaticorum more renovarentur, Patres Concilii Nicaeni I. morem Occidentalium peculiari decreto stabiliverunt, a quo tempore contrariae disciplinae fautores in censum haereticorum relati, et nomine Quartodecimanorum notati sunt (*b*).

§. 10. *Controversia de baptismo haereticorum.*

Saeculo III. gravis orta est controversia circa baptisma ab haereticis collatum; quam ob rem Agrippinus Episcopus

(*a*) S. Irenaeus ep. ad Vict. apud Euseb. l. 5. H. E. (*b*) Euseb. H. E. l. 5., Epiphan. haer. 70., Athanasius.

Carthaginensis a. 215 concilium Carthagine convocavit, in quo decretum est: « baptizandos esse, qui ab haereticis ad ecclesiam veniunt. » Progressu temporis, cum eadem quaestio Asiaticorum animos distraheret, et in primis de Montanistarum baptismo dubitaretur, anno circiter 256 in conciliis apud Iconium et Sennada habitis statutum est: « iterandum esse in haereticis ad Ecclesiam accedentibus baptismum; » quem errorem Stephanus Papa, scripta ad Orientales epistola, castigavit (*a*).

Cum anno 256 S. Cyprianus concilium celebraret, a Numidiae Episcopis inter se dissentientibus interrogatus fuit: num Novatianos sine baptismo admittere liceat, nec ne? Quibus S. Cyprianus respondit: « rebaptizandos esse. » Quum vero non omnes hoc responsum probarent, aliud concilium 71 Episcoporum convocavit, in quo definitum est: « baptismum heraeticorum invalidum esse. » Ut huic definitioni majorem conciliaret auctoritatem, S. Cyprianus, missis literis totam rem Stephano Pontifici significavit, qui Africanorum morem proscripsit, inter alia haec rescribens: « Si quis a quacunque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, quod traditum est, nisi ut manus ei imponantur in poenitentiam. » Stephanum baptismum in trium personarum nomine collatum in mente habuisse, ex aliis ejus effatis constat. Africani novas ad Stephanum litteras dederunt, quibus morem suum defendere conabantur. His litteris adeo percellebatur Stephanus, ut acerbius, quam antea, responderet, eisque minaretur. S. Cyprianus a. 256 ex Africa, Numidia et Mauritania 87 Episcopos Carthaginem convocavit ad Synodum, in qua iterum decreverunt, haereticos rebaptizandos esse. Qualem denique finem lis haec habuerit, dijudicatu difficile est. Christianus Lupus, Raymundus Missorius Franciscanus, Liebermann, Nep. Alber, et alii contendunt, totam hanc controversiam vel a Donatistis, vel ab eorum amicis confictam esse. Caeterum S. Cyprianum rem disciplinarem existimasse ex eo patet, quod diverse sentientes non excommunicandos esse dixerit (*b*).

§. 11. *Modus docendi Theologiam.*

Apostoli eorumque proximi successores veritates divinas modo simplicissimo, captuique populi accomodatissimo tradebant, ast postquam saeculo secundo philosophi ad Religionem Christi accesserunt, quaedam doctrinae catholicae capita do-

(*a*) Dionysius Alex. apud Euseb. H. E. l. 7. (*b*) S. Cyprian. ep. 70, 71, 73. Firmilianus ep. 2.

ctius proponere coeperunt, ut ejus hostes debellarent et veritatis convincerent. Horum virorum conatibus factum est, ut jam multo doctior ac ingeniosior invalesceret Religionis docendae ratio, quae in exponendis, vindicandisque dogmatibus quemdam quasi ornatum scientiarum profanarum, imprimis philosophiae platonicae in subsidium vocabat, novasque loquendi formulas adsciscens, prima quodammodo *scientiae theologicae* fundamenta ponebant. — Ad hanc periodum quoque referenda est Theologia mystica, quae nempe praeter sensum scripturae literalem, dogmata et morum praecepta omnibus communia, sensum etiam spiritualem exponit, et severiora morum praecepta tradit. Ejus vestigia reperiuntur apud Justinum M., Clementem Alexandrinum et Origenem, qui eam plenius excoluit. Nimii tamen sunt, qui ex usu philosophiae lugubrem christianae religioni noxam illatam, illiusque puritatem ac castitatem, supra quam dici potest, corruptam fuisse, acerbe queruntur. Errores Ecclesia Christi numquam approbavit (*a*).

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Notio haereseos et schismatis.*

Quaelibet voluntaria corruptio vel negatio dogmatum a Jesu Christo traditorum, aut novorum procusio *haeresis* appellatur. Igitur qui doctrinam Jesu Christi vel corrumpit, vel negat, vel novam eidem oppositam disseminat *haereticus* nominatur a graeca voce αἱρέω, capio, eligo, censeo. Haeretici dividuntur in *formales* et *materiales*. Qui pertinaciter fidei articulos impugnant, formales; qui vero absque voluntatis pertinacia aliter sentiunt, ac Christus docuit, materiales seu erratici audiunt. — Recessio illegitima ab obedientia legitimis Pastoribus, potissimum autem Romano Pontifici debita, *schisma* dicitur.

Jam aevo Apostolorum extiterunt quidam errorum magistri, qui falsis doctrinis depositum fidei subvertere, aliosque a veritate religionis coelestis abducere sunt conati. Sic Hymenaeus et Philetus, teste Paulo (*b*), a veritate aberrarunt, resurrectionem jam factam fuisse docentes, hancque opinionem propagantes, et plures sibi asseclas conciliantes. Hyme-

(*a*) Euseb. l. 5. H. E. c. 10. S. Hieronymus de viris illustr. c. 39. Clemens Alex. Strom. l. 1. (*b*) II. Tim. 2, 17.

naeo D. Paulus jungit Alexandrum, utrumque blasphemiae reum agens, ac fidei naufragium fecisse memorans (*a*). Illum ejusdem erroris magistrum extitisse, ex eo colligi posse videtur, quod Paulus illum cum Hymenaeo conjungit, et utrumque simul Satanae tradit (*b*). De Hermogene et Phigello idem Apostolus docet, quod cum reliquis, ex Asia Proconsulari Romam profectis ab eo aversi fuerint. Hos inter haereticos numerant S. Epiphanius (*c*), et Tertullianus (*d*). — Agminis hujus unus erat Demas, quem S. Paulus mundi hujus illecebris captum, se derelicto, Thessalonicam abiisse scribit (*e*). Haereticis porro aevi apostolici adnumerantur Diotrephes, cujus mentio est in epistola tertia S. Joannis v. 9, 10. Observandum denique, Apostolum Paulum passim mentionem facere falsorum fratrum (*f*) idemque confirmari a S. Joanne attestante: Antichristos multos factos fuisse, eosque ex nobis prodiisse, sed non fuisse ex nobis (*g*).

§. 2. *Gnostici.*

Deliriis et commentis Religionem Jesu Christi deformarunt *Gnostici*, ita dicti a *Gnosi*, seu vera Dei rerumque divinarum cognitione, quam sibi adscribebant. Ex diversis de origine hujus sectae sententiis ea probabilior esse videtur, quae *Gnosim* ex veteri Persarum dualismo, ex philosophia Orientali Platonismo mixta, et ex ingenio ac phantasia singulorum Gnosticorum deducit. Quum Gnostici disciplinis philosophicis essent dediti, easque cum Religione christiana conjungerent, dogmatum, quae sequebantur, duplex fuit genus: alterum *philosophicum*, alterum vero *theologicum*, ita tamen, ut utrumque iterum esset vel omnibus *commune*, vel aliquibus tantum *proprium*.

§. 3. *Systema commune.*

Quoad placita attinet omnibus Gnosticis communia, eorum praecipuam basim constituebat vetus illa quaestio: undenam malum? Hanc soluturi quaestionem in sequens incidebant systema: Numen divinum in immenso quodam et splendido spatio (Plaeroma) ab aeterno existens, seriem *Aeonum*, seu naturarum summae dignitatis, quae ex illius substantia emanarint, sibi subditam habere. Enti huic perfectissimo ab ae-

(*a*) I. Tim. 1, 19. (*b*) II. Tim. 4, 14. (*c*) Haer. 51. (*d*) Adver. Hermog. c. 1. (*e*) II. Tim. 4, 10. (*f*) II. Cor. 13, 26. ad Galat. 2, 4. (*g*) I. Joannis 2, 18-20.

terno coextitisse materiam crassam (ὕλη) ordine et junctura carentem, per se vitiosam, omnisque mali ac corruptelae fontem. Hanc ab Aeone quodam, aut per se pravo, aut casu depravato, quem dicebant *demiurgum*, ordine et forma donatam, sicque mundum hunc aspectabilem una cum hominibus conditum fuisse. Homines tribus constare partibus, nimirum corpore e materia vitiosa conglutinata et anima duplici, alia *sensitiva* (ψυχή), a mundi fabricatore e materia subtilissima formata, alia *rationalis* (πνεῦμα), e substantia supremi Dei educta. Salutem animarum rationalium in eo positam esse, ut a vinculis et servitute demiurgi, ac materiae extrahantur, atque ad supremi Dei cognitionem adducantur, quo post corporis obitum ad amissam felicitatem reverti possint. Quem in finem diversis temporibus in hunc terrarum orbem descendisse Aeones, a Numine divino missos, qui animabus rationabilibus recuperandae libertatis viam aperirent, eorum tamen conatibus demiurgum obstacula opposuisse et impedivisse, quominus animae coelestes ad originem suam redirent. De caetero non fore desperandum, sed confidenter expectandum nobilis triumphi tempus, quo Aeonum longe potentissimus arrogans demiurgi imperium destructurus, et mentes coelestes a corporibus esset divulsurus (*a*).

Quum Gnostici perversa haec placita ad Religionem christianam transferrent, de variis illius capitibus per quam corrupte sentiebant, et quidem: 1. Demiurgum habebant pro Mosis Deo et veteris Foederis auctore, proinde legis mosaicae auctoritatem vere divinam negabant; 2. Prouti ex una parte Christum confundebant cum Aeone potentissimo, et ex altera parte materiam per se vitiosam, omniumque malorum fontem esse credebant; ita etiam nec veram Christi divinitatem admittebant, Deo supremo inferiorem illum statuentes, nec verum illi corpus tribuebant, umbra tantum corporis illum vestitum, adeoque patiendi, moriendi ac resurgendi incapacem fuisse contendentes; 3. Cum supponerent huic mundo genios praeesse malos, omnes magiae operam impendebant, quam horum geniorum vi evertendae idoneam esse autumabant; 4. Falso principio de materia prava inhaerentes carnis resurrectionem negabant, matrimonia damnabant, martyria improbabant, corporibus bellum inferebant, omnes naturae instinctus, sensuumque delectationes criminis loco habentes. Qua tamen in re tam parum inter se consentiebant ut nonnulli existimarent, instinctus naturales haud esse voluntarios, et si quis eosdem sequeretur, eum nullius pec-

(*a*) Tertull. de praescript. c. 7. Euseb. H. E. I. 5.

cati reum fore, nisi mala voluntas, animusque impurus accesserit. Hi proinde, corporis debilitandi causa turpibus sensuum illecebris avide se ingurgitabant, majori sic commoditate ad plenam libertatem se eluctaturos sperantes (a).

§. 4. *Gnostici judaizantes*: *Cerinthiani*, *Nazaraei*, *Ebionaei*.

Non deerant Christiani e Judaismo conversi, qui non solum Religionem christianam legi mosaicae accomodabant, huicque religionis systemati plures philosophiae orientalis ideas admiscebant; verum etiam a reliquis Christianis se separabant, instituta mosaica christianae Religioni anteponebant; hanc solummodo esse novam judaismi formam putantes. Inter hos primum indubie locum tenent:

Cerinthiani, a Cerintho sic dicti, qui, testibus Epiphanio et Philastrio, Judaeus fuit, primo rei christianae saeculo vixit, Alexandriae in Aegypto philosophiae Chaldaeorum, Persarum et Aegyptiorum operam dedit, et post suam ad Christum conversionem, philosophiam orientalem cum religione Judaica et Christiana conjungens, novam religionis formam composuit, et aliis tradidit. — Errores, quos disseminavit, varii sunt, iique gravissimi. Fingebat enim: 1. Jesum esse nudum hominem, naturali ordine progenitum, sapientia tamen ac vitae innocentia omnibus superiorem; 2. In Jesum, postquam a Joanne baptizatus fuisset, Christum i. e. Aeonem seu λογον descendisse, columbae forma et habitu; 3. Per λογον Jesum cognitione supremi numinis imbutum, et facultate miracula patrandi instructum fuisse; 4. Tempore passionis et mortis, Aeonem Christum ad superos rediisse, Jesum vero, ut merum hominem passum et mortuum, imo et a mortuis resuscitatum fuisse; 5. Mundum ab Aeone quodam imperfecto conditum esse; 6. Christi cultores custodire debere leges et instituta mosaica, in primis circumcisionem; 7. Ex N. T. libris solum S. Matthaei evangelium admittebat, excepta Salvatoris genealogia; 8. Denique defendebat doctrinam de regno Christi millenario, docens: post resurrectionem mortuorum Christum in has terras rediturum, et Hierosolymis regnum quoddam terrestre erecturum cum in finem, ut pii ibidem sub Christi regimine voluptatum illecebris serviant, et mille annos in nuptiarum celebritate transigant (b).

(a) Epiphan. haer. 26. Tertull. 1. Scorpiae., Clemens Alex. l. 5. Strom. c. 5. (b) Epiphan. haer. 28., S. Irenaeus l. 1. c. 26., Theodoretus l. 2. c. 3. S. Aug. de haeres. c. 8. Philastrius de haeres. c. 36. etc.

Haereticis Judaizantibus adnumerantur Nazaraei, quae secta probabiliter sub Hadriani imperatoris regimine orta est. Quoad nomen attinet, primum omnes Christi cultores contumeliae causa a Judaeis sic compellabantur; postea vero nomen hoc inditum est cuidam sectae quae praecepta mosaica cum Evangelio necessario conjungenda esse asserebat. Praeter hunc errorem Nazaraei habebant Evangelium secundum Matthaeum, a nostro diversum, Novum Testamentum rejiciebant, et S. Paulum injuriis afficiebant (*a*).

A Nazaraeis proxime descendisse videntur Ebionaei seu Ebionitae, de quorum nomine disputatur. Praecipui illorum errores erant. 1. Quod Jesum merum hominem crediderint; 2. Quod legem mosaicam cum religione Christiana conjungendam esse existimaverint; 3. Quod omnes N. T. libros repudiaverint, et habuerint Evangelium secundum Hebraeos; 4. Quod Chiliasmo aeque ac Cerinthiani addicti fuerint (*b*).

§. 5. *Gnostici eclectici. Simon Magus. Menander. Carpocrates, ejusque filius Epiphanes.*

Gnosticorum vulgo parens reputatur Simon Magus, ortu Samaritanus, qui fictis prodigiis Samariae incolas in sui admirationem rapuit. Refert S. Lucas (*c*) illum a S. Philippo sacro fonte initiatum fuisse; postea autem animadvertendo, manuum impositione ab Apostolis Petro et Joanne Spiritum S. dari, obtulisse iis pecuniam, hancque petiisse potestatem, ut cuicunque imposuerit manus accipiat Spiritum S., cui Petrus respondit: « pecunia sit tecum in perditionem, quia putasti donum Dei pecunia possideri » (*d*). Vitium, quod per commutationem rei spiritualis cum re temporali committitur, a Simone *Simonia* vocatur. S. Petri oratione castigatus Samariam deseruit, varias Orientis provincias cum Helena meretrice, quam Tyri sibi sociaverat, peragravit, et anno circiter 41, imperante Claudio, Romam pervenit. Referunt Arnobius, S. Cyrillus Hier., Eusebius, S. Epiphanius, S. Augustinus, aliique, Simonem Magum praestigiis suis Romae plausus retulisse, eoque audaciae devenisse, ut volandi per aërem periculum faceret; nihilominus eventum incepti hujus extitisse maxime funestum, quoniam per preces S. Petri factum sit, ut Simon repente praeceps delaberetur, vitamque suam turpiter finiret. S. Justinus M. tradit, Simonem propter magicas

(*a*) S. Hieron. de vir. ill. c. 3. Philastrius de haeres. c. 8, S. Aug. de haeres. c. 9. (*b*) Tertull. de praescript. c. 33. Aug. de haer. c. 10. (*c*) Act. 8. (*d*) Act. 8. 18.

artes Dei loco habitum, illiusque honoribus statuam in amne Tyberi inter duos pontes erectam, ac sequenti inscriptione : « Simoni Deo sancto » insignitam fuisse, nec obscure innuit, ipsius imperatoris Claudii et Senatus auctoritate id factum fuisse ; idemque S. Irenaeus, Tertullianus, aliique plures repetunt (a).

§. 6. *Simonis errores.*

Simon ex Christianorum, Samaritanorum, Judaeorum et Gentilium Religionibus systema suum conflavit. Statuebat Deum supremum, qui variis pro lubitu singulorum nominibus insigniri, diversisque ritibus coli et adorari possit. Docebat Patrem, Filium Spiritum Sanctum tres esse diversos agendi modos unius personae divinae, quae Samaritanis ceu Pater, Judaeis ceu Filius, Ethnicis ceu Spiritus Sanctus se revelaverit. Praedicabat se esse *magnam Dei virtutem*, forte ex ordine naturarum a Deo procreatarum. Matrem totius Mundi spiritualis Simoniani credebant esse *ideam* seu *intelligentiam* numinis divini (*εννοιαν*), e substantia Dei eductam quae Angelos peperit, eorumque ope mundum formaverit. Verum filios erga matrem ingratos, et independentiae studio eductos, *intelligentiam* compedibus vinctam, in corpora humana relegasse ; quo factum deinde, ut haec divina natura a corpore migraret in corpus, postremo in Helenam meretricem detruderetur. Ad hanc itaque naturam divinam vinculis solvendam , *magnam Dei virtutem* coelitus delapsam varias assumpsisse formas , ac demum in Simone Mago apparuisse. Quoad reliquos errores attinet, veteres tradunt, quod summas legi mosaicae et libris V. T. injurias intulerint, metempsycosim admiserint , corporum resurrectionem negaverint, adiaphoriam actionem defenderint, et in baptismo administrando igne usi fuerint. Simonis discipulus fuit Menander, qui asserebat se missum esse, ut homines salvaret, idque effici per magiam et baptismum suo nomine collatum, cui tantam virtutem adscribebat, ut illud suscipientes immortalitatem adipiscerentur (b).

Horrenda dogmata tradidit Carpocrates, patria Alexandrinus, auctor systematis, quod nihil aliud erat, quam idearum platonicarum, gnosticarum et christianarum farrago. Carpocratis filius aeque ac discipulus fuit Epiphanes , pravarum patris opinionum amplificator , et juvenis adhuc 17 anno-

(a) Arnobius l. 2., S. Cyrillus catech. 6. Eusebius H. E. l. 2., Epiph. haer. 21., S. Aug. lib. de haer., S. Justinus M. Ap. I., S. Iranaeus l. 1. adv. haer., Tertull. Apologet. c. 15. (b) S. Irenaeus l. 1. adv. haer. c. 23. S. Hier. comment. in Matth. c. 24., Clemens Alex. l. 2. Strom., et hom. l. 2., Nicolaus Nourius etc.

rum Samae, tanquam Deus festivo honore affectus. — Deponebant Gnosim seu cognitionem supremae illius unitatis (μοναδος), unde omnia emanaverint, et in quam mens humana omnibus religionis formis superior, vel propter affinitatem suam se penitus immergere debeat. Hanc sublimem cognitionem quisquis adeptus fuerit, jam nulla amplius re ab hac meditatione avelli potest, summa fruitur tranquillitate, supra diversas religionis formas, ab inferioribus spiritibus conditas se se attollit, ipsique monadi conjunctus etiam miracula patrandi facultatem adquirit. — Cuncta reducentes ad intimam mentis cum suprema monade conjunctionem, omne actionum externarum discrimen e medio tollebant, omne libidinis et turpitudinis genus licitum declarabant, omniaque in mundo, ne mulieribus quidem exceptis, communia esse asserebant. Prava haec dogmata late circumferebat Marcellina, sub Aniceto P. Romam profecta (*a*).

§. 7. *Gnostici Aegyptii.*

Saeculo II. Gnosticismus ramos suos jam ita extenderat, ut majores in dies Gnosticorum secta in Aegypto et in Syria pullularet. Gnosticorum autem Aegyptiorum praecipui sunt:

1. Basilides, anno circiter 125 Alexandriae natus, Saturnini commilito, qui in variis Aegypti provinciis virus perversae suae doctrinae sparsit. Docebat a supremo Deo septem Aeones prognatos esse: *mentem*, *verbum*, *prudentiam*, *sapientiam*, *virtutem*, *justitiam* et *pacem*. Ab his angelorum principes: a primis angelis coelum supremum et alios angelos: ab his secundum coelum et alios angelos, donec per continuas Angelorum propagines coeli 365 gradatim nati essent. A septem Angelis infimi coeli, praesertim ab illorum primipilo, simulque Judaeorum Deo, hunc terrarum orbem procreatum fuisse. Ad humanas animas vinculis solvendas, et in regnum lucis restituendas, primogenitam *mentem* cum homine Jesu, dum in Jordane baptizaretur, se conjunxisse, ingruente autem passionis et mortis tempore, derelicto homine Jesu, ad originem suam rediisse. — Arguuntur etiam, nec immerito, quod Docetismum postliminio adoptaverint, morum disciplinam relaxaverint, et persecutiones declinaverint. Sectam hanc initio adhuc saeculi IV superstitam fuisse dubio vacat (*b*).

2. Majorem ingenii atque imaginationis vim prae se tulit Valentinus, anno circiter 140 Alexandriae ubi Graecorum

(*a*) Clemens Alex. l. 3. Strom.
(*b*) Euseb. H. E. l. 4. c. 7. Theodoretus l. 1. c. 2. S. Iren. l. 1. c. 23.

artibus et disciplinis litaverat, Romam profectus, tandemque a. 160 in insula Cypro mortuus. Eum ex Aegypto oriundum fuisse valde credibile est. Docebat autem, Deum ab aeterno extitisse, quem appellabat βυθὸν προπάτορα, et sociam habuisse ἔννοιαν, seu *cogitationem*, quam etiam silentium et gratiam nuncupabat. Ex substantia supremi Dei Aeones successive emanasse diversi sexus, ita quidem ut 30 eorum pleroma constituant, in octoadem, decadem, et dodecadem divisi. Aeonum ultimam *Sophiam*, vehementi desiderio cognoscendi supremum Deum gravidam factam peperisse substantiam, foeminam, plenam ignorantiae ἐνθυμεσιν Αχαμῶτ dictam, quae extra limites pleromatis aberrans, vires vitales materiae communicavit, atque Demiurgum e materia psychica formavit, mundi postea conditorem. In hoc mundo, triplicem esse substantiam, *spiritum*, *animam sensitivam*, et *materiam*. Omnia itaque in eo sita esse, ut duae substantiae priores a posteriori separentur, et spiritus in pleroma, anima sensitiva in locum medium, quem nunc incolit Achamot revertatur. Interea temporis ad harmoniam in pleromate turbatam restituendam, duos Aeones novos, *Christum* nempe et *Spiritum Sanctum* natos esse; ex omnibus autem Aeonibus Jesum servatorem emanasse, qui enthymesin Achamot, et spirituales naturas in pleroma reduceret. Cum Messia sensitivo in baptismo se conjunxisse Salvatorem, ac proinde literam doctrinae a Jesu traditae hominibus psychicis, spiritum vero, a Servatore doctrinae huic inditum, hominibus pneumaticis esse destinatum. Valentini discipuli, quos inter eminent Heracleon, Ptolomaeus et Marcus in multis capitibus a praeceptore suo dissenserunt.

Quoad mores attinet Valentiniani docuerunt, eos qui per *Gnosin* ad summum perfectionis gradum perveniunt, ne quidem peccare posse, imo fidem et bona opera unice ad homines animales pertinere (*a*).

3. Plerique existimant ex schola Valentinianorum vel Marcionitarum prodiisse *Ophitas*, qui nomen sortiti sunt a cultu serpentis, ὄφις. Nonnulli tradunt, eos de serpente ita magnifice sensisse, ut illum cen auctorem scientiae boni et mali ipsi etiam Christo praeferrent. Alii referunt, eos non tantum serpentem, qui Adamum et Evam seduxit, pro Christo habuisse; verum etiam quemdam serpentem in speluncis aluisse, qui inde evocatus, et super altare egressus, oblationes identidem lambendo ita sanctas reddiderit, ut ad celebrandam Eucharistiam idonea essent. — Quoad illorum Christologiam attinet, considerabant Jesum cen psychicum, Christum vero ceu

(*a*) Clemens Alex. l. 4. Strom. p. 509., S. Iren. l. 1. c. 4. et c. 1.

pneumaticum Messiam, priorem e Virgine natum, posteriorem de coelis in ipsum descendisse existimantes (a). Neque eandem omnes disciplinam sequebantur, cum in sectas *Sethianorum*, et *Cajinitarum* essent divisi. Priores eximium cultum Setho tribuerunt, existimantes, Sethum non solum divinam virtutem, sed etiam ipsum Jesum esse, illumque Christi nomine appellantes. Posteriores Cainum, Core, Dathan, praecipue autem Judam, Christi proditorem, maximi fecisse traduntur (b).

§. 8. *Gnostici Syri.*

Plus quam Gnostici Aegyptii, *dualismum* excoluere Syri, Persiae accolae, *Ascesim* simul magis fanaticam, et *Docetismum* professi. Eorum facile princeps est:

1. Saturninus, patria Antiochenus, Basilidis coaevus et philosophiae orientalis assecla. Dogmata, quae Saturninus in Syria disseminasse traditur, haec fere sunt: Existere Deum invisibilem, qui produxit Angelos, Archangelos, virtutes et potestates. Septem eorum infimos mundum hunc visibilem condidisse, simulque hominem finxisse, vermis instar humi repentem, nec facultate se erigendi praeditum; postea autem de coelo scintillam vitae demissam fuisse, qua hominem animadverit, erexerit, ac perfecerit. Regno autem Dei, horumque Angelorum regimini restitisse principem malum (Satanam), atque hominibus vita coelesti praeditis aliud opposuisse hominum genus, natura sua pravum, coecisque cupiditatibus obnoxium. Ut igitur daemonis, ac pravorum hominum opera destruentur, Deique Judaeorum, unius horum septem angelorum dominatio deleretur, Christum descendisse, umbra tantum corporis praeditum, qui hominibus periclitantibus animarum salutem adferret. Duram porro vivendi rationem suis praescripsit, eosque conjugio et carne prohibuit (c).

2. Iisdem fere orientalis philosophiae commentis mire delectatus est Bardesanes Syrus, Edessae natus, regnante Marco Aurelio florens. Refert S. Epiphanius, eum Religionem christianam ita professum esse, ut etiam pro ista forti animo pugnaret, deinde vero ad Valentini sectam defecisse. — Plerique tradunt, eum statuisse principium lucis et tenebrarum, a materia prava omnis mali originem repetiisse, septem Aeones admisisse, summam cum supremo numine constituentes

(a) Theodoretus l. 1. de sab. haer. (b) S. Epiph. haer. 39., S. Iren. l. 1. c. 35., S. Aug. de haeres. 18. (c) S. Iren. l. 1. c. 22., Euseb. l. 4. H. E. c. 7., Tertull. de anima c. 23. etc.

octoadem, triplicem distinxisse hominis naturam, corpus e materia crassiori compactum, ceu animae rationalis sepulcbrum considerasse, corporum resurrectionem negasse, et Salvatori corpus aethereum tribuisse (a).

3. Huic coaevus est Tatianus, gente Assirius, primum ethnicus, deinde Romae Cbristianus factus, in S. Justini M., qui tunc in urbe erat, familiaritatem admissus, illiusque in defendenda Religionis veritate adjutor; verum post obitum S. Justini, sapientiae tumore in haeresim delapsus. Tradunt veteres, eum systema Aeonum finxisse, Valentiniano haud absimile, illudque derelicta Roma disseminasse. Quoad reliquos errores attinet, detestatus est conjugia, carnibus abstinuit, vini usum vitiosum reputavit, atque docuit, Cbristum umbra tantum corporis praeditum ad speciem mortuum fuisse, et Adamum ad coelos non pervenisse. Quum Tatianus, ejusque sectatores continentiae studerent, et vini usum damnarent, dicti sunt *Encratitae*, seu *continentes*, et *Hidroparastatae*, sive *aquarii*. Saeculo adhuc quarto haec secta in Syria existebat (b).

§. 9. *Marcionitae.*

Diversam plane ac peculiarem Gnosim professus est Marcion, in urbe Ponti Sinope natus, catholici episcopi filius, qui a patre suo ob stuprum virgini illatum excommunicatus Romam fugit, ibique spe reconciliationis ecclesiasticae obtinendae delusus inter annum 140 et 150 praeceptore Cerdone Syro, cui se adjunxit, miserum fidei naufragium fecit. Statuebat tria principia: Deum supremum invisibilem, eumque bonum, alium visibilem, mundi conditorem, et materiam malam. Demiurgum praedicabat hominis conditorem, Veteris Testamenti auctorem, ac judaeorum Deum. Docebat Deum supremum hominis misertum, Christum in hanc terram misisse, umbra corporis indutum, eum in finem, ut regnum Demiurgi destrueret, atque hominibus viam veritatis revelaret. Imo suam Evangelii et Judaismi antithesim eo usque urgebat, ut Messiam a Demiurgo per vates sacros promissum, ac restituendae civitati Judaicae unice destinatum distingueret a Cbristo Tiberianis temporibus in salutem gentium misso. Hunc apparenter tantum mortum fuisse, insidias illi struente Demiurgo, ex illius docetismo necessario sequebatur. Cum ingenti materiae odio flagraret, animantium, matrimonii ac vini usum damnabat, corporis voluptates prohibebat, carnisque resurrectionem negabat.

(a) S. Epiphan. haer. 56., Theodoretus l. 1. haeret. sab. c. 22.

(b) S. Hier. de vir. illustr. c. 29. S. Iren. l. 1. Euseb. l. 4. H. E. c. 16, Epiphan. haer. 47. n. 1.

Ut fabulis suis fidem conciliaret, libris Mosis et Prophetarum omnem denegavit auctoritatem, N. T. libros partim rejecit, partim mutilavit, vitiavitque (*a*).

§. 10. *Montanista.*

Severam morum disciplinam principiis Encratitarum superstructam circa annum 157 invexit Montanus. Pepuzae in Phrygia natus, homo obscurus ac natura tristis, qui comites secum adducens duas mulieres fatidicas, nempe Priscillam et Maximillam, praescia futurorum oracula fudit, suaque occultando tantisper dogmata erronea, moresque praeseferendo ad pietatis speciem compositos, plurimos sibi discipulos conciliavit, a regione, in qua orti et potissimum commorati sunt, *Phryges, Cataphryges*, a *Pepuza Pepuzianos*, et ab auctore *Montanistas* dictos. Eusebius refert, Montanum et Maximillam ab insano spiritu concitatos sibi laqueo gulam fregisse.

Praecipui autem Montanistarum errores erant sequentes: 1. Montanum ceu Paracletum venerabantur divinitus missum, ut Christi et Apostolornm doctrinam perficeret. 2. Non solum secundas nuptias veluti maxime vitiosas repudiabant, verum etiam matrimonii foedera solvebant, ut Montano instigante Priscilla et Maximilla maritos suos deseruisse traduntur: 3. Asserebant in persecutione numquam fugiendum esse. 4. Jejunia propria custodiebant, et Catholicorum jejuniis multo rigidiora, stationes plerumque in vesperam producentes, duas in anno xerophagiarum hebdomadas, veluti ad salutem necessarias observantes, et jejunii quadragesimalis tempore incaenati cubitum euntes. 5. Adulteros, idololatras, homicidas, aliorumque peccatorum graviorum reos in perpetuum ab Ecclesia excludebant, asserentes Ecclesiam nullam habere potestatem ejusmodi peccata condonandi. 6. Patriarchis primum in conventibus assignabant locum, secundum Cenonibus, seu Acanomis, tertium Episcopis, mulieres quoque, uti fertur, ad Episcopatum et Presbyteratum evehentes. Secta haec non solnm per Asiam, Africam, et Europam propagata fuit, verum etiam usque ad saeculum quintum perduravit (*b*).

(*a*) S. Epiphan. haer. 42. Clemens Alex. Strom. l. 3. p. 425., Tertullian. contr. Marc. l. 1. c. 7-15., S. Iren. l. 1. c. 29. etc.

(*b*) Euseb. l. 1. H. E. c. 16. Tertullianus de jejun. c. 1-5. etc.

§. 11. *Antitrinitarii Saeculi II.*

Generatim omnes, qui dogma Sanctissimae Trinitatis impugnarunt, Antitrinitarii appellari consuevere. Saeculo II. fuere sequentes:

1. Praxeas e Phrygia probabilius oriundus, qui ex Asia Romam profectus, ibidem Papae Victori primum suasit, ut Montani prophetias damnaret. Verum paulo post unitatem Dei adeo defendit, ut omne personarum in divina natura discrimen tolleret, atque doceret: Deum Patrem ipsum in Virginis uterum descendisse, ipsum ex ea natum, passum, mortuumque fuisse, denique ipsum esse Jesum Christum. Hinc ejus discipuli *Monarchiani*, et *Patripassiani* dicti sunt. Comprehensus Romae palinodiam quidem cecinit; at non ita diu post ad pristinam haeresim reversus, excussa fronte alios in eundem secum labyrinthum praecipitavit (*a*).

2. Eodem fere tempore divinitatem Jesu Christi negavit Theodotus Coriarius, patria Byzantinus. Cum in persecutione Marci Aurelii Christum negasset, Romam fugit, vitae suae consulturus, ubi a Christianis graviter ob crimen admissum objurgatus, sui purgandi causa dixit: se non Deum, sed hominem, nempe Christum negasse; quam ob rem a Victore Pontifice sacrorum communione fuit exclusus (*b*).

3. Ex schola Theodoti prodierunt plures alii, inter quos eminebant *Natalis*, et *Theodotus argentarius*, qui magistri sui erroribus hunc addidit: Christum exstitisse Melchisedecho inferiorem, huncque veluti virtutem divinam patris et matris expertem, Christo superiorem fuisse. Sectatores illius propterea dicti sunt *Melchisedechiani*.

4. Ad eandem classem referendus est Artemon, in Synodo Romae an. 198 celebrata cum Theodoto et Ebione damnatus. Veteres tradunt, eum divinitatem Jesu Christi negasse, et Scripturas sacras pro libidine depravasse (*c*).

§. 12. *Antitrinitarii Saeculi III.*

1. Circa annum 220 dogma SS. Trinitatis impugnavit *Noëtus* Smyrnensis, qui propterea sacrorum communione exclusus fuit. Is unitatem Dei ita defendit, ut Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, tria unius divinae personae nomina esse doceret (*d*).

(*a*) Tertull. adv. Praxeum c. 1. 2. 10. 20. (*b*) S. Epiphan. haeres. 54. c. 1. Theodoretus l. 2. sab. haer. c. 5. Euseb. l. 5. H. E. (*c*) Theodoret. l. 2. haer. sab. c. 4. 5. Euseb. l. 5. H. E. c. 28. (*d*) Theodoretus l. 3.

2. Noëti discipulus fuisse dicitur Sabellius Afer, qui dimidio circiter saeculi tertii in Ptolomaide suos errores sparsit, et non solum in provincia Pentepolitana, verum etiam in aliis Ægypti locis plurimos sectatores nactus est. Sublato personarum divinarum discrimine, docuit, unam tantum divinam personam esse; quod dogma per similitudinem illustrare voluit, Filii nomine virtutem quandam intelligens missam, ut homines salvaret, radio a sole emisso et ad solem revertenti similem, idemque de Spiritu Sancto praedicans. Contra Sabellium S. Dionysius Alexandrinus plures epistolas scripsit; ast a nonnullis Christianis, qui ejus expressiones non bene intellexerunt, ad Dionysium R. P. ceu haereticus delatus, hujus Pontificis jussu quatuor libros composuit, crimen sibi afflictum penitus diluit, et Sabellii haeresim confutavit (*a*).

3. Paulus Samosatenus, mortuo Demetriano Episcopo Antiocheno, in locum ejus suffectus, eo tempore, quo Gallienus imperium romanum tenebat, vir quidem haud indoctus, verum astutus, laudum et divitiarum avidus, superbus, aliisque vitiis deditus, Zenobiae Palmyrenorum reginae acceptus, et munere *ducenarii* auctus, docuit: Unum esse Deum; Verbum non esse personam, sed Dei rationem seu sapientiam, quae non per se, sed in Deo subsisteret; Christum esse merum hominem, qui tum primum existendi primordia coeperit, cum ex Virgine Maria nasceretur, illumque propterea Filium Dei metaphorice appellari, quod Deus per Verbum seu per sapientiam in eo habitaverit. Probabiliter etiam Spiritum Sanctum pro Dei gratia habuit, quae super Apostolos venerit. Praeter errores de SS. Trinitate ac Christo, Paulianistis hoc etiam vitio vertitur; quod formulam baptismi alteraverint. In prioribus Conciliis Antiochiae celebratis Paulus Episcopis ita fucum fecit, ut absolveretur. Verum in ultimo an. 270 in eadem urbe habito, a Melchione presbytero errorum convictus synodali decreto damnatus, et munere suo privatus est. Cum vero Zenobiae patrocinio fretus, domo episcopali nollet excedere, ad Aurelianum imperatorem delatus est, qui ei domum adjudicavit, cui Episcopi Italiae et Romanus Pontifex Dionysius scriberet esse concedendam. Ita domo ejectus est, et in ejus locum Domnus suffectus (*b*).

4. Antitrinitariis denique adnumeratur Beryllus, Bostrorum in Arabia Episcopus, imperante Alexandro Severo vivens, qui teste Eusebio docuit: Filium Dei ante incarnationem, non fuisse propriam et a Patre distinctam personam,

(*a*) Euseb. l. 7. H. E., Theodoretus l. 5. (*b*) Ep. Syn. PP. Antioch. apud Euseb. l. 7. H. E., Epiphan. haer. 45.

neque propriam ex se habuisse divinitatem, sed solam Patris in eo extitisse. Hunc Origenes gravissimis rationum momentis ad veritatis semitam reduxit anno circiter 244 (a).

§. 13. *Manichaei.*

E bene multis, quae scriptores orientales et occidentales narrant de Manetis nomine, vita, rebusque gestis, necesse est ea seligere quae utrisque communia sunt. Conveniunt autem in sequentibus: Manetem seu Manichaeum fuisse Persam, artium et litterarum, non expertem, animo elatum et fraudolentum nec a dementia longe alienum, eundem ex Magorum philosophia et Christi doctrina novum systema conflasse, et Persis subtrudere voluisse. Quum vero haec nova religionis forma Religioni in Persia dominanti opponeretur, odium non solum Magorum, verum etiam Regum Persiae in se concitavit; quam ob rem, ut necem, ad quam quaerebatur, vitaret, fugam cepit, et in quadam arce diu latuit: et inventus est, et inde extractus, ceu religionis patriae corruptor inter annum 272 et 275 extremo supplicio affectus est.

§. 14. *Manichaeorum doctrina, hierarchia et liturgia. Doctrina theoretica.*

Doctrina theoretica Manetis fabulis risu dignis est referta. Duo statuebat principia, quorum alterum Deum bonum et principem lucis, alterum Deum malum et principem tenebrarum (ὕλην) appellabat, priorem regno lucis, posteriorem regno tenebrarum praeficiens. Fingebat porro, incolas regni tenebrarum, regno lucis potiundi cupidos, gravi illud bello lacessivisse, Deum bonum vero hostibus suis exercitum opposuisse, et huic praefecisse naturam sui generis, videlicet primum hominem *coelestem.* Hunc infeliciter pugnasse, et daemonem per gentem suam non tantum multas lucis particulas absorbuisse, verum etiam pravis suis elementis immiscuisse. Principem igitur lucis, ut ingentem jacturam resarciret, alium exercitui suo praefecisse ducem, *spiritum viventem,* ex se pariter genitum, ac priori longe potentiorem, qui, etsi hostes exagitaverit, illas tamen particulas lucis, materiae jam vitiosae illigatas recuperare non potuerit. In ipso autem novi hujus belli exordio territum daemonem, ne devoratas particulas amitteret, *Adamum* generasse, omnes animas coelestes in eo inclusisse, nec non ei Evam adjunxisse uxorem. Ex illius cum

(a) Eusebius lib. 6. H. E., S. Hieronymus de script. eccl.

Eva concubitu, praeter Dei voluntatem habito, miserum descendisse mortalium genus. Adami posteros constare corpore, e prava materia conflato, et duplici anima, altera bruta, sentiente et concupiscente, altera vero rationali immortali, illiusque lucis particula. Inde perpetuam illam esse natam rationis et cupidinis in homine luctam. — Tunc Deum lucis, ut homines haberent domicilium, per *Spiritum viventem* hunc mundum fabricasse, duasque naturas sibi similes ex se produxisse: *Christum*, a Jesu primi hominis coelestis filio diversum, in sole et luna commorantem, et *Spiritum Sanctum*, Christo inferiorem in aethere degentem, et in homines salubriter influentem. Christum de sole in hanc terram descendisse, et humani corporis specie tantum vestitum inter Judaeos apparuisse, ut hominibus viam monstraret a miseriis suis eluctandi, et ad regnum lucis perveniendi. Ast daemonem, regni sui excidium veritum, per judaeos, fidelissimos cives suos, ipsum intercipi, et in crucem agi curasse, quod etiam supplicium Christus non vere, sed opinione tantum hominum sustinuerit. Ante suum vero in solem reditum Salvatorem promisisse, se certo tempore *Paracletum* missurum, qui quae homines, tempore ejus viventes, necdum capere atque ferre possent, praeceptis suis adderet, et omnes de rebus divinis errores dispelleret. Hunc autem *Paracletum* in Manete Persa apparuisse, ad arguendum mundum de peccato et de injustitia (*a*).

Rejecto veteri foedere, Manes ex Novo omnia expunxit, quae suo systemati adversabantur, et in librorum sacrorum locum proprios libros substituit, quos inter praecipui erant Evangelium Manetis *Erteng* dictum, liber fidei, mysteria, thesaurus, capita etc. Repudiavit vim salutarem baptismi. Negavit in Eucharistia esse corpus et sanguinem Jesu Christi. In odium pravae materiae nullam corporum resurrectionem admisit. Docebat, animas in corpora non modo belluina, sed in frutices etiam, in olera, in poma etc. transmigrare. Fabulabatur finem mundi futurum esse postquam omnes lucis particulae ad regnum Dei boni reversae fuerint. Hac perversa doctrina Manes originem mali explicare conabatur (*b*).

Doctrina practica. Manichaei rigidissimam morum disciplinam inculcarunt, veluti a Christo praescriptam, *tria signacula* suis in moribus jactantes, *oris manuum* et *sinus.* Ad *oris signaculum* pertinere dicebant, quod ab omni se continerent blasphemia, nec vinum biberent, nec carnibus vescerentur.

(*a*) S. Aug. de haer. 46. Teodoretus l. 1. haer. sab. (*b*) S. Aug. de haeres. c. 46., l. 4. cont. Faustum, S. Leo serm. 41.

De *manuum signaculo* gloriabantur, quod omnem erga parentes, fratres, liberos, cognatos amorem exuerent, ab animalium nece et a stirpium laceratione sibi temperarent, in summa paupertate viverent, ab omni prorsus labore abstinerent, vitamque in perpetua contemplatione et otio consumerent. *De signaculo* denique *sinus*, quod castitatem colerent, nec uxores ducerent (*a*).

Cum autem haec ardua morum praecepta non omnibus arriderent, Manes sectam suam divisit in duos ordines, *electorum* scilicet seu *perfectorum*, et *auditorum* seu *catechumenorum*, priores ad severam vitae legem adstringens, posterioribus vivendi rationem permittens, a communi vita haud alienam. Asserebat electorum animas, post purgationem in corpore inchoatam, in luna continuatam, et in sole perfectam, in regnum lucis recipiendas; aliorum vero in alia corpora migraturas, ut purgentur, aut igni, qui tamen aeternus non sit, ut torqueantur, tradendas esse (*b*).

Hierarchia et liturgia. Manes ad exemplum Christi ex electis duodecim Magistros selegit, quibus praeerat unus, qui ipsum Christum repraesentabat. His succedebant 72 Episcopi, quibus Praesbyteri et Diaconi ordinabantur. Quoad liturgiam attinet, valde simplex erat. Non erant illis aedes sacrae, non altaria, non imagines, non caeremoniae ullae. Deum more orientalium, facie ad solem conversa adorabant, hymnis cum Deum, tum solem et lunam, praecipuosque Aeones celebrabant, libros Manetis devote legebant, doctorumque suorum exhortationes pronis auribus excipiebant. Diem solis jejunio celebrabant, singulisque annis, mense Martio, festum *Bematis* i. e. diei, quo Manetis caedes contigit, magna solemnitate, diem vero Paschatis admodum parce obibant. Baptismus denique et sacra coena ad arcana electorum pertinebant (*c*).

Detestabilis haec secta adeo crevit, ut novennis post Manetis caedem, jam in Africam proconsularem, et inde torrentis instar imperium romanum irruperit, ac ingentem utrique reipublicae vastitatem intulerit.

§. 15. *Schisma Novati et Felicissimi.*

Praeter haereses enumeratas, etiam duo schismata pacem Ecclesiae Christianae turbarunt. Primum conflavit Novatus, Ecclesiae Carthaginensis Presbyter, homo, uti testatur S. Cyprianus, avarus, superbus, aliorumque scelerum reus, qui, ut

(*a*) S. Aug. l. 2. de morib. Man. (*b*) S. Aug. de haeres. c. 46., S. Epiphan. de haeres. 66. (*c*) S. Aug. l. c.

sententiam excommunicationis, quam S. Cyprianus in eum tulisset, nisi persecutio obicem posuisset, vitaret, ab Antistite suo S. Cypriano descivit, contendens, lapsos sine poenitentia Ecclesiae communione donandos esse. Saeviente nimirum Decii persecutione, plures vi tormentorum fracti, foedo apostasiae crimine se polluerunt; quam ob rem S. Cyprianus statuit, hos ad Ecclesiae communionem recipiendos non esse donec reddita Ecclesiae pace in Episcoporum concilio non decerneretur, quae poenitentia eis imponi deberet. Novatus igitur severitatem S. Cypriani aegre ferens, cum diacono Felicissimo, quibusdam Presbyteris, aliisque se conjungens in montem, unde etiam *Montenses* dicti sunt, secessit et altare contra altare erexit. S. Cyprianus ad Ecclesiam suam reversus, celebrato a. 251 Carthagine Episcoporum Concilio, schismaticos excommunicavit, et disciplinam erga lapsos laudabili discretione temperavit. Novatus autem, relicta Carthagine, Romam est profectus, ubi non solum cum Novatiano amicitiam inivit, verum etiam priori sententia dimissa, maxime severam disciplinam erga lapsos ursit (*a*).

§. 16. *Schisma Novatiani.*

Eodem tempore ingentes Romae turbas concitavit Novatianus, philosophus Stoicus, vir quidem doctus et eloquens, at perfidus simul, turbulentus, rerumque in Ecclesia novarum cupidus. Is, desertis Stoicorum castris, ad Christianorum sacra accessit, propter morbum in lecto baptizatus, (hi vocabantur clinici) quin baptismi caeremonias in se suppleri passus sit, vel Sacramentum confirmationis susceperit, et nihilominus nescitur, quomodo ad dignitatem Presbyteri evectus est. — Sopita Decii persecutione, in qua martyr obiit S. Fabianus R.P., Ecclesiae regimen traditum est Cornelio. Hujus electioni se opposuit Novatianus, socias illi manus jungentibus Novato aliisque cum ex Clero, tum ex populo, qui nihil non moliebantur, ut Cornelium sibi infensissimum sede sua turbarent. Rem eo delapsam videns Cornelius, indicta a. 251 Romae synodo, non solum Afrorum, de modo recipiendi lapsos, sententiam probavit, sed etiam Novatianos et reliquos sectarios damnavit. Hoc pacto schismatici multo audaciores redditi, contra Cornelium gravissimas calumnias sparserunt, illum esse libellaticum, et Apostatis communicare dicentes, tresque obscuros Italiae Episcopos Romam accersitos, arcte custoditos, et crapula oppressos per viam coegerunt, ut No-

(*a*) S. Cyprian. ep. 40, 42, 49.

vatiano manus imponerent, et Episcopum Romanum ordinarent. Sic creatus Antipapa, missis quaquaversum litteris, se invitum fuisse electum, callide significavit, ut eo verborum fuco immane schismatis facinus excusaret, quod quinto adhuc Ecclesiae saeculo superstes fuit (a).

Novatiani, ab ipso schismatis auctore ita nominati in sequentes lapsi sunt errores: 1. Contendebant, lapsos post baptismum in perpetuum Ecclesia excludendos et contrariam disciplinam damnandam esse. 2. Asserebant, veram Jesu Christi Ecclesiam, puros tantum homines sinu suo continere, hancque penes ipsos esse, unde *catharos* seu *puros* se nominabant, et omnes ad se venientes iterum baptismo initiabant. 3. Sacramentum confirmationis respuebant. 4. Secundas nuptias damnabant, et bigamos in perpetuum a sua communione arcebant. 5. Tandem martyrum reliquiis cultum denegabant (b).

CAPUT VII.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS, MORIBUS CHRISTIANORUM, ET DISCIPLINA ECCLESIAE.

§. 1. *Necessitas rituum.*

Cum homo duplici polleat natura, et res sensibiles spiritualium quodammodo vasa sint ac imagines, ipsa hominis natura exposcit, ut spiritualia illi per media sensibilia offerantur et communicentur, atque spiritus in homine latitans rebus sensibilibus excitetur, et ad spiritualia elevetur. Ipsa hominum cogitata quodam velnti corpore vestienda sunt, ut aliorum oculis vel auribus pateant, vimque in mentes eorum optatam exerant.

Mediis ejusmodi sensibilibus, seu ritibus Ecclesia carere non potest, tamquam visibilis hominum societas, a Christo hisce in terris instituta, ut illustre sit invisibilis coelorum regni symbolum atque vestibulum. Ritus enim reverentiam Dei ac mysteriorum augent, fidelium mentes coelum versus attollunt, pietatem christianam fovent, animos movent, mutua charitate replent, fideles ab infidelibus distinguunt. Tanta cum sit rituum necessitas, sane mirum non est, quod Ecclesia jam in suis primordiis ritus suos, seu caeremonias habuerit. Inter ritus Ecclesiae Apostolicae primum occurrit tempus, conventibus religiosis destinatum. Primis quidem ab initiis

(a) S. Hier. de viris illustribus c. 70. (b) S. Cyprian. ep. 42, Theodoretus l. 3. fab. haer. c. 3. Euseb. l. 6. H. E. c. 37.

Christiani quotidie fere, quemadmodum Judaeorum ferebat consuetudo, ad preces fundendas et alia peragenda sacra conveniebant (a). Postea vero diem hebdomadis primam, videlicet diem solis, in memoriam Resurrectionis dominicae celebrare coeperunt. Contigisse hoc jam tempore Apostolorum satis exploratum est. Sic legimus Act. 20, 7, quod discipuli Christi ad frangendum panem convenerint prima Sabbati. Hanc diem postea retentam fuisse testatur Justinus M. Ap. I. « Die, quae appellatur Solis, omnes, sive in civitate, sive rure habitant, in unum locum conveniunt. »

Praeter diem dominicam solemnis quoque fuit Pentecoste, quae tamen vox apud veteres non eumdem semper significatum habebat. Nam interdum denotabat totum quinquaginta dierum spatium a festo Paschatis usque ad nostram Pentecosten, quo Christiani lectionibus biblicis vacabant, jejunia praetermittebant, stantes orabant, catechumenos baptizabant, a publicis spectaculis et comoediis abstinebant. Deinde vero significabat diem particularem illapsus in Apostolos Spiritus sancti memoriae consecratum, diem nimirum post Pascha quinquagesimum. Praeter solemnia Pentecostes ab antiquis commemoratur etiam dies παρασκευῆς, quo Christiani memoriam passionis dominicae recolebant. Hunc diem in luctu, jejunio et poenitentia transigebant, cultumque Dei solito simpliciorem obibant. Caput autem et corona omnium festivitatum erat festum Paschatis, seu festum resurrectionis dominicae, quod ut alia festa majora, usque ad dominicam proxime sequentem continuabatur. Hocce tempore christianae laetitiae significandae causa canebant *Alleluja*, Episcopus verba ad populum faciebat, jejunia cessabant, communio ab omnibus percipiebatur, captivi et servi libertate donabantur, opera charitatis et beneficentiae in egenos exercebantur (b).

In veteri denique Ecclesia martyrum natales, sive dies illos, quibus sanguinem suum pro Jesu Christo fuderunt, religiose habitos fuisse, per optima fidei monumenta est exploratum. Memoriam horum natalium jam saeculo secundo celebratam fuisse, testis est epistola Ecclesiae Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi ab Eusebio memorata, in qua legimus Smyrnensem populum diem natalem S. Praesulis coluisse. S. Cyprianus quoque testatur, dies et passiones martyrum per Africam celebrari. — Cum autem primi Christiani corpora aut reliquias SS. Martyrum communiter in locis desertis v.g. in speluncis, agris, catacumbis sepelirent, ad haec sepulchra

(a) Act. 2. 42. (b) Act. 20, 16. Tertul.l. de baptismo c. 19, Euseb. de vita Const. M. l. 4. c. 18.

singulis annis, iisque diebus, quibus martyria subierant, convenerunt, eorum memoriam celebraturi. Modum quod attinet, natalitia martyrum celebrandi, veteres tradunt, ea occasione acta eorumdem in conventu fidelium publice lecta, orationes panegyricas recitatas, sacrificium laudis et gratiarum actionis oblatum, sacram Synaxim celebratam, amoris convivia ad refocillandos pauperes instituta fuisse. Cessantibus persecutionibus, non modo martyrum sepulchra in urbibus permissa, sed et corpora e cryptis eruta, in urbes translata, et perhonorifice condita fuere: saepius supra martyrum tumulos magnificae Ecclesiae, inde *Martyria* vulgo dictae excitabantur *(a)*.

§. 2. *Tempora et loca Conventuum religiosorum.*

Diebus festis Christiani conventus religiosos agebant, et quidem diversis, pro ratione circumstantiarum, temporibus. Tempore saltem atrocium persecutionum, horis plerumque antelucanis, nocturnis ac vespertinis, rebus sacris operam dare solebant. — Loca horum conventuum primis ab initiis nondum erant fixa. Quamdiu adhuc stabat Hierosolymorum templum, illud frequentabant. Post suam vero dispersionem in privatorum aedibus, locis abditis, etiam catacumbis ac coemeteriis martyrum rei divinae vacaturi conveniebant. Non desunt tamen testimonia luculenta initio saeculi tertii jam christianas hinc inde extitisse ecclesias. Hoc clare significat Lampridius in vita Alexandri Severi c. 49. referens: imperatorem hunc voluisse, ut Christiani locum quemdam publicum ad sacra sua adhiberent. Gregorius Thaumaturgus varias aedes sacras aedificavit. Imo, teste Eusebio, imperator Gallienus Christianis plures Ecclesias restituit, et ante persecutionem Diocletiani Christiani plures extruxerunt Ecclesias, quas deinde Diocletianus funditus evertit *(b)*.

§. 3 *Partes cultus divini.*

Cultus divinus, teste Justino M. Apol. I. variis absolvebatur partibus. Praemissis precibus, instituebatur lectio Scripturae S. V. Testamenti et N., praesertim Evangelii festo accomodati, et quidem communiter lingua vernacula. Divinis libris quandoque humanos adjungebant, v. g. epistolas Clementis Romani, Polycarpi, acta martyrum in natalitiis etc.

(a) Euseb. l. 4. H. E. c. 15., S. Cyprianus. Ep. 34. *(b)* Plinius l. 20. Ep. 97. Minutius Felix Octav. c.10. S. Greg. Nyss. in vita S. Greg. Thaumat. Euseb. l. 7. Arnobius l. 6.

Finita lectione, sequebatur exhortatio ad populum. Eximiam quoque sacrorum partem constituebant preces, quibus hymnos et psalmos adjunctos fuisse, veteres testantur *(a)*. Peractis precibus, variae fiebant oblationes. Fideles nimirum, nisi essent pauperes, offerebant panem et vinum, interdum alias quoque res, uti: lac, mel, ova, oleum, odoramenta, ceram, farinam, quae vero munera ab illis tantum recipiebantur, qui perfecta Ecclesiae communione fruebantur *(b)*. Ex his donis jam portio conveniens panis et vini separabatur ad Eucharistiae sacrificium, per Praepositum celebrandum; reliquae autem illorum partes cum ministris ecclesiasticis, tum pauperibus alendis, atque conviviis amoris instruendis inserviebant. Diebus dominicis et festis etiam pecunias in eumdem finem offerebant *(c)*. Receptis oblationibus et super altare positis, multis in locis nomina offerentium recitabantur, ut pro illis preces fierent *(d)*. — Oblationes excipiebat actus solennis sacrificii, de regula ab Episcopo, vel absente aut aegrotante Episcopo, a Presbytero celebratus. Post oblatorum consecrationem, Praepositus cum populo orationem dominicam recitabat, sumptaque communione, Eucharistiam vel ipse, vel per manus diaconorum praesentibus exhibebat *(e)*. Apud illos vero, qui necdum s. communionis participes erant; hujus vices supplebant *eulogiae*, sive panes benedicti. Distribuebatur Eucharistia de regula sub utraque specie, et panis et vini, ea tamen ratione, ut eremitis et abstemiis panis tantum consecratus, parvulis autem recens baptizatis tantum vinum, aut panis vino tinctus dispensaretur. Vinum aqua dilutum offerebatur in calice imaginibus ornato. Ratio Eucharistiam dispensandi, pro diversitate temporum et locorum diversa fuit. Saeculo saltem III. consuetudo passim obtinuit, sumendi illam in manus et admovendi. In Ecclesia Carthaginensi infantes quoque ad s. coenam admittebantur. Non solum autem praesentes participes fiebant, sed etiam absentes et aegroti, ad quos Diaconi partem Eucharistiae deferebant. Tempore persecutionum etiam religiosis hominibus permittebatur, ut Eucharistiam domum deferrent. Anachoretae eam in eremum secum portabant, opportuno tempore sumendam. Ab Episcopis romanis Victore anterioribus Eucharistia tanquam signum mutuae pacis mittebatur ad Episcopos in remotiori Asia degentes. Erat etiam apud veteres mos, Eucharistiam in Eccle-

(a) Tertul. Apol. c. 2. (b) S. Ignat. M. Ep. ad Smyrn. (c) Tertul. Apolog. c. 39. (d) S. Cypr. Ep. 60. (e) Clemens Alex. l. 2. pedag. c. 20.

sia asservare, ut quavis emergente necessitate eam ad usum haberent paratam *(a)*.

Sacrae communioni semper et ubique juncta erant convivia parata ex oblationibus, eumque in finem instituta, ut egeni et pauperes reficerentur, mutuaque foveretur charitas fraterna, quae propterea *Agape* dicebantur, seu convivia amoris. Tam sancta erat horum conviviorum consuetudo, ut solis fidelibus communione fruentibus aditus pateret.

§. 4. *Baptismus.*

Ad cultum Dei publicum etiam referendus est baptismus, quem conferendi jus et potestas erat penes Episcopos et Presbyteros, vel ex eorum delegatione penes Diaconos, ita tamen, ut absque Episcopi mandato nemo sacris in rebus quidpiam peragere auderet *(b)*. In casu necessitatis etiam laici poterant baptismum administrare. Ad baptismum non tantum adulti, sed etiam infantes admittebantur; ab adultis vero cognitio Christianae doctrinae et fidei confessio requirebatur. In baptismo sat mature sponsores, seu patrini, qui pro fide infantum fidejuberent, adhiberi coeperunt. Ab ineunte rei christianae aetate baptismus quovis tempore administrari potuit. Sed cum Ecclesiae christianae solidius essent constitutae, jam certa ac solemnia tempora praestituebantur, et communiter quidem pervigilium Paschatis et Pentecostes. Qui ad Ecclesiam christianam accedere volebant, coram Episcopo vel Presbytero se sistere tenebantur, cujus erat eorum vocationem et vitam examinare, ne mysteria divina profanarentur. Qui admissione digni habebantur, *Catechumeni Ecclesiae* christianae dicebantur. Hi communiter creabantur per impositionem manuum Episcopi vel Presbyteri ab illo delegati, qui eosdem insuper cruce signabat, divinamque super illos benedictionem implorabat. Si quaeritur: quandiu quis inter catechumenos subsistere debuerit, nulla regula generalis statui potest; sed consuetudo pro diversa temporum et locorum ratione, nec non pro ingenii alacritate et Catechumenorum progressibus variabat. Nisi casus singulares adessent, longius temporis intervallum necessarium reputabatur, partim, ut vita catechumenorum digna exploraretur, partim, ut successive et quasi per gradus instruerentur. Erant autem tres catechumenorum gradus seu ordines. Qui in primo gradu erant, *audientes*

(a) S. Ignat. M. Ep. ad Philadelph. c. 4., Tertul. l. de pudicit. c. 7. S. Cyprian. lib. de lapsis. S. Irenaeus apud Euseb. l. 5. H. E. c. 24. S. Optatus Milev. in histor. Donat. (b) Act. 8, 12.

dicebantur ex admissione sui ad sermones et S. Scripturas audiendas; precibus tamen assistere non poterant, sed antequam istae inchoarentur, e vestigio decedere tenebantur. Alter gradus erat *genuflectentium*, qui jam considerabantur ceu catechumeni proprie tales. Eo in gradu qui erant, precibus fidelium flexo poplite adstabant, manuumque impositionem accipiebant. Tertius gradus erat eorum, qui *competentes electi* nominabantur. Hi more aliquorum fidelium jejunium quadragesimale observabant, huicque jejunio preces, genuflexiones, vigilias atque peccatorum confessionem jungebant. Qui in fidei mysteriis instructi, penitus probati, et ad baptismum maturi habebantur, ex usu loquendi *electi* vocabantur. Ipso baptismi die Catechumeni ad baptisterium deducti, diabolo ejusque pompis solemniter renuntiare, symbolum Apostolicum recitare, sicque fidem suam profiteri tenebantur. Baptismus autem plerumque conferebatur trina catechumenorum immersione et invocata, e praescripto Servatoris, SS. Trinitate. Infirmis lecto addictis baptismus per aspersionem administrabatur, et hi vulgo *clinici* dicebantur. Baptizati ad Episcopum adducti, per unctionem sacram, manuumque impositionem et preces illius Spiritum sanctum, seu *confirmationis Sacramentum* accipiebant. Neophitis lac et mel, ad spiritualem nativitatem morumque simplicitatem significandam, dabatur. Denique corona et candida veste induti domum rediebant. Nam post solitas renunciationes togae loco ipsis pallium dabatur, in symbolum humilitatis evangelicae, quia toga insigne dignitatis erat. Hinc illud gentilium in Christianos dicterium: a toga ad pallium.

§. 5. *Jejunia.*

Circa jejunia Christus nullam quidem disertam legem praescripsit, attamen ipse post baptismum in solitudinem recessit, ibidemque per dies quadraginta jejunus delituit. Post Christi ascensionem Apostoli, divini magistri vestigiis insistentes, crebris se jejuniis exercuerunt *(a)*. Apostolorum exemplum fideles pie sequuti, frequenter jejunabant. Catechumeni, finita institutione catechetica, jejuniis ad baptismum se praeparare, et majorum criminum rei, antequam in communionem ecclesiasticam reciperentur, jejuniis preces alere tenebantur, imo aliis quoque occasionibus, praesertim tempore publicarum aerumnarum, jejunia ab Ecclesiae praesulibus indicebantur. Erant praeterea alia jejunia *fixa* et *stata*, seu

(a) Act. 13, 3.

certis anni temporibus adstricta, quae iterum dividebantur in *annua* et *hebdomadalia*. Primi generis memoratur fuisse jejunium *antepaschale*, quod hodie *quadragesimale* dicitur; secundi generis *jejunia feriae quartae et sextae*.

Jam quod attinet jejunium antepaschale, veteres in eo consentiunt, quod jam antiquissimo aevo in memoriam passionis et mortis Jesu Christi ab omnibus fidelibus religione summa observatum fuerit. Praeter hoc jejunium erant etiam hebdomadalia, die Mercurii et die Veneris, a Latinis dicta *Stationes*, *semijejunia* et *jejunia feriae IV. et VI.* His quippe feriis Christiani non tantum ad Martyrum sepulchra conveniebant, ibique statim ab ortu solis, orationibus, exhortationibus et sacrarum lectionum interpretationibus vacabant, sed etiam jejunia religiose observabant, et hora nona post Eucharistiam et oscula pacis solvebant. Erant praeterea multi Christiani fervidiores, qui his jejuniis nondum contenti, in hebdomada majori, unum, duos, tres dies et etiam totam hebdomadam absque cibo transigebant, ad gallicinium usque diei Resurrectionis. Hoc abstinentiae genus Latini *superpositiones* appellabant *(a)*.

Quod denique concernit rationem jejunandi, certum est, quod abstinentia non a carnibus solum, sed a vino quoque praecipue commendata fuerit, imo hinc inde in legem abierit. Lege tamen universali necdum extante, varii antiquitus apparent abstinentiae gradus. Nonnulli observabant ωμοραγιαν (crudorum victum), nihil cocti manducantes; alii ξυρογαγιαν (aridorum victum) cibis tantum siccis vescentes, v. g. nucibus, amygdalis, vel solo pane et aqua utentes *(b)*.

§. 6. *Mores Christianorum religiosi.*

Priora oppido Ecclesiae saecula nitido coruscant sanctitatis et innocentiae splendore, aureamque merito constituunt aetatem. Qui enim doctrinam Jesu Christi profitebantur, vitam sanctissimam vivebant. Dici non potest, qua vigilantia et solicitudine veteres Christiani omnia officiorum genera divinitus praescripta, erga Deum, se ipsos, et alios persolverint, volentes sic non tantum seipsos perficere, sed aliis quoque praelucere exemplo, suaeque religionis excellentiam et dignitatem tueri *(c)*.

Deo praestiterunt cultum internum pariter et externum, seduloque curarunt, ut, dum precibus et hymnis, eumdem

(a) S. Irenaeus Ep. ad Vict. Tertul. l. de jej. c. 1. (b) Tertul. de jej. c. 13., Socrates l. 5. H.E. c. 22. (c) Justinus M. cohort. ad Graec. c. 36.

celebrarent, et externa amoris ac reverentiae specimina darent, eorda simul essent veri amoris ac fiduciae ac gratitudinis erga illum plena. Omnia cogitata, dicta et facta ad Deum, tanquam rerum omnium principium ac finem retulerunt, uti patet ex Athenagora, Irenaeo et Origene *(a)*.

Leges divinas, quae officia erga nos ipsos praescribunt, veteres Christiani itidem diligenter custodiverunt, in modestiae, temperantiae, sobrietatis ac pudoris studio toti defixi. Avulsi a terrenis, omnem edificiorum, supellectilium ac vestimentorum ornatum et pompam abhorrebant. Gentium profanorum spectaculis, ludisque theatralibus, quod essent impudicitiae et crudelitatis fomenta, partemque constituerent idololatriae, haud intererant. Abstinebant ab omnibus cupediis, lautisque epulis, quas esse illecebras et escas malarum cupiditatum probe intelligebant. Cum hac victus frugalitate miram conjungebant castitatem, cujus studio nonnulli ita inflammati erant, ut statim post baptismum ad continentiam se adstringerent. Erant autem conjugio, qui perpetuam continentiam mutuo consensu servarent. Mulieres et virgines a lascivia tam alienae erant, ut adversa quaevis pati mallent, quam pudorem laedere *(b)*.

Quod denique officiorum, quae aliis debentur, maxime studiosi fuerint, antiqua monumenta testantur. Narrat S. Justinus M., eos mutuo amore inter se adeo junctos fuisse, ut fratrum et sororum loco se invicem haberent, pauperum, pupillorum, viduarum curam tenerrimam gererent, eleemosynis colligendis et recte distribuendis sedulo adlaborarent, suisque aedibus hospites eo tempore frequenter exciperent et foverent. Nec seipsos tantum, sed etiam alios, a veris sacris alienos, fraterna charitate amplectebantur eorum inopiam sublevantes, vel fervidas preces pro eorum salute ad Deum fundentes. Imperatores et magistratus, ethnicos licet, ea, qua par erat, veneratione prosequebantur, debitam illis obedientiam et fidelitatis obsequium praestabant, vectigalia iis pendebant, et optima quaevis precabantur. In iis, quae cum aliis tractabant, ab omni fraude et fuco alienissimi erant, neque puram fidem temerabant *(c)*.

§. 7. *Ascetae et Anacoretae.*

Erant insuper in Ecclesia Christiana majoris perfectionis studiosi, qui relictis vitae commoditatibus, hominumque commercio, poenitentiae operibus, sensuum impetum compesce-

(a) Athen. Leg. pro Christ. c. 31. S. Irenaeus l. 4. adv. haeres. c. 14. Orig. l. contra Celsum. (b) Justin. M.Ap. 1.c. 15., Tertul. l. 2. ad uxorem c. 5., Euseb. l. 8.H.E. c. 14. (c) Origenes l. 5. cont. Celsum, Theophilus Antioch. l. 1. ad Autolicum

rent, corporis vires frangerent, sicque ad arctiorem cum Deo communionem eniterentur. Hi communiter *Ascetae* dicebantur, eorumque abstinentia passim appellabatur *Ascesis*, seu rigida victus ratio. Ascetas jam antiquitus fuisse in Ecclesia Christiana monumenta historica testantur *(a)*.

Saeculo III. saeviente persecutione Deciana, multi Christiani in Aegypto metu tormentorum imminentium perculsi, ad vicinas solitudines ac montes se recipiebant. Hos inter plures quoque Ascetae erant, non tantum libertati et vitae suae consulentes, sed etiam majorem quaerentes occasionem et libertatem, in divina contemplatione et pietate se exercendi. Quae vivendi ratio plurimis adeo jucunda fuit, ut sopita persecutione ad pristina sua domicilia redire nollent, sed in solitudine semper permanere decernerent, dicti eapropter: *Anachoretae* a voce ἀναχωρέω, secedo; vel *Eremitae* a voce ἔρημος, solitudo. Perhibent veteres, eremitarum parentem fuisse S. Paulum, an. 228 in Thebaide inferiori natum, ingenii felicissimi, literarum graecarum et aegyptiacarum haud modice peritum, jamque a teneris sancto erga Deum amore succensum, qui saeviente in Aegypto et Thebaide Decianae persecutionis procella, cum ab ipso sororis suae marito, bonis illius inhiante, ad judices deferretur, summasque in angustias undique adduceretur, securitati suae consulturus, loca solitaria petiit, volens hic tamdiu latitare, donec tempestas furere desierit. Dicunt, eumdem vitae solitariae paulatim ita assuevisse, ut interiores jam hujus deserti recessus introierit, ibique in spelunca palmae ramis tecta nonaginta annos vixerit, coelestium contemplationi, perpetuis precibus et laudibus divinis intentus, palmae fructibus ei victum, et foliis vestitum praebentibus. — Pauli vestigiis institit S. Antonius in Aegypto superiori illustri stemmate ortus a. 251, literarum quidem rudis, perfectionis tamen studio jam in aetate vernante flagrantissimus. Is mortuis parentibus, juvenis adhuc in templum pro more ingressus ubi Christi effatum hoc perceperat: « Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, » statim suum patrimonium inter pauperes distribuit, sororem suam virginum sacrarum coetui aggregavit, domoque relicta in solitudinem se contulit. Ibi maxime severum et durum vitae genus sectatus, fervidae orationi, jejuniis, coelestium contemplationi, manuum labori et charitati proximi incessanter vacavit, plurimos discipulos verbo et exemplo ad idem vitae institutum amplectendum pellexit, suamque vitam finiit anno

(a) Athenagoras Apolog. c. 28., Tertul. l. de vel. virg.

aetatis CV. Neque dubium ullum, quin et viduae et virgines plurimae ad solitariam vitam se se adstriuxerint, aevo posteriori *Ascetriae* dictae. Caeterum praetereundum non est discrimen inter *Ascetas* et *Monachos* proprie tales. Monachi vitam in coenobiis ad certam regulam agebant, a frequentia hominum remoti, et ante saeculum IV. a nullo scriptore ecclesiastico memorantur. Primi vero Ascetae in urbibus vivebant, nullis regulis obnoxii, nec ab aliis hominibus discrepabant, nisi solo perfectionis studio, jamque ab incunte Ecclesiae aetate extitisse perhibentur. Veruntamen haud negandum, ex instituto Ascetarum aevo posteriori vitam monasticam profluxisse *(a)*.

§. 8. *Quorundam Christianorum vitia et poenae ecclesiasticae.*

Jam Apostolorum aevo perversos Christianos extitisse, monumenta historica testantur. Sic Hymenaeus, Philetus, et Alexander, teste Paulo, a veritate exciderunt *(b)*. Idem Paulus Corinthios reprehendit, quod in incestu publice viventem tolerarent, quod idololythis vescentes offensionem praeberent infirmis, et inter se dissiderent *(c)*. In Ecclesia Antiochena disputatum fuisse de lege mosaica, testantur Apostolorum Actus c. 15. Crescente paulatim Christianorum multitudine, etiam vitia crevere. Refert Eusebius, ante Diocletiani persecutionem Christianos, inprimis S. Ordinis viros a rectis moribus descivisse. Longior quies, qua Christiani dimidio saeculi tertii fruebantur, indifferentismum quemdam religiosum, incautam cum idololatris conversationem, hypocrisim, aliaque vitia graviora propullulare fecit, ita quidem, ut tempore persecutionis Decianae nonnulli Apostasiae crimine se contaminarent *(d)*.

Qui vel errorum magistri existebant, vel vita flagitiosa aliis scandalum praebebant, ab Ecclesia, juxta Christi praeceptum et Apostolorum exemplum, excommunicabantur. Erat autem excommunicatio exclusio peccatorum a communione Ecclesiae ita ut in posterum ipsis non amplius liceret iis beneficiis, juribus ac privilegiis uti, quae veris Ecclesiae membris conveniunt. Sacrorum communione de regula excludebantur apostatae, haeretici, homicidae, omnes, ut breviter dicam, delictorum canonicorum rei. Minora tamen scelera excommunicationi minori, seu exclusione partiali a diviuis plectebantur. Conditio illorum, qui excommunicatione majori

(a) S. Epiphan. haeres. 42. (b) II. Tim. 2, 18. (c) I. Cor. 5., 8. 11.
(d) Eus. l. 8. II. E. c. 1., S. Cyprian. de lapsis.

notabantur, omnino miserabilis fuit. Nullus eisdem ad Ecclesiam patebat aditus, nemo eos fratris appellatione, familiari colloquio, aut convivio dignos extimabat. Ne autem excommunicati, in vicinis Ecclesiis, ad communionem admitterentur, Praesules per litteras communicatorias cavebant. Potestas excommunicandi loci Episcopo competebat. Appellatio semper fiebat ad Metropolitam, vel ad Synodum provincialem. In quibusdam Ecclesiis mos vigebat, ut Clerici delinquentes haud excommunicarentur, nisi intervenientibus aliquot Episcopis *(a)*.

§. 9. *Poenitentia publica.*

Qui excommunicati erant, non prius in communionem restituebantur, quam dolorem de peccatis suis monstrassent, ac grave publicae poenitentiae onus in se suscepissent. Primis quidem ab initiis excommunicatis communionem serio optantibus facilis patebat aditus, nisi extraordinariae circumstantiae contrarium exposcerent; ast opprobria Montanistarum aeque ac Novatianorum, nec non increscens paulatim vitiorum inter Christianos moles, Catholicos Antistites tandem cautiores et severiores effecerunt, ita quidem, ut jam finiente saeculo secundo, statuta passim probationis tempora inveniantur. Durante probationis tempore in sordibus, lamentis, luctuque erant; verbis, suspiriis, lacrymis, gestibus animi dolorem et perturbationem significabant, rigidissima pietatis exercitia subibant, vitam vere poenitentem sectabantur. Quatuor erant poenitentiae publicae gradus, nimirum: *Flentium, audientium, substratorum,* et *consistentium.* — Flentes in porticu, seu vestibulo Ecclesiae ad fores stabant in squalore et luctu, lugubri vestitu induti, humi prostrati, et ingredientes orabant fusis lacrymis, ut pro illis preces ad Deum facerent, et ad poenitentiam agendam admitti petebant. Quamdiu in hac erant statione, ab omni aliorum consuetudine abstinere tenebantur. Audientes stabant inter portam exteriorem et speciosam, in cujus atrio baptisterium locabatur. Audientibus permissum erat, psalmorum cantum, S. Scripturae lectionem et sermonem Episcopi audire; sed exire tenebantur, antequam preces communes fierent cum catechumenis et aliis, qui generatim *audientes* appellabantur. Locus *substratorum* jam erat inter audientes et fideles positus, et quidem inter partem interiorem et speciosam ad ambonem usque protensus; unde S. Scriptura legebatur, et conciones ad populum habe-

(a) Concil. Carthag. I. c. 11.

bantur. Qui hac statione erant, genua semper flectebant, propterea *substrati* dicti, vigiliis, jejuniis et cruciatibus corpus conficiebant. Licebat illis preces cum fidelibus fundere, et manuum impositionem ab Episcopo recipere. Quartus gradus erat *consistentium* ita dictorum, quod simul cum fidelibus propius ad altare consisterent, neque cum catechumenis expellerentur. Hi jam libertatem habebant videndi, quomodo fierent oblationes et sacrificii mysteria, quin tamen ipsi quidquam offerre, vel Eucharistiae participes fieri possent. Erat imperfectum quoddam communionis ecclesiasticae genus, cujus in oppositionem, dum ad oblationes jam, et s. communionem admitterentur, *ad id, quod perfectum est,* venire dicebantur *(a)*.

§. 10. *Varii poenitentiae publicae actus, ejusque rigor.*

Qui ex praescripto legum publicam poenitentiam subire tenebantur, communiter feria quarta cinerum ad fores Ecclesiae se sistebant, sordido laceroque vestitu in moeroris ac contritionis suae signum. Ingressi in Ecclesiam de manu Episcopi recipiebant cineres et cilicia, manebantque humi prostrati, dum Episcopus, Clerus et universus populus, flexo poplite, preces pro illis persolverent. Has preces excipiebat solemnis exhortatio Episcopi, ad constantiam, et divinae misericordiae spem eodem erigentis; qua finita, aedibus sacris ejiciebantur, et illico fores Ecclesiae claudebantur. Ab hoc tempore variis exercitiis arduis vacare, continuis abstinentiis ac jejuniis corpus debilitare, potiorem partem temporis precibus impendere, vigilias agere, et eleemosynam pro viribus dare tenebantur. Durante autem poenitentiae tempore in cilicio ac cinere incedebant, tonsis capillis, velatoque capite suum moerorem testificabantur, ab actionibus civilibus et a licitis oblectamentis abstinebant. Hinc conjugati ad poenitentiam non admittebantur, nisi ex utriusque partis consensu, ac coelibes durante poenitentia nuptias inire vetabantur. In diversis tamen Ecclesiis diversus obtinebat mos.

Qualis fuerit publicae poenitentiae rigor, inde satis intelligitur, quod: 1. admodum diuturna fuerit, illiusque aditus praeclusus peccatoribus post poenitentiam publicam in eadem, et nova crimina relapsis; 2. Quod nonnulli propter certa crimina graviora per totum vitae tempus poenitentiam agere debuerint, in supremo tandem vitae discrimine reconciliati; 3. Quod non tantum Laici, verum etiam Clerici poenitentiae publicae subjecti fuerint, uti testantur monumenta

(a) S. Gregor. Thaum. Ep. can., Synod. Ancyran. can. 16.

historica. Ineunte saeculo quarto Clerici a laicis poenitentibus omnino secernebantur *(a)*.

§. 11. *Reconciliatio.*

Duplex fuit in antiqua Ecclesia reconciliatio, altera *prima* seu *minor*, altera *ultima* seu *major*. Reconciliatio prima concedebatur poenitentibus, a tertia ad quartam stationem transeuntibus, quacum absolutio a peccatis, et communio ecclesiastica in omnibus rebus, si oblationes et Eucharistiam excipias, erat conjuncta. Reconciliatio ultima vero concedebatur tempore poenitentiae jam plane exacto, tribuebatque jus communionis ecclesiasticae plenum, i. e. jus cum reliquis fidelibus offerendi simul et s. Synaxim sumendi. Tempus huic reconciliationi peropportunum reputabatur esse finis Quadragesimae. Die nimirum *Parasceves* poenitentes ad fores Ecclesiae se sistebant, Praesul vero peractis devotis precibus, eosdem intrare jubebat. Cum intus essent, Episcopus pro concione dicens, divinam illis misericordiam ob oculos ponebat, eosque ad vitam serio emendandam identidem cohortabatur. Facta resipiscentiae sponsione, peractisque consuetis precibus, solemnem illis absolutionem impertiebatur. Quo finito, lugubres vestes exuebant ac reliquorum fidelium more denuo vivere incipiebant. — Cum poenitentia necessario conjuncta erat peccatorum confessio. Utrum haec confessio publica vel privata fuerit, inter doctos non convenit. Fuerunt hinc inde Episcopi, qui consuetudinem publice confitendi suis in dioecesibus haud improbabant.

Arcanam et sacramentalem peccatorum mortalium confessionem fuisse quoque usu ecclesiastico receptam, Scriptores hujus Periodi luculentis testimoniis confirmant. Ita Tertullianus *(b)* « eos, qui peccata sua detegere recusant, cum iis comparat, qui in partibus verecundioribus vulnerati, conscientiam medentium vitant, suoque silentio pereunt. » Necessitatem summam confessionis peccatorum, ut Sacerdos internum peccatorum statum rite cognoscere ac dijudicare possit, utrum venia coram Deo dignus sit, apertis vestigiis declarat Origenes, scribens : « Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum ! Proba prius medicum, cui debeas causam languoris tui exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam.....

(a) Tertul. l. de poenit. c. 7., S. Cyprian. Ep. 68, Euseb. l. 5. H. E., Concilium Illib. can. 5. et 76., Concil. Neocaesar. can. 1. (b) Lib. de poenitent. c. 9.

si intellexerit et praeviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat, et curari, ex quo fortassis et caeteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hac deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est *(a)* ».

§. 12. *Poenitentiae minister.*

Primis Ecclesiae Christianae temporibus, uti aliorum ecclesiasticorum negotiorum, ita et publicae poenitentiae moderamen ab Episcoporum dispositione pendebat. Peccatores majores in communionem ecclesiasticam recipi cupientes, delicta commissa revelare tenebantur Episcopo qui deinde publicae poenitentiae tempus atque genus definiebat. Verum aucta Christianorum multitudine, cum Episcopi omnibus indigentibus jam per se satisfacere nequirent, res ipsa poscebat, ut in rei hujus adjutorium etiam Presbyteros, imo urgente necessitate, et diaconos sibi adsciscerent; qui tamen nonnisi jussu Episcopi publicam poenitentiam moderabantur. Tempore autem persecutionis Decianae Episcopi poenitentiarium Praesbyterum designabant, qui poenitentium exciperet confessionem; et poenarum tempus atque genus definiret *(b)*.

Quemadmodum vero Episcopi jure gaudebant dijudicandi utrum peccator ad poenitentiam admittendus, utrum publicae poenitentiae subjiciendus, vel absque publica poenitentia, pace et communione ecclesiastica donandus esset: ita etiam illorum erat, rigorem publicae poenitentiae justa de causa temperare, id est, tempus poenitentiae contrahere, et ipsius poenae naturam et qualitatem aliquo etiam modo mutare vel imminuere. Contigit autem talis publicae poenitentiae relaxatio ob varias rationes; vel propter graviores imbecillitates, morbosque corporis, vel propter poenitentium animum sincerum et ardorem insigniorem; vel propter imminens apostasiae, schismatis, et persecutionis periculum; vel denique propter intercessionem Martyrum et Confessorum, praepotenti apud Episcopos auctoritate pollentium. His fere casibus ab Episcopo disciplinae severitas est mitigata. Atque hoc est, quod veteres vocarunt *indulgentiam.* Indulgentiam ab Episcopis concessam non tantum fuisse remissionem poenarum canonicarum, verum etiam illarum divinae justitiae pro flagitiis debitarum; seu indulgentiam valuisse non solum in foro externo, sed etiam in foro interno, veteres Ecclesiae

(*a*) Origenes hom. 2. in psalm. 37. (*b*) S. Cyprian. Ep. 13., Socrat. lib. 5. H. E. c. 19.

doctores haud obscure significant. Ita Tertullianus, jam Montanista accerrimo calamo Zephirinum Pontificem reprehendit, quod moechis ad preces martyrum veniam culpae ac poenae tribuerit, eam in rem scribens: « An tu jam et in martyres tuos hanc effundis potestatem? Quis permittit homini donare, quae Deo servanda sunt? » Supponit hic Tertullianus, Catholicos persuasos fuisse, quod martyrum merita aliis etiam coram Deo proficere possint ad poenas abolendas. Eodem videtur collimare S. Cyprianus, opinionem lapsorum haud improbans, credentium: se per martyrum preces idem obtenturos quod per diuturnam poenitentiam alias intenditur, dummodo martyres dignis tantum pacem largiantur (*a*).

(*a*) Tertullian. l. de pudicit. c. 22., S. Cyprian. lib. de lapsis, et ep. 13.



PERIODUS SECUNDA

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

NOVI TESTAMENTI

A CONSTANTINO M. USQUE AD CAROLUM M.

H. E.

AB ANNO 306. AD ANNUM 800.

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. *Status imperii Romani.*

Constantio Chloro Eboraci an. 306 mortuo, hujus Filius Constantinus, patris judicio, militumque suffragiis imperium accepit in Britannia, quem tamen Armentarius Caesaris appellatione contentum esse voluit, ut demum sequenti anno Augusti nomen a Maximiano socero obtinuerit. At ubi Constantini imagines Romam sunt allatae, qui ibi erant Praetoriani milites, Maxentium Herculei Filium, imperatorem salutant. Contra hunc Armentarius Severum cum exercitu ire jubet. Maxentius, patri suo Herculeo, post depositum imperium in Campania moranti, purpuram mittit, eumque bis Augustum nominat. Severus autem sinistro marte dimicans, a suis desertus et captus interimitur. In ejus locum Armentarius Licinium substituit Caesarem et Augustum, ut adeo eodem tempore sex essent sive Augusti, sive Caesares. Nec diu post Herculeus in Galliam profectus, dum semel, iterumque nefaria adversus Constantinum generum suum moliretur, deprehensus, perfidiae suae poenas luit a. C. 310. Anno sequenti etiam Galerius Armentarius foedo morbo consumptus est. Eodem fere tempore Maxentius bellum Constantino indixit, in quo posterior saepius victor, denique Maxentium ad pontem Milvium vicit, Italiaque est potitus et Africa, desinente anno 312. Quo

profligato, unus jam de persecutoribus Ecclesiae supererat, Galerius Maximianus Dacius, qui suscepto contra Licinium bello an. 313 in Illyriis a Licinio victus, in Asiam aufugit, et apud Tarsum Ciliciae horrenda morte extinctus est. Hoc modo ad Constantinum et Licinium devoluto imperio, post breve tempus discordiae inter eos ortae sunt, quarum denique exitus is fuit, ut Licinius debellatus in victoris potestatem veniret, eoque perempto, Constantinus solus regnum potiretur an. 323. Constantino mortuo, tres illius filii, diviso inter se imperio, Augusti sunt appellati, hosque porro alii exceperunt, donec saeculo IV ad finem vergente Theodosius Magnus imperium in Orientale et Occidentale divisit.

Occidentis imperium ab anno fere 400 gentium barbararum, maxime Germanicarum incursionibus adeo vastatum et laceratum est, ut denique an. 476 etiam nomen ejus in Romulo Augustolo desineret, et plura ex ejus reliquiis nova regna surgerent. Instauratum illud denuo fuit an. 800 per Carolum Magnum.

Orientalem Romanorum imperium non minori impetu jactatum per easdem et Asiaticas gentes, turbas etiam intestinas, perduravit tamen, victoriis quoque insigne sub Justiniano, qui ad annum usque 565 regnavit. Verum saeculo VII nobilissimas Asiae et Africae provincias Saraceni vi eripuerunt, qui eodem tempore Persicum regnum everterunt, et sub initium VIII saeculi Hispaniam sui juris fecerunt (*a*).

§. 2. *Status litterarum.*

Imperante Constantino M. aurea scientiarum et artium liberalium aetas jam multum defecerat: uti respublica civilis, ita etiam eruditio in dies magis in praeceps ruebat. Non quidem deerant inter gentiles Rhetores, poetae, historici, philosophi, ac sophistae insignes, qui artes et disciplinas suas sedulo utcumque colerent; verum scripta illorum, quae aetatem tulerunt, longe inferiora sunt literariis anterioris aevi monumentis. — Inde a saeculo IV litterarum studia a gentilibus ad Christianos transierunt. Jam enim summa necessitas poscebat, ut Christiani artibus ingenuis, litterisque, maxime philosophiae operam darent, quo haberent arma ethnicis philosophis solide refutandis idonea. Quam fuerit ferax virorum doctorum saeculum IV et V vel Athanasii, Cyrilli Jerosolymitani, Basilii M. utriusque Gregorii, Hieronymi, Augustini,

(*a*) Zosimus l. 2. c. 10. et c. 17., Lactant. de mort. persec., Euseb. H. E. l. 8.

Leonis M., etc. illustria nomina satis declarant, Imperatorum favore et munificentia in urbibus majoribus scholae et bibliothaecae institutae, atque viri litterarum periti, stipendiis, commodis et honoribus aucti sunt. Ita factum, ut praeter celeberrimam scholam Atheniensem et Alexandrinam etiam Constantinopoli, Nisibi, et Edessae in Mesopotamia, Romae, Massiliae, Lugduni, Augustae Trevirorum, Carthagine etc. publicae scholae efflorescerent. Verum irruentibus undique in imperium occidentale barbaris gentibus, barbaries sensim et ignorantia crassa dominatum eripuere. Jam enim commixtio linguae eorum cum idiomate incolarum primitivorum studio litteraturæ classicæ gravissimum impedimentum objecit. Solis Clericis ita felicibus esse licuit, ut veterem adhuc Latii linguam colerent. Accedebat, quod inter diuturnas populorum migrationes et Occidentis depopulationes, innumera classicorum monumenta et publicae scholae pessum ierint, imo deficientibus jam litterariis, jam pecuniariis subsidiis, maxime vero idoneis magistris, nec scholae novae erigi, nec labefactatae resuscitari potuerint. Septem artes liberales, in scholis Clericorum traditae, praeter elementa rudia nihil offerebant, magisque memoriae onerandae, quam intelligentiae acuendae inserviebant. Philosophi nondum Aristotelem sequebantur, quem tristem nimis et morosum veritatis doctorem supponebant, sed Platonis disciplinam praeseferebant, quam minus asperam, magisque Religioni christianae consonam reputabant.

In Oriente litterae et artes felicius nonnihil colebantur. Sic Beryti in Phoenicia jurisprudentia, Alexandriae ars medica et chymica non mediocriter vigebat. In aliis quoque locis eloquentiae, poeseos, philosophiae, aliarumque litterarum scholae reperiebantur. Omnium tamen celeberrimae erant Alexandrina, Constantinopolitana et Edessena, ubi Philosophia Neoplatonica imperium tenebat. Sensim tamen Aristoteles quoque e tenebris emersit, brevique Platoni sceptrum imperiosum eripuit. Neque dubitandum, multos vel ideo ad Aristotelis vexilla se contulisse, ne Pelagianis Platoni in uno alterove capite affinibus consentire, aut Origenis, qui philosophiae Platonicae amore in haereseos suspicionem inciderat, sectatores esse viderentur (a).

§. 3. *Propagatio Religionis Christianae.*

Ad verae Religionis propagationem, inprimis multum contulit Constantinus M., qui vulgato an. 312 edicto omnibus

(a) Claudius Fleury §. 21. p. 56.

Christianis sibi subditis religiouis libertatem concessit, annoque sequenti vi edicti Mediolanensis omnibus liberam potestatem dedit, sequendi Religionem, quam quisque voluisset. Fructibus libertatis hujus prius gaudere coeperunt Christiani in Occidente, cui praefuit Constantinus M., quam in Oriente, ubi Licinius aemulatione Constantini, ex fautore hostis factus christianorum non paucos martyres fecit, cui tamen malo, Licinio victo et interfecto, Constantinus consuluit, et pacem Ecclesiae reddidit. Tradunt veteres, eum in rerum divinarum cognitione in dies profecisse, ita quidem, ut et legibus et factis se christianum profiteri non dubitaverit *(a)*.

Ad vera Christi sacra suscipienda Imperatori viam paravit visio extraordinaria. Narrat Eusebius Constantinum M., rivali suo Maxentio debellando intentum, quum de exitu belli hujus dubius esset, suique hostis praepotentiam vereretur, ethnica superstitione abjecta, veri Dei opem implorasse, horisque diei meridianis, Crucis trophaeum in coelo, ex luce conflatum, Soli superpositum vidisse cum hujusmodi inscriptione « in hoc signo vinces », cumque animo dubitaret, quidnam haec visio vellet, dormienti illi apparuisse Christum cum signo illo, quod in coelo ostensum fuerat ac praecipisse, ut militari signo ad similitudinem ejus, quod in coelo vidisset tanquam salutari praesidio in preliis uteretur. Addit Eusebius postridie convocasse auri et gemmarum fabros, et signum Cruci simile, *Labarum* dictum, ex auro et lapillis formari, illudque tanquam muuimentum adversus qualescumque hostes exercitui praeferri jussisse. Constantinus rem non solum Eusebio narravit, sed etiam jurejurando affirmavit. Hanc narrationem etiam alii scriptores, veluti Lactantius, Socrates, Sozomenus, Philistorgius, Nicephorus confirmant *(b)*.

Viso hoc admirabili signo Constantinus jam non sibi cunctandum ratus, soli Christianorum Deo religiosum cultum exhibebat, sacram Scripturam legebat, Episcoporum magisterio et familiaritate gaudebat, bellumque adversus Maxentium continuans, gloriosam de illo victoriam reportabat, non longe ab urbe: qui caesa acie fugiens, dum Romam se reciperet, in ponte Milvio a Constantino insidiose structo, transgressurus Tiberim interceptus, pontisque ruina oppressus ac demersus periit *(c)*.

Anno 337, qui fuit postremus vitae illius, Constantinus in morbum incidens, medicorum consilio, mutandae aurae causa Constantinopoli Elenopolim Bythiniae urbem discessit, ubi in

(a) Euseb. l. 10. H. E. c. 5. (b) Euseb. l. 1. de vita Constant. c. 28., Lactant. de mort. persecut. Socrates, l. 1. H. E. c. 2., Sozom. l. 1. H. E. c. 3., Philistorg. l. 1. H. E. c. 6., Nicephor. l. 7. c. 10.

(c) Euseb. de vita Constant. l. 1. c. 8.

templo Martyrum supplicationes et preces Deo obtulit. Inde in suburbana Nicomediae in arcem Aquiron digressus, cum extremum vitae diem sibi imminere videret, convocatis Episcopis probabiliter manu Osii Cordubensis, in festo Pentecostes, sacrum regenerationis lavacrum summa devotione suscepit, eademque die ad meliorem vitam migravit, anno aetatis suae 65, imperii 32 (a).

Quo animo vel consilio Constantinus M. ad Religionem Christianam accesserit, diu multumque disputatum fuit. Sunt enim viri, novarum sententiarum studiosi, qui affirmant, eum motivis mere politicis incitatum fuisse, ut Christum profiteretur, Christianum illum fuisse negantes, aut simulasse tantum christianam Religionem, contendentes. Quod ut probent, variis utuntur argumentis, observantes: Constantinum, quum imperium Romanum sibi soli vindicare voluisset, et probe cognovisset, se Christianorum, quorum maximus numerus tunc fuerit auxilio carere non posse, Christianum se simulasse, ut viam sibi muniret ad supremum imperium. Addunt, imperatorem hunc vitam egisse, homine Christiano indignam; Crispum Minervinae suae primae conjugis filium, et Faustam secundam uxorem interfecisse; Licinium, ejusque filium peremisse; ingenium Arianis exhibuisse benignum; SS. Eusthatium et Athanasium in exilium misisse; superbiae, vanitati, voluptati praeter modum indulsisse, atque baptismum usque ad finem vitae distulisse.

Quod causis politicis incitatus fuerit Constantinus ad Religionem christianam amplectendam, mera est conjectura, omni testimoniorum fide destituta. Cum enim multitudine ac numero gentiles tunc Christianis longe superiores, et exercitus magis ex Deorum cultoribus, quod ex Zosimo erui potest quam ex Christianis conscripti fuerint, facile patet, ab hisce posterioribus nec mali quid metuendum, nec bonum sperandum fuisse. Quod lapsus ipsius attinet, scire oportet, imperatorem non illico gentilismi fermentum omne deposuisse, nec communi peccandi sorte fuisse exemptum, licet de veritate ac divinitate christianae religionis fuerit convictus, Crispum interfecit, quia Fausta eum accusavit, quod voluerit thalamum paternum maculare; deinde, cognita calumnia, majori ira percitus Faustam quoque in balneo suffocavit, Licinium ejusque filium strangulari jussit, quia se crimine perduellionis contaminarunt. Arianis benignum exhibuit ingenium partim ex ratione civili, partim ab illis deceptus. SS. Eusthatium, et Athanasium exilio mulctavit non ideo quia fidei chri-

(a) Eusebius l. 4. de vita Const.

stianae defensores erant, sed quia Ariani eos variorum criminum apud Imperatorem accusarunt. Imperatorem non fuisse fidei Arianae addictum patet: 1. quia S. Athanasius in epistola ad Solitarios conqueritur, quod Constantinus paternae fidei ac pietatis vestigia non sectetur; 2. quia Ecclesia graeca eum inter Sanctos adscripsit, ejusque memoriam celebrat 21 Maji. Quod porro baptismi dilationem attinet, ea non videtur esse sufficiens causa, Religionem Constantini oppugnandi, cum admodum probabile sit, eum hic sequutum fuisse multorum hominum aevi sui exemplum, qui baptismum ad obitum usque protulerunt, ne post baptismi lavacrum peccarent, sed loti et sancti ex hac vita decederent. Praeterea ipse Constantinus in oratione ad Episcopos ante baptismum fassus est, ibi in animo olim constituisse, baptismum in Jordane suscipere, in quo Christus a Joanne lustratus fuerat *(a)*.

Profecto Constantinum M. ad Religionem christianam ex animo et vere accessisse, plurima facta ejus, leges, consilia, instituta, extra omne dubium ponunt. Is enim victo et profligato Maxentio, in primis in eo laboravit, ut eximie de re christiana mereret, et vel propagandae Religionis christianae impedimenta removeret, vel totum Christianorum coetum, aut ministros Ecclesiae splendidissimis juribus ac privilegiis ornaret. Certe religionis nostrae adeo singularem curam habuit, ut idololatriam abrogaret, et populos, a Christo alienos ad illius confessionem adduceret. Sacrificia et falsorum numinum cultum diserta lege sustulit, ita tamen, ut ethnicis diu adhuc parceret, nullisque uteretur mediis violentis ad eosdem opprimendos. Plurima idolorum templa everti, ab idolis et simulacris aurum omne, argentum et alia ornamenta auferri, eaque ita nudata in foro ante omnium oculos poni jussit. Judaeos variis mandatis coercuit, ne furorem suum in Christianos exercerent. — Liberum christianae Religionis exercitium indulsit, confessores, qui propter fidem exilia, infamiam, aliasque injurias perpessi, opibus et dignitatibus spoliati, vel ad metalla damnati fuerant, in integrum restitui, bona martyrum, vel propinquis, vel ubi hi deficerent, coetui Christianorum reddi; martyrum coemeteria, aliasque possessiones ecclesiasticas, item aedificia et hortos, ad Ecclesias pertinentes, restitui jussit. Nec contentus, fana Deorum Christo dedicasse, nova quoque templa christiana aerarii caesarei impensis extruxit, puta, Basilicas Lateranensem et Vaticanam, nec non templum supra sepulchrum Domini, eaque multis immunitatibus donavit, ac benevole indulsit, ut Ecclesiae se-

(a) Euseb. loc. cit. c. 62.

cundum testatoris beneplacitum haeredes institui possent. Imo ut Christiani diebus dominicis operibus pietatis commodius vacarent, eosdem ab opere servili, hisce diebus praestando, quiescere jussit. Idem quoque, Clericorum haud incurins, ex redditibus singularum civitatum partem constituit ad eosdem sustentandos. Episcoporum dignitatem et auctoritatem non mediocriter auxit, permittens, ut in causis civilibus, qui vellent Episcoporum arbitrio se subjicerent, ac judicia forensia praeterirent, et ministros ecclesiasticos a publicis muneribus gerendis immunes declaravit. Legem Papiam, qua coelibes, nisi intra centum dies a morte testatoris nuptias iniverint, jure haereditatis privabantur, sustulit *(a)*.

§. 4. *Conditio rei christianae post mortem Constantini.*

Post obitum Constantini M. imperium fuit divisum inter ejus tres filios ita, ut Constantino natu majori Gallia, Hispania, Britannia et pars Africae: Constantio Thracia, Asia, Oriens et Aegyptus: Constanti Italia, Illyricum, Graecia, Macedonia et altera pars Africae. Constantinus hac divisione haud contentus bellum fratri suo Constanti indixit, in quo a. 340, aetatis suae 26 periit. Constans, excitata per Maxentium Gallum seditione, in Arcem Elenam se recepit, ubi ab hostibus suis a. 350, aetatis 30 fuit peremptus. Quod cum audivisset Constantius cum exercitu venit in Occidentem, et superato Maxentio summa rerum potitus est. Filii Constantini M. haud quidquam intermiserunt, quod ad Religionem Christianam stabiliendam et propagandam, nec non ad sacra idolorum penitus evertenda conducere extimabant. Quae passim restabant gentilium templa, ipsis jubentibus, destructa, simulacra remota, sacrificia abrogata fuere. Nihilominus certum est, durante familiae Constantinianae regimine, in orientali et occidentali plaga plura adhuc gentilium stetisse templa, passimque viguisse publica idolorum sacra *(b)*.

Mortuo Constantio a. 361, Julianus Julii Constantii, Constantini M. fratris, filius, solus imperavit, qui simul ac iterum potitus est, Constantii amicos omnes, qua nece, qua exilio mulctavit, et licet a teneris christiana Religione imbutus, et cum fratre suo Gallo in Clerum adlectus, animum tamen praesetulit Christianis infensissimum, eosque non suppliciis, sed malis artibus ad defectionem solicitavit, graviora etiam moliturus in eosdem si persicum bellum confecisset ex

(a) Euseb. Lib. 2. de vit. Constant. c. 48., l. 4. etc.
(b) Euseb. l. 4. H. E., Symmac. ep. 19

voto. Ita factum, ut saltem ad breve tempus sacra christiana in magno versarentur discrimine *(a)*.

Quum Julianus in expeditione contra Persas interiisset, Jovinianus militum suffragiis a. 363 electus imperator, rei christianae in pristinam libertatem restituendae operam dedit. Is quippe, inita cum Persis pace, templa deorum ubique claudi, Ecclesias fidei defensoribus reddi, Catholicis bona ablata restitui, Christianos ubique praefectos et exarchos per omnem Orientem constitui, omnemque rem christianam instaurari jussit *(b)*.

Post eum Valentinianus I. Occidentis, et frater ejus Valens Orientis provinciis praefuit. Ille Nicaenae fidei tenacissimus, sobrius, constans, erga Arianos circumspectus, contrariam tamen doctrinam sequentibus haud molestus extitit. Hic autem ab Eudoxio Episcopo Ariano incitatus, Arianorum partes amplexus est, adeoque infensum erga Catholicos animum monstravit, ut omni in eos crudelitate desaeviret, haecque persecutio ab illa gentilium non discreparet. Persecutionis hujus cursum cohibuerunt irruptiones barbarorum in imperium orientale praecipue Gothorum in Thraciam, contra quos Valens ad Hadrianopolim dimicans, sagitta confossus, cum tugurio, quo se receperat, visus a barbaris exustus est *(c)*.

Felicius sidus rei christianae illuxit sub Gratiano, Valentiniani filio, qui a. 375 patris thronum conscendit, et mortuo Valente, in consortem imperii Valentinianum II. assumpsit, Orienti vero a. 379 Theodosium praefecit. De Gratiano legitur, quod Deorum templa cum simulacris everteret, Episcopos et Doctores a Valente exilio mulctatos, pulsis Arianis, suis sedibus restituerit, Catholicis liberum Religionis exercitium concesserit. Sub ejus fratre Valentiniano II., Ariana sub initium labe infecto, postea ad pietatem paternam reducto, dumque optimam de illo spem singuli conciperent, trucidato, Religioni Catholicae parum levaminis fuit allatum *(d)*.

Mortuo Valentiniano II, summa utriusque imperii potitus est Theodosius M., princeps eximiis ornatus dotibus, sub quo gentium superstitio ultima fata experta est. Is enim templa Deorum ac simulacra penitus dirui jussit, sacrificia una cum caerimoniis profana abrogavit, capitis poena in transgressores statuit, gentiles urbibus pelli, aut infamia notari, et sectariorum conventicula claudi praecepit; variarum denique litium componendarum, et disciplinae ecclesiasticae formandae causa

(a) Theodor. (b) Socrates l. 3. H. E., Philistorg. l. 8. H. E.
(c) Ammianus Marcellinus l. 3. et 31. c. 11., Socrates l. 3. H. E.
(d) Socrates l. 5. H. E. c. 2., Sozomenus l. 7. H. E. c. 2.

Concilium Constantinopolitanum I. indixit. Moriens Theodosius anno 395 filios duos haeredes imperii reliquit, nimirum Arcadium et Honorium. In orientali imperio, cui praefuit Arcadius ab an. 395-408, et post ejus mortem Theodosius II. usque ad a. 450, decreta Theodosii M. contra ethnicismum graviter urgebantur, missis per diversas provincias monachis, qui omnes idololatriae reliquias extirparent. Aliter se res habuit in Occidentali imperio, cujus clavum tenebat Honorius ab an. 395-423, et Valentinianus III. ab an. 423-455, ubi immanes Italiae depopulationes, et hostiles barbarorum incursiones ultricis poenae instar habebantur, qua Dii undique irrisi in Christianos saevirent, et ubi regimini deerant vires, legibus contra idololatriam rite exequendis, necessariae. Ita factum, ut in Occidente idololatria saltem occulta adhuc perduraret *(a)*.

§. 5. *Barbarae gentes fidem Christi recipiunt Saeculo IV.*

In utraque plaga non solum vera Religio divinitus conservata, et ab immani hostium impetu vindicata est, sed plures etiam populi barbari ad salutarem verae fidei cognitionem perducti sunt.

Sic in Armenia, ubi jam aevo Dionysii Alexandrini coetus Christianorum extitit, Religio Christiana mirifice propagata fuit studio et labore Gregorii Illuminatoris, qui non contentus, multos e plebe ad fidem Christi perduxisse, ipsum quoque Armenorum regem Tiridatem, et plures aulicos coelestium veritatum scientia instruxit. Tantorum meritorum praemia laturus, a Praesule Cappadociae Leontio primus Armenorum Episcopus designatus fuit. Saeculo V. Miscrob alphabetum et Bibliorum versionem dedit (*b*).

Dimidio circiter saeculi IV. in vicina Abyssinia, vel Aethiopia, Adessius et Frumentius, ex Ægypto advenae, brevi regis atque reginae tantam gratiam sibi conciliarunt, ut muneribus praeficerentur, fidem Christi, impune praedicarent, regem ipsum cum multis proceribus veris sacris initiarent, templum Christo sacrum aedificari curarent. Frumentius postea cum Adesio domum rediit; cumque S. Athanasio Alexandrino Praesuli praedicationis suae successum narrassent, Frumentius, ab eo incitatus, Episcopi munus suscepit, et Aethiopum regionem repetiit, labores Apostolicos denuo subi-

(*a*) Theodoretus l. 5. H. E. c. 39., Sozomenus l. 9. H. E. c. 6.
(*b*) Sozomenus l. 2. H. E. c. 8.

turus. A quo tempore Ecclesia Aethiopica, ceu filia Alexandrinae considerata, suos inde Episcopos accepit (*a*).

Eodem fere tempore Iberi, hodiernae Georgiae Asiaticae incolae ad Christum conversi sunt beneficio unius mulieris, inter ipsos captivae, cui inditum fuit nomen Christianae, quae insigni erga miseros charitate, morumque sanctitate, Religionis christianae excellentiam ac dignitatem adeo comprobavit, ut ipse eorum rex cum uxore ad vera sacra accesserit, omnesque cives ad id faciendum excitaverit, templumque construi jusserit. Addunt, quosdam postea missos fuisse ad imperatorem Constantinum M. qui non solum de foedere cum Romanis ineundo paciscerentur, verum etiam Episcopum, aliosque Sacerdotes expeterent (*b*).

Apud Homeritas vel Sabaeos, extremas Arabiae felicis oras incolentes, qui cum lege circumcisionis cultum solis, lunae, aliorumque idolorum conjunxerant, doctrinae evangelicae lumen fundi coepit, imperante Constantio, qui missa ad eos legatione, principem eorum ad sacra christiana amplectenda solicitare est conatus. E primis legationis hujus erat Theophilus Episcopus, tanto labori haud impar, cujus praedicatione gentis imperator ad Christum conversus, tria templa in usum Christianorum extrui jussit (*c*).

Etiam inter Gothos Christi religio uberiores in dies fructus tulit. Jam quidem tertio saeculo, cum Europam et Asiam iteratis incursionibus hostilibus depopularentur, eaque occasione multos Christianos, atque in his etiam sacri ordinis viros in Gothiam captivos adducerent, barbarae huic genti via ad Religionem Christi amplectendam parata est. Hunc tamen Christianorum coetum insigniter mox auctum fuisse, vel inde elucet, quod Concilio Nicaeno I. jam Theophilus Gothorum Episcopus interfuerit. Major adhuc Religioni Christianae inter eosdem facta est accessio, ex quo Constantinus M. Gothos et Sarmatos bello subegerat. Verum sub exitum saeculi IV. orto inter eos bello civili, Religio Christiana in una primum Gothorum familia, facta est ethnicismo superior. Nam Fritigernes Visigothorum rex impar viribus, ab imperatore Valente petiit auxilium, et ut illi vicissim gratificaretur, christianam sub Arii fide Religionem amplectitur, cujus exemplum plures subditi sequebantur. Ultima demum manus admota est, cum undique ab Hunnis pulsi Valentem denuo implorarent, ut in Moesia, et Thracia agros illis ad abitandum designaret. A quo concedendo Valens non alienus,

(*a*) Ruffinus l. 2. H. E. c. 20., Socrates l. 1. H. E. c. 12.
(*b*) Ruffinus l. c., Socrates l. c. (*c*) Philistorgius l. 1.

eam tamen illis dictabat legem, ut Christi sacra amplecterentur. Claruit autem inter illos Ulfilas: (Vulfilas) Episcopus, qui et litteris gentem donavit, et libros Christianorum divinos prope omnes gothice vertit, in eo reprehendendus, quod Gothos sua auctoritate in Arianam haeresim pertraxerit. Minor tamen erat rei christianae successus inter Ostrogothos, quorum rex Athalaricus complures suorum ob Christi nomen neci dedit. Demum cum Visigothi plus quam ducentos annos in Ariana haeresi exegissent, sub rege Recaredo, opera S. Leandri Episcopi Hispalensis, anno circiter 587. fidem catholicam amplexi sunt *(a)*.

§. 6. *Saeculo V. et VI.*

A Visigothis Arianae fidei formula ad alias quoque transiit gentes barbaras, quae Occidentale imperium inter se diviserunt, puta: Burgundiones, Vandalos, ac Svevos, etsi de tempore, quo ad christianam fidem accesserint, et de primis inter eosdem Evangelii satoribus parum constet. De Burgundionibus refert Socrates, quod an. 417 Hunnorum incursionibus vexati, ut potentiorem Deum sibi acquirerent, e Gallia Episcopum petierint, qui eos septem dies jejunare jusserit, et rite institutos, die octava omnes baptizaverit. Verum non ita diu Ecclesiae catholicae addicti, odio Francorum ad Arianismum defecerunt, donec tandem post annum 534 studio et labore S. Aviti Episcopi Viennensis resipuerunt sub Rege Sigismundo *(b)*.

Sic etiam inter Svevos Hispaniae incolas, quo auctore nescitur, fides catholica innotuit, fructu tamen adeo parum durabili, ut jam inde ab an. 469 per Visigothos ariana haeresi inficerentur. Ad catholicam demum fidem redierunt, operam navante Visigothorum rege Reccaredo, qui nullis curis pepercit et laboribus, ut Svevos non minus, quam suos coelo lucraretur *(c)*.

Solidiora incrementa saeculo V. coepit catholica Religio in Francia auctoritate Chlodovoei regis, qui a Clotilde conjuge sua christiana, Burgundiorum regis filia, persuasus, et a S. Remigio Rhemensi Episcopo incitatus, sacra christiana se suscepturum promisit et vovit, si victoriam de Alemannis retulerit. Quum autem an. 496 Alemannos et Bojos, invocato Christi nomine ad Tulbiacum profligasset, et Alemanniam

(a) Socrates l. 2. H. E. c. 41, et lib. 4. c. 33., Sozomenus l. 6. H. E., S. Gregorius M. dialog. l. 3. c. 31. (b) Socrates l. 3. H. E. c. 30.
(c) Walchs Hist. Haret. p. 553.

cum Bojoaria subegisset, insignem victoriam Christo in acceptis referens, apud Rhemos a S. Remigio hujus urbis Episcopo christianis sacris initiatus est. Regis ad exemplum Proceres, et sensim populum lubenter secutos esse, scriptores domestici tradunt *(a)*.

In Hibernia saeculo V. plures fuerunt Episcopi et Diaconi sacris christianis stabiliendis praeclare intenti, impari fortuna et successu. Ex iis celebrior est Palladius a Romano Pontifice Coelestino illuc missus, qui vero exiguum tantum laborum suorum fructum tulit, obstante Hibernorum ruditate atque barbarie. Felicior fuit S. Patricius, qui Galliis, Italia, insulisque Tyrrheni maris summo labore peragratis, tandem anno 432 monitu Pontificis Coelestini in Hiberniam perrexit, ac inter multiplices aerumnas et adversariorum persecutiones, terram illam, idolorum antea cultricem, Jesu Christo lucratus est. Quinimo ut vera Religio profundiores ibi radices ageret, Armachanam sedem, Romani Pontificis auctoritate, totius insulae Metropolim constituit, Sanctorumque reliquiis Roma relatis decoravit. Merito colitur ut Hiberniae Apostolus *(b)*.

Eamdem spartam inter Bavaros suscepit S. Valentinus, qui dimidio circiter saeculi V. Romanorum castellum, Castra Batava dictum, idolorum cultui adhuc deditum invisens, fidem christianam fervide praedicabat, pluresque Sacerdotes in Bavaria inferiori prope Osterhosium instituebat, eidem muneri vacaturos. Tradunt historiographi, multis illum casibus adversis, durisque tribulationibus exagitatum parum profecisse, imo auctoritate Leonis I. Papae *(440-461)* munitum, ab incolis tamen exterminatum in montem Rhetiae discessisse, ibique, praedicato non sine fructu Evangelio, in claustro obiisse *(c)*.

Non ita diu post, attamen fructu multo uberiori in Norico, i. e. in Austria et Bavaria, finitimisque provinciis praedicavit S. Severinus, Norici apostolus vulgo cognominatus, non quidem, quod primus ibidem praedicaverit Evangelium, sed quod barbaros Norici incolas ad poenitentiam excitans, fidei christianae incrementa promoverit, et ab anno 454 integrum fere Noricum Ripense saevissimis Attilae vastationibus prostratum praedicando, consolando, benefaciendo peragravit. Referente Eugippio, Severinus oppidum, Asturis vel Casturis dictum, ingressus, incolas extimulavit, ut precibus, jejuniis et eleemosynis Deum placarent, et imminen-

(a) S. Gregor. Turon. Hist. Franc. l. 10. *(b)* Jacob. Waraeus Hibernia sacra pag. 1., Act. Sanct. T. II., et T. III. *(c)* Act. Sanct. T. II.

tes hostium incursiones averterent, iis autem reluctantibus, proximum adiit locum Comagenis, ibidemque laetiori successu poenitentiam praedicavit. Inde Fabianam revocatus, incolas ad poenitentiam convertit, duoque monasteria parva aedificavit, unum in loco ad Vineas dicto, alterum prope Burgum. E monasterio saepius evocatus, in variis locis afflictos solabatur, miserisque succurrebat. Vestigiis S. Severini institerunt illius discipuli Lucillus, Marcianus et Eugippius; verum irruentibus mox undique barbaris, jussuque Odoacris emigrare coacti, sacras illius exuvias in Italiam transtulerunt, et Neapoli honorificae sepulturae mandarunt. Longobardi, Duce Albuino, an. 568 Forum Julium et Italiam superiorem occuparunt. Etiam inter hos immitis ille furor in Christianos sensim remisit, majorumque in dies cultura invaluit. Anno 587 eorum rex Antharis, cui data fuerat in uxorem Theodolinda Garibaldi Bavarorum Ducis filia ad Arianorum castra transiit, Religioni Catholicae adeo infensus, ut lata an. 690 diserta lege, Longobardorum proles in templo Catholicorum baptizari prohibuerit. Agilulfus in Regno successor, Theodolindam Autharis viduam matrimonio sibi conjunxit. Pia regina, epistolis etiam S. Gregorii M. sollicitata, Maritum suum ad Religionem Catholicam perduxit, cujus exemplum pedetentim omnes Longobardi imitati sunt (a).

Has gentes Ecclesiam christianam ingressas eodem saeculo secuta est Anglosaxonum pars, quae Cantium incolebat, regnante ibidem Edelberto. Is enim cum Bertham regis Parisiensis filiam matrimonio sibi copulasset, monitu conjugis christianae et Episcopi Luitharti, quem in aula sua tolerabat, de christiana religione bene sentire coepit. Tandem an. 596 Papa Gregorius M. 40 monachos cum Abbate Augustino in Britanniam misit, Evangelii praedicandi causa, qui cum ad insulam Thanctanam appulissent, rex Ethelbertus, licet nondum Christianus eosdem honorifice excepit, liberam fidei christianae confessionem subditis suis permittens. Missionarii itaque in praecipua regni urbe Cantuariensi subsidentes, fervidis sermonibus, factisque plane admirabilibus, accedente insuper praepotenti regiuae influxu, non tantum proceres Anglo-Saxonum et regem ipsum, sed magnam quoque populi multitudinem veris sacris initiabant; plura idolorum templa in christianas ecclesias convertebant; novas passim aedes sacras et monachorum asceteria excitabant; sicque rudem et improbam plebem sensim ad mitiorem vitae rationem addu-

(a) Paulus Diaconus Hist. Longob. l. 2. et l. 6.

cebant *(a)*. Tanta remuneraturus merita Gregorius M. missionariorum ducem Augustinum Ecclesiae Cantuariensis Praesulem creavit, eique pallium, ornamenta, vestimenta Sacerdotum, sacra vasa et reliquias misit. Mortuo an. 610 Augustino, illius in Archiepiscopatu successor Laurentius fidem christianam latius propagavit. Neque negandum, christianis regum uxoribus eo in negotio aliquas saltem fuisse partes. Sic Edvinus Northumbrorum rex monitionibus reginae Edelburgae, regis Cantii filiae, et Episcopi Aboracensis Paulini adductus, anno 627 baptismum accepit. Sic porro Pendo, regis Marciorum filius, filiam Northumbrorum regis Osvii uxorem petiit, obtinuitque ea conditione, ut christianae fidei sese addiceret. Hoc pacto etiam in reliqua Heptarchia Anglo-Saxonica splendidos christianae fidei triumphos paratos fuisse, eo credibilius est, quod fervidiores identidem missionarii cum uxoribus regiis socias manus junxerint. Caetera exempla conversionis Herulorum, Abesgorum, aliorumque, imperante Justiniano peractae, nihil omnino habent, quod se magnopere commendent, adeoque iisdem recensendis immorari nolumus *(b)*.

§. 7. *Saeculo VII.*

Saeculo VII. plures missionarii e Brithannia, Scotia et Hibernia in continentes provincias transgressi, multum in vinea Domini laborarunt. Hos inter illustrior est Columbanus, Abbas Luxoviensis, natione Hibernus, qui cum suis discipulis, non tantum in Galliis et finitimis terris, sed etiam in Svevia, Augustae Vindelicorum, in Carinthia et Marchia Vinidorum Christum intrepide praedicavit; quo labore peracto, in Italiam contendens, non procul Placentiae monasterium Bobiense instituit *(c)*.

Eidem scopo praeclare intentus S. Gallus, natione Hibernus, Columbani discipulus, in Helvetia et Svevia doctrinae christianae semina sparsit. Cum S. Columbanus in Italiam proficisci pararet, Gallus in gravem morbum incidens, in vicinia Brigantiae remansit, hujusque regionis incolis ad Christum convertendis intentus, celeberrimum, uti dicitur, S. Galli monasterium fundavit *(d)*.

Ad Arancos orientales christianam fidem detulit S. Kilianus Hibernus, qui jussu Romani Pontificis Cononis, cum

(a) Beda Hist. Angl. l. 1. c. 23. (b) Procopius l. 4. c. 3.
(c) Mabillonius in actis SS. Ord. Bened. t. 2. p. 3.
(d) Mabillonius l. c.

duobus discipulis Herbipolim profectus, opus praedicationis evangelicae inchoavit, tantosque laborum suorum fructus tulit, ut praeter magnam populi multitudinem, ipse quoque Francorum dux Gosbertus, baptismum haud respueret. Cum tamen ducem illum serio admonuisset, ut Gailonam uxorem suam propter affinitatis impedimentum a thori consortio removeret, improbis Gailonae machinationibus ipse cum sociis a. 689 ad martyrium raptus est.

Anno 690 Villebrordus, ex Anglo-Saxonum gente, cum undecim sociis in Bataviam, Frisiorum convertendorum causa transfretavit, permittente Pipino Francorum duce, qui cum Radbodo rege tunc belligerens, Frisiae partem occupaverat *(a)*. Et vere coeptis illius benedictio divina adeo parum defuit, ut brevis numerosus christianorum coetus coalesceret. Quo peracto Villebrordus a. 696. Romam profectus, a Pontifice Sergio I. Archiepiscopus Trajecti ordinatus, literisque plenam potestatem continentibus munitus fuit. Verum non obstante vigili solicitudine, barbaros ab idolatria ad fidem Christi convertendi, nonnisi post mortem Radbodi ubique libere per Frisiam sacra christiana propagare potuit. Discipuli ejus in Vestphalia, aliisque finitimis provinciis Evangelii semina sparserunt, eorumque unus Villebaldus post Synodum Trajectensem a. 697 Episcopus Eisladiensis, in Francia orientali factus, alter Marcellinus in partibus transisalanis.

Eodem saeculo ad gentes praedicator abiit S. Emmeranus Episcopus Pictaviensis, qui desiderio flagrans, Avaris et Hunnis fidem annunciandi, Ratisbonam usque pervenit, verum obstante regionis ad Onasum sitae vastitate, nec annuente Duce Theodone I. in Bavaria subsistens idololatriae adhuc reliquiis foedata, laetissimum sibi agendi campum vidit. Is itaque non sibi cunctandum ratus, agrum Christi multis passim zizaniis, spinisque consitum, strenue purgavit et coluit, imo ut laetiora in posterum redderet sata, Ratisbonae S. Georgii ecclesiam extruens, suam ibi sedem stabilem fixit.

Etiam post tempora S. Emmerani non deerant inter Bavaros fidei praecones. Caeteris illustrior erat S. Rupertus Episcopus Vormatiensis, qui a Theodone II. Bavariae Duce a. 696 invitatus, ut almam Christi fidem Bavaris instillaret, Ratisbonae apparuit, multos incolas, imo ipsum Ducem, totamque ejus familiam sacro baptismatis fonte regeneravit. Quo exhausto labore alias Bavariae urbes perlustravit, suosque gressus Laureseum usque protulit, et in Illyriam animose penetravit, barbaris quoque Slavis Jesum Christum praedicavit, veroque Deo aedes sacras erexit. Tandem meritorum

(a) Beda l. 5. c. 12.

plenus Juvaviae, quae urbs a Theodone Duce ei donata fuerat, sedem episcopalem constituit, Basilicam D. Petro sacram extruxit, pluraque Monasteria fundavit. Mors ejus refertur ad a. 718.

Post Rupertum in Bavaria praedicavit S. Corbinianus ortu Cornutensis, qui a Gregorio II. R. P. illuc missus ibidem non sine magnis curis, Duce Grimoaldo in nonnullis refragante, optimam Christi messem collegit, Frisingae sedem episcopalem figens, suos labores usque ad mortem a. 730 secutam fervide continuavit.

Inter gentes feroces ac bellicosas, in extremis Asiae oris habitantes, et in ipsa China, Nestoriani christianum nomen propagarunt *(a)*.

In oriente imperator Justinianus Judaeos, Borium Lybiae urbem incolentes, ad Christum confitendum traduxit *(b)*.

In Occidente eorum multi fervore et studio regum Galliae et Hispaniae, Gregorii M. Pontificis, nec non Aviti Episcopi Claramontani ad Christianam Religionem suscipiendam permoti sunt. Verumtamen fatendum est, plures in Gallia et Hispania vi adductos fuisse.

§. 8. *Saeculo VIII.*

Inter Frisios, Hassos et Thuringos in extirpanda idololatria multum operae posuit Vinifridus monachus anglus, vir tanto Evangelii praedicandi fervore accensus, ut anno 715 derelicto natali solo, cum duobus monachis in Frisiam contenderet, barbaros incolas ad vera Christi sacra adducere volens. Primitus quidem res ita feliciter cessit, ut ipse Frisiorum rex Radbodus baptismum se suscepturum promitteret. Cum autem regi interroganti: quem in locum plerique reges antecessores pervenissent? Vulframus Episcopus Senonensis, Vinifridi socius respondisset: ad inferos haud dubie. Radbodus subito pedem a sacro fonte retraxit. Hoc pacto cum Vinifridus spe sese delusum cerneret, cum sociis patrios repetiit lares. Audita vero Regis Radbodi morte (718), iter Romam suscepit, et Pontifici Gregorio II. literas commendatitias a Daniele Episcopo Viacomiensi acceptas exhibuit. Inde iter suum denuo in Germaniam inflectens, Bavariam et Thuringiam praedicando peragravit, altera demum vico Frisiam ingressus, junctis cum S. Villebrordo, Archiepiscopo Trajectensi, laboribus, plurimos barbaros sub suave Christi jugum vocavit. Quod cum

(a) Athanasius Kircher, China illustrata p. 50.
(b) Procopius l. 6. c. 2.

Gregorius P. rescivisset, eum Romam vocatum Episcopum consecravit, indito illi Bonifacii nomine. Tunc ipsum epistolis commendatitiis ad Carolum Martellum, Ducem et Majorem domus regiae Francorum, ad Episcopos, et alios omnium ordinum Clericos et Laicos munitum remisit, ut coeptum praedicationis opus continuaret. Sic undequaque in tuto positus, in Hassiam transiit, quaercum Jovi sacram dejecit, ex illiusque ligno sacellum extruens, Divo Petro dedicavit. Inde in Thuringiam transgressus, novas ecclesias erexit, primum monasterium instituit, verbis et factis christianam fidem reflorescere fecit. Mortuo interea temporis Gregorio II, literas dedit ad Gregorium III, quibus lectis, Pontifex ipsum Archiepiscopali dignitate ac Pallio ornavit. Anno 738 ingravescente jam aetate, tertio Romam profectus, ut limina Apostolorum inviseret, a Gregorio III reliquias Sanctorum et litteras commendatitias ad plures Episcopos Presbyteros et Optimates obtinuit. Post suum in Bojoariam reditum, totam illam regionem, ratibabente Gregorio III, in quatuor divisit Episcopatus, nempe: Salisburgensem, Frisingensem, Rotisbonensem et Passaviensem, annoque 740 sedem episcopalem erexit Neuburgi ad Danubium, cum Episcopatu Augustano deinde conjunctam. — Demum Bonifacius, bucusque Archiepiscopus sine stabili sede, Pontificatum Ecclesiae Romanae tenente Zacharia, ad vacantis Ecclesiae Moguntinae regimen est nominatus 746 cum jure metropolitico in regni Francici Ecclesias, et jurisdictione Primatis in universam Germaniam. Verum Deo nondum satisfecisse sibi visus, cum substituto sui loco Lullo, Ecclesiam Trajectensem administrandam suscepisset, ipse ad villam Dotkumium, cum apostolico munere fungeretur, cum sociis a feroci Frisiorum agmine occisus, gloriosum martyrium subiit a. 755. Corpus illius in Fuldensi monasterio, quod ipse fundavit, sepultum est.

Neque hic reticenda Caroli M., ab a. 770 solius Francorum regis, praeclara instituta et gesta pro christiani nominis incremento. Cum enim in Italia superiori Longobardorum regnum subvertisset, non contemnendam Hispaniae partem Arabibus abstulisset, Avaros ex Norico Ripensi pulsos in Pannoniam abegisset, Slavis ad Albim et Salam ingentem jacturam attulisset, Frisiam et Bojoariam subegisset, demum Saxones ab Albi et Visurgi ad Rhenum usque fusos, tricennali bello edomuisset, jam nihil magis cordi habuit, quam ut per regnum suum, etiam christianam Religionem dominantem efficeret. Ut domiti Saxones Francorum sceptro facilius assuefierent, christiana Religione eos imbuendos esse decrevit. Baptizatis eorum Ducibus Vidikindo

et Albione, et Trans-Albianis omnibus iu Galliam transportatis, gens barbara fasces submisit, et ab hoc tempore christiana Religio inter Saxones efflorescere coepit. Nec in Saxonia tantum, sed in aliis quoque regnis, etprovinciis Carolus multa laudabilia instituit, et gessit. Eo quippe auctore in Ecclesiis cathedralibus et claustralibus publicae scholae erectae, uniformitas Liturgiae secundum ritum Romanum stabilita, collapsa Clericorum disciplina in melius emendata, prima bibliothecarum monasticarum jacta fundamenta, vitae canonicae institutum insigniter promotum, studium sacrarum literarum resuscitatum, collectiones Homiliarum e scriptis SS. Patrum in usum Cleri adornatae, variae Ecclesiae et Monasteria amplis donationibus et privilegiis aucta, legesque saluberrimae, quae *Capitularia* vulgo audiunt, de rebus et personis ecclesiasticis latae sunt. Ex toto manifestum est, Carolum jure meritoque *Magnum* praedicari.

CAPUT II.

DE FATIS ADVERSIS ECCLESIAE CHRISTIANAE.

§. 1. *Religio christiana impugnata a scriptoribus ethnicis.*

Ex bene multis bostibus, qui partim scriptis partim dicteriis christianam religionem exosam reddere conati sunt, sequentes memorantur: 1. Hierocles philosophus, duos contra Christianos libros admodum virulentos scripsit, quos Eusebius edito peculiari libro confutavit. 2. Himmerius, qui suis orationibus, teste Photio, ad instar canis latenter mordentis, Christianos adlatravit. 3. Libanius, sophista Antiochenus, qui scriptis variis orationibus et declamationibus, suam linguam mordacem in Christianos exacuit. 4. Eunopius, qui Christiano nomini quam infestus fuerit, satis testatur liber de vitio philosophorum ac Sophistarum. 5. Q. Aur. Symmachus, urbis Romae Senator et praefectus, qui coram Valentiniano non solum causam gentilium strenue egit, sed etiam nomen christianum multum diffamavit, a S. Ambrosio solide refutatus. 6. Olympiodorus et Zosimus, qui in suis Historiarum libris liberrimo calamo Christianos oppugnant *(a)*. His adjungendi sunt plures alii Christianorum obtrectatores, quorum tamen tela a Doctoribus Ecclesiae, v. g. Augustino, Orosio, Salviano pro parte virili infracta sunt.

(a) Tillemont, memoires eccl. Vol. 5. Fabric. Biblioth. Graec. l. 4. c. 30.

§. 2. *Persecutio Juliana.*

Gravior rei christianae noxa allata fuit, quum Julianus Apostata, Julii Constantis filius, a. 361 solus imperium adipisceretur, et odium, quod aliquantisper dissimulaverat, erga christianam Religionem aperte proderet. Quamvis enim a teneris in christiana Religione educatus fuerit, eam tamen rursus deseruit partim odio familiae Constantinianae, partim philosophorum ethnicorum, Maximi praesertim, Samblici, Libanii astutia inductus. A vi quidem abhorrere videbatur: perbene sciens, persecutiones priorum temporum, quo fuissent atrociores, eo magis rem christianam promovisse; verum arte et consilio rei christianae nervos incidebat. Nam primo statim imperii aditu totus eo collimavit, ut inanes ac frigidas ethnicismi formas ideis Neo-platonicis vegetiores veluti redderet, veteremque religionem popularem ad primigeniam puritatem ac splendorem revocaret, sperans, ita futurum, ut idololatria caput suum pendulum denuo tolleret *(a)*. Quod ut tanto magis obtineret, idolorum templa et sacrificia restituit, ipseque in palatio et horto crebro sacrificans suis exemplum dedit, quod sequerentur. Uti idolorum cultores variis juribus, privilegiis ac dignitatibus auxit, ita christianos publico risui ac contemptui exposuit, eos ignominiose *Galilaeos* vocans, leges a Constantino M. in favorem Clericorum, viduarum ac virginum latas rescidit, Christianis foro, judiciis, omnique magistratu interdixit, eosque a discendis literis humanioribus vel ab officio docendi prohibuit, ut viris facundis et eruditis Ecclesia paulatim destitueretur, et ita adversus ethnicos inermis maneret *(b)*. Statuam suam inter idola collocari jussit, ut Christiani vel laesae Majestatis argui, punirique possint; vel certe colendo imaginem imperatoris, falsa etiam numina juxta posita coluisse viderentur. Internas Christianorum scissiones aluit et auxit, depositos aut exules Doctores in integrum restituens, templaque oppressarum sectarum resuscitari jubens. Quamquam nullis ipse, aut rarissimis suppliciis in Christianos animadverteret, eorum tamen persecutoribus passim veniam dabat, aut leviter eos puniebat. Antiochenam Ecclesiam, quae dominicum aureum vocabatur, impie invasit, polluit, diripuit *(c)*. Reliquias S. Babylae Martyris et Episcopi Antiocheni, e luco Daphne deturbari, et Apollinis ibi sacra restitui jussit. Religionem christianam, scriptis tribus libris, mordicus impugnavit. Judaeis denique adversus Christianos favens, Christique pro-

(*a*) Sozomen. lib. 5. cap. 3. (*b*) Socrates l. 2. c. 14., Theodoretus l. 3. c. 7. (*c*) Theodoretus l. 2. c. 11.

phetiam de perpetua templi Hierosolymitani ruina frustrare volens, ejus reaedificationem immensis sumptibus est aggressus; sed saevi turbines, terrae motus, ac ignium globuli e fundamentis erumpentes Judaeos temerario ab opere deterruerunt *(a)*. In infelici tandem contra Persas proelio, cum nonnisi unum annum cum dimidio praefuisset imperio, inflicto per sagittam jaculatoriam vulnere cecidit an. 363. Auctor necis Juliani plane incertus. Fertur, Julianum, vulnere accepto, sanguinem manu sua haustum in Coelum jecisse haec dicentem; « vicisti Galilee ! » *(b)*.

§. 3. *Persecutiones Christianorum in Persia.*

Sed et ferro in Christi cultores saevitum est. Ita Sapor Persarum rex, impulsu Magorum et Judaeorum auctoritatis suae jacturam timentium, et Simeonem Seleuciae et Ctesiphontis Archiepiscopum proditionis accusantium, atrocissimam Christianis suae ditionis persecutionem intentavit, qua durante non solum Archiepiscopus Simeon, sed plurimi quoque aliorum ordinum Christiani ultimo supplicio affecti sunt. Duravit haec persecutio ab an. 330 usque ad an. 370 *(c)*. Dein an. 414, cum Abdias seu Abda, Susae olim Persarum regiae Episcopus templum igni consecratum flammis tradidisset, Isdegardes I. rex in furorem actus, vere cruentam in Christianos persecutionem movit, qua saeviente, praeter Episcopum Abdiam, alii quoque Catholici gravissimis suppliciis sublati, eorumque Ecclesiae solo aequatae sunt. Huic demum persecutioni Theodosius II. indicto bello, finem imposuit an. 422 *(d)*. Isdegardis vestigiis insistens filius Vararanes partim Magorum suasu, partim Romanorum, quibuscum bellum gerebat, odio haud mitiora in Christianos decrevit usque ad an. 427. Quoties enim Persae et Romani inter se dimicabant, toties Christiani Persae regum suorum furorem sentiebant, utpote in quos publica cadebat suspicio, ac si Romanis faverent, et patriae suae proditores essent. Dum haec fureret tempestas, ingens Christianorum numerus exquisitissimis tormentis sublatus est *(e)*. Verum composita an. 427 Romanos inter et Vararanem pacem, etiam Christianis ad tempus saltem pax redita est. Omnes autem Persarum reges crudelitate et barbarie vel longissime superavit Cosrhoës, tanto furoris impetu in Christianos incitatus, ut ingentem horum multitudinem variis cruciatibus

(a) S. Chrysostomus orat. II. adv. Judaeos. S. Gregorius Naz. orat. II. in Julianum, Socrates l. 2. c. 17. etc. *(b)* Theodoretus l. 3. H. E.
(c) Sozomenus l. 2. H. E. c. 1-13. *(d)* Theodoretus l. 3. c. 38., Socrates l. 7. 18. *(e)* Theoderetus l. c.

obtruncaverit, et palam declarare non erubuerit: se non imperatori Justiniano bellum inferre velle, sed Christianorum Deo *(a)*. Haec tamen atrocissima persecutio remisit cum anno 627 Heraclius Graecorum imperator, bello sexennio acriter gesto, in Persidem irrumpens Cosrhoëm regem summas ad angustias redegisset, initaque cum Siroe hujus filio pace, Christi crucem an. 616 a Cosrhoë captam recuperasset, hocque sacratum imperii Palladium Hierosolymam summa generatione transtulisset.

§. 4. *Persecutio Arianorum maxime, et aliorum adversus Catholicos.*

Quo animi motu Constantius imperator, Arianorum defensor, Catholicos exagitaverit, paucis dici nequit. Is enim Arianorum artibus et calumniis incitatus, bellum in S. Athanasium instauravit, et alios Catholicorum Episcopos, illius minis haud cedentes in exilium misit. Anno Christi 356 Liberium Pontificem, qui nec pollicitationibus, nec minis permoveri potuit, ut damnationi S. Athanasii subscriberet, et formulam Ὁμουσιος rejiceret, usque Baraeam Thraciae exulare jussit *(b)*. Eamdem ob causam venerabilem Osium Cordubensem pro exilio tenuit integrum annum Sirmii *(c)*. Majorem adhuc Catholicis vim intulit Valens imperator, dogmatis Ariani tenacissimus, qui monachis praecipue infensum se exhibens, in eorum deserta et cellulas satellites suos misit, qui fustibus, omnique violentia adductos Nicaenam fidem abjurare, abjectisque monasticis vestibus militiam amplecti cogerent; plures praeterea Catholicorum Episcopos, Meletium Antiochenum, Eusebium Samosatenum, et Gregorium Nyssenum relegavit; in Athanasii locum Lucium Arianum substituit, misso simul exercitu, qui catholicorum caedibus, dirisque suppliciis, virginum sacrarum raptationibus, aedium direptionibus, omnique impietatum genere plures dies est grassatus.

In Africa praesertim reges Vandalorum Ariani ab anno 473 Catholicos saevissima persecutione affligere coeperunt. Eorum primus Gensericus, occupata Carthagine, ita crudeliter saevit in eosdem, ut de Religione catholica in Africa jam conclamatum esse videretur. Is enim Doctores catholicos ac cives honoratiores fractis navibus imponi, nudos expelli, exilio damnari, aut servituti addici, basilicas Catholicorum Arianis tradi, bonaque ecclesiastica in fiscum referri jussit.

(a) Procopius de bello Persico l. 2. c. 26. (b) Theodoretus l. 2. c. 16. (c) S. Athanasius ep. ad solitarios.

Nec desunt exempla Martyrum, jussu Genserici ultimo supplicio extinctorum. Multo adhuc graviorem Ecclesiae Africanae persecutionem intulit Genserici filius, et successor Hunnericus, qui promulgato edicto, Catholici militia, magistratu, omnique publico munere interdixit, omnesque eorum conventus prohibuit, defunctorum Episcoporum bona fisco vindicavit, novos ordinari vetuit, nisi solutis quingentis solidis, plurimos Doctores in exilium deportari jussit. Nec in Episcopos tantum et Clericos, sed in catholicam plebem per universas Africae provincias saeviit illius furor. Hac persecutione durante multos Martyres factos fuisse, omnino indubium est *(a)*. Huic persecutioni finem imposuit Guntamundus, qui post Hunnericum usque ad an. 486 regnavit, Catholicis liberum Religionis exercitium concessit, eorumque Clericos ex exilio revocavit. Hanc pacem iterato turbavit ejus in regno successor Trasamundus, qui oblatis honoribus, muneribus, et minis Catholicos ad defectionem pellicere tentavit; praeterea eorum Ecclesias claudi jussit, et Episcopos catholicos in Sardiniam relegavit. Mortuo Trasamundo an. 520 successit Hildericus, qui omnes Catholicorum Episcopos suis sedibus restituit, eorum ecclesias aperuit, et Ecclesiae Carthaginensi praesulem Catholicum, quo jam dudum carebat, praefecit. Hildericum, an. 530 regno privavit ejus consobrinus Gilimerus, quo per Belisarium Justiniani imperatoris belli ducem devicto et capto, Africa imperio Romano adjecta est.

In Britannia ab an. 449 Anglo-Saxones Ecclesiam christianam malis innumeris affecerunt. Cum enim post duri certamina belli stabiles ibi sedes fixissent, tristia ubique ruditatis ac barbariei vestigia impresserunt, incolarum bona diripientes, oppida et pagos devastantes, sacerdotes inter altaria trucidantes, Episcopos una cum populis ferro et flammis absumentes, cultumque Christi publicum fere penitus delentes. Religioni christianae jam nullibi tutum patebat asylum, quam in Vallia, in montibus Nortumbriae et Cornubiae, quo Britones undique pulsi recesserunt *(b)*.

Nec Ariani tantum, sed alii quoque barbari, ingentem rei christianae noxam intulerunt. Ut enim de multis aliis taceamus, Attila Hunnorum rex anno 451 e Pannonia in Gallias transgressus, cum in vigilia Paschatis Metas usque pervenisset, urbem hanc flammis dedit, incolas pene omnes, et Sacerdotes inter ipsa altaria trucidavit, eamdemque in aliis quoque Galliae urbibus carnificinam exercuit, donec ab Aëtio

(a) Prosper in Chron. Evagrius l. 1. c. 19.
(b) Venerab. Beda l. 5. Hist. Angl.

in campis Catalaunicis profligatus, Galliis egredi coactus est. Ingentem hanc jacturam cum resarcivisset, in Italiam movens, plures provincias populabundus peragravit, jamque urbi Romae imminens, cum Valentinianus imperator et Aëtius resistendo impares, jam terga vertere vellent, Leonis M. Pontificis potenti facundia ac veneranda gravitate detentus, ad pacis consilia animum suum adjecit *(a)*.

Denique praeteriri non debent Judaei, qui partim suggestionibus, partim aperta vi et violentia, praecipue in Homeritide, Arabiae felicis regione, summas Christianis molestias facescebant. Nemo autem majori in eos usus est insolentia, quam Patriarcha Gamaliel, vir immensae auctoritatis, quem tandem Theodosius II peculiari edicto coercuit 415 *(b)*.

§. 5. *Mohamedis ingenium et vita.*

Imperante Heraclio, anno 612 exitialis sacris Christianorum hostis exortus est, qui maximam Ecclesiae christianae cladem intulit, nempe Mohamedes Arabs, ex Coreischitis, Meccae patre Abdallah et matre Emmina natus (571), forma quidem praestanti, et moribus facetis, ast ingenio vehementi ac versipelli, literarumque, ut fassus ipse, omnino rudis. Quum puer adhuc parentibus suis orbatus, urgenti premeretur paupertate, mercaturam exercere coepit, factoque in Syriam itinere, quoddam Nestorianorum monasterium invisens, monachi in se attentionem convertit, sicque forte primam nactus est idearum ac conaminum futurorum ansam. Adscitus postmodum in domum divitis viduae Kadjich procurator, vigili sedulitate ita se in illius insinuavit gratiam, ut thalami mox diligeretur socius, sicque in re lautiore constitueretur *(c)*. Usque ad quadragesimum aetatis annum, omne tempus suum inter labores et contemplationes divisit, saepius in montanis Meccae delitescens, ibique naturae quadam propensione somnis fanaticis indulgens. Sibi autem soli relictus, non jam dubitabat, divinitus se esse missum, ut idololatriae imperium everteret, omninoque sanctiorem Religionem doceret homines, quam vel judaica esset, vel christiana *(d)*. Quod ut primum uxori suae, deinde aliis persuaderet, morbi epileptici, quo miser laboravit, paroxismos obvelavit specie raptus prophetici, et revelationum ex ipso Archangeli Gabrielis ore haustarum. Locus, in quo sparsa primum Mohamedanismi semina, fuit Ara-

(*a*) Gregor. Turon. l. 2. H. E. c. 6., Prosper Chron. (*b*) Cassiodorus, Sornandes p. 475. c. 41. (*c*) Abulfeda de vita Mohamedis ad I. Gagnier. Oxon. 1723. (*d*) Hadrian. Reland. de rel. Mohamed.

bia deserta, et in ea Metropolis Mecca, Coreischitarum sedes in valle lapidosa sita. Dici non potest, quantam brevi discipulorum multitudinem post se traxerit. Nam praeter uxorem Kadjiah, quacum conjunctissime vixerat, etiam servus illius, quem libertate donaverat, gener paullo ardentior Ali, et socer Abubeker vir summae auctoritatis cum decem illustrioribus Meccae civibus ad partes illius transierunt. Verum quanto majora ex una parte erant novae sectae incrementa, tanto magis ex altera urbis patriae incolae illi se opposuerunt; quumque homini seditioso, et sacra sua in multis subvertenti manus injicere gestirent, Vatrebam quae urbs deinde Medina vocata est cum popularium et Clientum multitudine aufugit an. 622. Haec illius fuga Arabibus Hedstera (unde Europeorum Hegira) aerae Mohamedanae initium et nomen tribuit *(a)*. Ab hoc tempore dignitatem Principis simul et Sacerdotis usurpans, paratum se declaravit novam doctrinam suam vi et terrore gladii propagandam. Et sane fortuna audacissimum virum faustis successibus auxit. Propitio namque marte dimicans, superatisque vicinis Arabum tribubus, potentia et viribus mox adeo crevit, ut missis huc illuc literis celebriores vicinos principes ad novella sua dogmata amplectenda invitaret. Res tandem eo devenit, ut octavo novae aerae anno urbem Meccam cum templo (Carba dicto) in suam potestatem redigeret, ipsumque templum, destructis idolis, sacerrimum constitueret suae Religionis locum. Deinde conversis aliorsum victricibus armis, alias Arabum tribus edomuit, copias imperatoris Constantinopolitani terga dare coegit, atque Syriae partem suae ditioni adjecit. Obiit Medinae undecimo Hegirae anno, cum 63 aetatis suae annum ageret, rerum summa cognato suo Abubeker delata, quo et Omaro illius successore, ducibus, Arabes Palaestinam, Syriam Aegyptum Persidem invaserunt. Perhibent, eum in templo Meccano sepultum, ejusque sepulchrum vi magnetica in ferrea cista suspensum, atque lapidibus pretiosis ornatum esse.

§. 6. *Legis ab eo traditae praecipua capita.*

Mohamedes suam pseudo-religionem successive literis mandari jussit, sicque ortus est *Koranus*, i. e. lectio seu codex, variis schedis et sermonibus post mortem illius repertis consarcinatus, et ab ejus successore Abubeker in unum volumen coactus. Qua reverentia ferantur Arabes et Mohamedani in Koranum, quas de eo fabulas propinent, qua frequentia legant, quibus elogiis efferant, quo affectu eum in

(a) Gatterer Chronolog. p. 199.

castra tempore belli deferant, Christianis aliisque immundis invideant, qua cantela, praemissa lotione, eum tangant, qua religione per eum jnrent, dici vix potest.

Dividitur autem Koranus in 114 Suras, i. e. capita, quaelibet autem Sura in Ajat seu versiculos subdividitur. Totum illins systema vulgo *Islam* dictum, duo generalia complectitur capita, quornm primnm dicitur *Iman*, i. e. *credenda*, alterum *Din* i. e. *Jus* seu *agenda*. Ex agendis alia sunt praecepta *positiva* alia *negativa*, i. e. alia aliquid praecipiunt, alia aliqnid negant. Prius exponemus praecepta theoretica, dein praecepta practica cum positiva, tum negativa.

Credendorum summa haec est. Unum esse Deum (Allah) ab omnibus mortalibus colendum, qui diversis temporibus legatos suos seu prophetas, uti: Abrahamum, Mosen, Davidem, Christum ad erudiendos homines miserit; sed principem omnium prophetarum esse Mohamedem, a Christo praenuntiatnm; qui Religionem Mosis et Jesn Christi partim male intellectam, partim hominum improbitate vitiatam repurgaret, atque perficeret. — Deum rerum quidem humanarum providam cnram gerere, ita tamen, nt omnes res et eventus etiam fati ineluctabilis legibus constringantur, adeoque vitae hnmanae terminus ita fatalis sit, nt nec anteverti possit, uec prolungari. — Deo supremo in universi regimine assistere Angelos, genios veluti intermedios, teneris vestitos corporibus, ex igne formatis, peccandi simul ac poenitendi capaces, variisque praefectos muneribus. Eorum principes esse Gabrielem revelationum Angelum, Michaelem Judaeorum tutorem, Asraelem mortis Angelum, Israfilem mortuorum resuscitatorem denique Eblim Angelum reprobum, nostro diabolo analogum. Omnes homines ad triplicem buccinae sonitum e tumulo resurrecturos, denique judicis tribunali astituros. Electos pontem super vasta inferni loca extructum, piloque subtiliorem festinanter trajecturos, et in Paradiso aquis limpidissimis, cibo indeficienti, umbra dulcissima amaeno, lectisque auleatis instructo, in quo flnunt rivi lactis, vini, mellisque suavissimi, et puellae pulcherrimae dncentur, omni voluptatum genere fruituros, malos vero et incredulos ex ponte dejiciendos, et in abysso inferni flammis ultricibus addicendos esse.

Ad praecepta positiva quod attinet, freqnens commendatur oratio, quinquies saltem de die, vultu ad Meccam converso, praemissa corporis lotione, persolvenda. Inculcatur praeterea eleemosynarum studinm, ea tamen cautela, ut de bonis injuste partis non erogentur, et verecundi praesertim pauperes, atque occulti subleventur. Statuitur solemne jejunium

mense toto *Ramadan*, seu mense nono observandum, quo Koranum coelitus datum fingunt. Ab eo infirmi tautum et viatores dispensantur; lege itidem cautum est, ut semel in omni vita Meccam peregrinentur devotionis causa; quod tameu a plerisque non observatur. — Ad prohibita referuntur: esus carnis porcinae, suffocati, sanguinis ac ciborum immundorum, potus vini, usurae omnes, juramenta temeraria, perjurium, adulterium, homicidium, profusio, avaritia, falsa testimouia, omnesque ludi illiberales seu sortilegia. — De cetero permittuntur polygamia, divortia, concubinatus, rapinae, et quidquid armorum vis suadet. Haec et alia Mohamedis decreta, qui reciperent, Moslemin, hoc est credentes dicti sunt patrio vocabulo, iique circumcisione his sacris initiandi (*a*).

§. 7. *Propagatio pseudo-religionis Mohamedanae, causae celeris propagationis et schismata in ea orta.*

Pseudo-religio Mohamedis rapidos fecit progressus. Mohamedes, armata manu, Arabiam et Syriae partem in suam redegit potestatem. Califarum primus Abubeker, provectae licet aetatis vir, militibus suis in Palaestinam deductis, fratrem imperatoris Heraclii propitio marte devicit. Qui huic in Califatu successit Omar, expugnata Damasco Graecos e Syria et Phoenicia exterminavit, Hierosolymam post obsidionem diuturnam ad deditionem coegit, annoque 640 Alexandriam Aegypti sibi subjecit. Dicunt, eo jubente, balnea Urbis hujus codicibus, qui in celeberrima Bibliotheca Alexandrina maximo numero extabant, calefacta, sicque orbem literarium pretiosissimis antiquitatis thesauris spoliatum fuisse. Tempore mortis illius, quae cadit in annum 644 jam universa, quae late patebat Persia Mohamedanorum armis subacta erat. Ex Aegypto porro Califae suam dominationem in Africam usque extendebant, inde demum in Hispaniam et Galliam penetrantes (*b*).

Causae celeris propagationis pseudo-religionis Mohamedanae fere sequentes sunt: 1. Versutus auctor multa millia hominum a Polytheismo ad unius veri Dei cultum et adorationem revocavit. 2. Christianorum, Judaeorum, Arabum, atque gentilium cultus et ritus callide confundens, multorum gratiam invenit. 3. Religio Mohamedis populorum praesertim orientalium genio, moribus, opinionibus et climati mire accom-

(*a*) Koranum optime edidit Lugd. Maraccius Patav. 1698., Cramer in continuat. Bossueti t. 4., pag. 501., Amadeus Wiessner Part. I. Moscheim H. E. N. T. (*b*) Gunther Vahlae Halae 1779.

modata, pro illorum captu tota efformata, sensus humanos blande afficit, et ad se allicit. 4. Non solum variis blandimentis discipulos suos allexit, verum etiam vi et terrore armorum plurimos subegit, et in obsequio obtinuit. 5. Koranus praeter fabulas vere aniles et opiniones insulsissimas, quibus totus refertus est, nonnulla etiam egregia morum praecepta urget, liberalitatem erga egenos, hospitalitatem, intemeratam fidem, justitiam et obedientiam erga superiores sedulo inculcans. 6. Huc porro accesserunt saeculi, quo vixit Mohamedes inscitia, haeresum in Orientali Ecclesia colluvies, Christianorum dissidia, bellorum calamitates, Arabum ad res novas et ad praedas exercendas proclivitas, denique Monophysitarum ac Nestorianorum aversus a Catholicis animus initaque proinde ab illis cum Mohamedis sectatoribus societas.

De cetero haud negandum, incrementis hujus sectae etiam varia passim impedimenta obstitisse, eorumque longe gravissimum fuisse schisma in ipso sectae gremio ortum, controversia de jure successionis in principatu ansam praebente. Quamvis enim Mohamedes successorem designaverat Ali generum suum, mascula prole orbus, ejus tamen socer Abubeker, Omar et Othmann jus successionis sibi vindicabant, qui et primi Califarum erant, ita quidem, ut Ali post eosdem demum anno Hegira 35 succederet. Inde acerbissimae utrinque ortae sunt contentiones et apertae hostilitates, nec acerbior ulla per orbem pugna fuit. Incrementum schismatis hujus fuit, dum alii Ali, ejusque progeniem, alii contra Abubeker, ejusque posteros, tamquam legitimos habuerunt Mohamedis successores. Ambae quidem partes Koranum venerantur, ceu normam Religionis suae, legemque divinam, eo tamen discrimine, ut priores solum Koranum admittant, Schiitae inde dicti seu sectarii, quibus postmodum Persae et quidam Indi accesserunt; posteriores autem Korano alteram mox collectionem Sunna inde a temporibus Mohamedis viva voce propagatam explicationis causa adjungerent, Sunnitae eapropter dicti, quibus Saraceni, Aegyptii, Turcae, Mogolenses et plerique Indi accesserunt. Dantur praeterea plures aliae Mohamedanorum sectae, de variis religionis capitibus ab invicem dissidentes, quibus omnibus Muselmannorum nomen inditum est (*a*).

(*a*) Ricaut, État de l'empire Ottoman l. 2. p. 242

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE, ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Origo Patriarcharum.*

Majores Metropolitae, qui Romae, Alexandriae et Antiochiae residebant, a reliquis Metropolitis jam eo differebant, quod pluribus simul provinciis ac dioecesibus praeessent, nec aliquos tantum, qui ibi erant, Episcopos, sed etiam Metropolitas sibi subditos haberent, omnesque causas ecclesiasticas administrarent. Ita S. Epiphanius (*a*) refert: Meletium, Archiepiscopum in Aegypto et Alexandro subjectum, rem omnem de Ario ad Alexandri Metropolitae Alexandrini aures detulisse. Nec satis jam dimidio saeculi tertii Dionysius Alexandrinus, cum nonnullos Lybiae superioris Episcopos in Sabellii errorem incidisse rescivisset, ejusdem Lybiae praesules ad Synodum convocavit, quod referente S. Athanasio curam illarum Ecclesiarum habuerit. Neque hoc adeo mirum est. Cum enim in primariis Metropolibus residerent, ad quas variorum negotiorum causa provinciarum incolae confluere solebant, etiam Episcoporum ibi residentium auctoritas non potuit non in dies crescere, ita quidem, ut in rebus ecclesiasticis frequentes ad eosdem recursus fierent, eorumque suffragia ac judicia exquirerentur. Ita factum, ut jam proprii emolumenti causa plures Christiani coetus obedientiae, ac communionis vinculo cum illis copulari enixe cuperent, sicque illorum districtus ecclesiastici ampliores in dies evaderent, et in plures provincias se extenderent. Primis tamen quatuor Ecclesiae saeculis simpliciter vocabantur Exarchae, Archiepiscopi. Saeculo quinto, cum Patres Chalcedonenses Leonem I Pontificem totius Ecclesiae Patriarcham salutassent, vocis hujus usus in Ecclesia ita invaluit, ut illi Praesules de regula Patriarchae dicerentur, qui non tantum pluribus Episcopis verum etiam integris nationibus tanquam Patres spirituales praeerant (*b*).

§. 2. *Numerus Patriarcharum.*

Ejusmodi autem Patriarchas a saeculo V. Ecclesiam tres habuisse: Romanum, Alexandrinum et Antiochenum, hisque mox adjunctos fuisse Costantinopolitanum et Hierosolymitanum, certissimis edocemur historiae sacrae monumentis (*c*).

(*a*) Haer. 69. n. 5. (*b*) Harduini col. Concil. t. 2. (*c*) Socrates l. 5. H. E. c. 8.

Eorum primus fuit Romanae Ecclesiae Praesul, cujus tamen jura patriarchalia cum juribus Primatus non sunt confundenda. Quod ejus patriarchalis auctoritas ad illas decem provincias suburbicarias, quae urbis vicario parebant, se extenderit, certum est; utrum vero per universum occidentem patuerit, a nonnullis in dubium vocatur. Major tamen theologorum pars affirmat.

Huic proxime successisse Patriarcham Alexandrinum, ex actis Concilii Nicaeni I. rite colligitur. Dioecesim Patriarchae Alexandrini Aegyptum, Lybiam ac Pentapolim complexam, adeoque amplissimam fuisse, Concilium Nicaenum I. c. 6 expressis verbis confirmat, dicens: « antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem. »

Patriarcham Alexandrinum proxime excepit Antiochenus, cujus limites se extendebant per Orientem proprie sic dictum, nimirum quousque tunc praefectura Orientis se exporrigebat. Vulgo connumerantur quindecim provinciae, quas inter etiam Palestina fuit, cujus caput Caesarea. Verum satis mature Antiochia quarundam provinciarum jacturam passa est. Ita jam ante Concilium Ephesinum Episcopi provinciae Cypri suam a Sede Antiochena independentiam sunt tuiti (a). Ecclesiae Persiae et Indiae proprium habebant Primatem, nomine Catholicum, qui Seleuciae residens Metropolitas ordinabat, quemadmodum faciunt Patriarchae. Demum sub V. saeculi exitum sedes Antiochena ad occasum vergere coepit.

His tribus Patriarchis postliminio accessit Praesul Ecclesiae Byzantinae, qui usque ad saeculi IV. exitum Metropolitae Heracleensi paruit *(b)*. Postquam autem Costantinus M. sedem imperii Roma Byzantium transtulit, etiam Episcopi hujus urbis majora concupiscentes a Metropolita Heracleensi et Patriarcha Alexandrino se independentes reddere, locumque in hierarchia sublimiorem ambire coeperunt. Hunc illorum conatum etiam egregie adjuvit Concilium Constantinopolitanum I. an. 381 habitum, canone tertio sanciens: « Verumtamen Constantinopolitanus Episcopus habeat honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quod urbs ipsa sit junior Roma. » Canonis tamen hujus effectus adhuc vere exiguos fuisse, vel ex eo patulum est, quod Patriarcha Alexandrinus in synodo an. 403 ad Guercum celebrata, jus praesidentiae nondum dimiserit, et proximo post illum loco sederit Metropolita Heracleensis. Verum non ita diu post S. Joannes Chrysostomus, Praesul Constantinopolitanus, in provinciis

(a) Conc. Ephes. Act. 7. (b) Gelasius ep. 2.

Asiae, Ponti et Thraciae Episcopos constituit et ordinavit, non quidem, ut iniqnae ambitioni satisfaceret, sed ideo probabilius, ut machinationes haereticorum Episcoporum praeveniret. Idem plures Synodos Constantinopoli, Ephesi, aliisque locis indixit, *jure praeventionis.* Illius in episcopatu successores tanti viri exemplo adlecti, jura plane eadem exercere pergebant, in provinciis Asiae, Ponti et Thraciae Episcopos ordinantes, et graviores passim causas cognoscentes. Atticus Episcopus Constantinopolitanus a Theodosio imperatore legem obtinuit: « ne praeter sententiam Episcopi Constantinopolitani in provinciis Ponti, Thraciae et Asiae ulla fieret Sacerdotis ordinatio. » Vi hujus legis Atticus omne ordinationis jus in supradictis provinciis arripuit, sibique et successoribus viam aperuit ad Patriarchicam dignitatem. In Concilio Chalcedonensi a. 451 indicto Anatolius Episcopus Constantinopolitanus nihil non egit, ut jura sua in Asiam et Pontum canone synodi sancirentur; et revera Patres hoc praestiterunt canone 28, quem tamen Leo M., scriptis ad Anatolium, Marcianum, Pulcheriam imperatricem literis, reprobavit. Eamdem sedis Constantinopolitanae praerogativam etiam impugnabant Leonis M. in pontificatu successores. Illis tamen invitis, Episcopi Constantinopolitani imperatorum auctoritate freti, Patriarchicam in Pontum, Asiam et Thraciam retinuere potestatem, imo Patriarcatus sui limites ulterius adhuc extendere sunt conati (*a*).

Ad honorem patriarchalem denique elevata fuit Ecclesia Hierosolymitana, quae ob urbis excidium prioribus tribus saeculis ne quidem auctoritatem metropoliticam potuit adipisci, sed Metropolitae Neocaesareensi subdita mansit. Cum autem Constantinus M., ejusque mater Helena magnificam ibi Basilicam extruxissent, et innumeri ex toto orbe christiano fideles devotas illuc peregrinationes susciperent, non solum urbi huic, sed et loci Episcopo major celebritas accrevit, huicque posteriori quaedam honoris praerogativa tributa est canone VII. Concilii Nicaeni, quae probabiliter consistebat in immunitate sedis Hierosolymitanae a jurisdictione Patriarchae Antiocheni et Metropolitae Caesaraeensis. Cum enim Cyrillus, Hierosolymitanus Episcopus inimicitias suscepisset cum Acacio Caesaraeensi, Arii sectatore, et Acacius, qua Metropolita illum ad tribunal suum evocasset, Cyrillus suam independentiam et immunitatem praetendebat, sedem Hierosolymitanam ab ipsis Apostolis plantatam, adeoque vere Apostolicam esse declarans. Haud minori constantia Joannes, Cyrilli successor, suum ho-

(*a*) Liberatus Breviario c. 13.

noris Primatum defendebat (a). Cum autem Metropolita Caesareensis Arianis postmodum et Nestorianis arctius se junxisset, Episcopus Hierosolymitanus jus ordinationis et sublimiorem jurisdictionem in totam Palaestinam sibi asseruit, opem probabilius ferente Theodosio juniore. Ulterius adhuc progressus Juvenalis, ejusdem urbis Episcopus etiam pro Phoenicia et Arabia Episcopos ordinabat, Patriarcha Antiocheno difficilem illi litem intentante, quae tandem in Concilio Chalcedonensi act. VII sequentem in modum est composita, ut Episcopus Hierosolymitanus pro futuro tres babeat Palaestinas, relictis Antiocheno Phoeniciis duabus et Arabia (b). Sic non tantum jura illius patriarchalia in tuto posita, sed etiam Patriarchatus limites accurate fixi sunt. Exinde quinque Sedes patriarchales numerari coeperunt hoc ordine; Romana, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena et Hierosolymitana. Erant tamen in variis locis Episcopi dependentes a solo Ecclesiae Primate, dicti eapropter αὐτοκέφαλοι. Talis v.g. erat Carthaginensis Primas, talis etiam erat Cypri Metropolita, et plures alii.

§. 3. *Cleri potestas et jura aucta.*

A quo Religio christiana per orbem Romanum dominari coepit, etiam illius ministri potestate et juribus aucti sunt. Jam Constantinus M. Clericis frumentum, agros et pecunias ex publico aerario suppeditavit, lataque a. 321 lege permisit, ut Ecclesiae secundum testatoris beneplacitum bonorum mobilium et immobilium baeredes institui possent (c). Hoc pacto Ecclesia praedia, et reditus amplos acquisivit. Constantini vestigia presserunt ejus successores. His nondum contenti imperantes Christiani varia quoque immunitatum privilegia Clericis concesserunt. Huc pertinet: 1. Immunitas personalis, qua Religionis christianae ministri ab omnibus reipublicae oneribus v. g. a militia, a munere tutelae, a functionibus publicis, a viarum et pontium reparatione, aliisque servitiis molestis et onerosis exempti sunt. Exempti quoque fuere a foro saeculari in causis civilibus. Constantinus M. litigantibus permisit, ut magistratum civilem praeterire possent, et suam causam ad Episcopum deferre. Cum ipsi laici Episcopum tanquam judicem arbitrum sibi eligere possent, eo magis Clericis hoc convenire videbatur; ideo Justinianus imperator omnes

(a) Sozomenus l. 4. H. E. c. 25., S. Hieron. Ep. ad Pam. (b) Tom. II. Harduini, col. 492. (c) Euseb. l. 10. H. E. c. 6. Cod. Theodos. l. 16. l. 2.

Clericorum lites ad Episcopos transtulit. 2. Immunitas realis, qua Clerus a tributi et exationibus fuit exemptus, quod privilegium variis modificationibus et vicissitudinibus obnoxium fuit. 3. Immunitas localis seu asylum ecclesiasticum, vi cujus criminum reis ad loca sacra et ecclesiastica confugientibus tutis et securis esse licuit. Cum enim similis consuetudo jam inter gentiles vigeret, principes civiles etiam locis christianorum sacris hoc privilegium concesserunt. Jam tempore Constantini M. prima occurrunt observantiae hujus vestigia. Episcopi nimirum apud judices intercedebant, faverent vitam longiorem reis, quo poenitentiam ecclesiasticam agere, Deoque reconciliari possent. Theodosius M., Honorius, Arcadius, Theodosius II., aliique asyli privilegium, prout ipsis videbatur, jam ampliarunt, jam restrinxerunt, jam modificarunt, jam penitus sustulerunt.

Potissimum vero Reges Francorum Clerum, in primis Episcopos favoribus suis prosequebantur. Illis enim volentibus et jubentibus Episcopi summi momenti negotia politica tractabant, intererant publicis regni comitiis et in partem regiminis politici admittebantur, viduas et orphanos in suam recipiebant tutelam, pauperum sublevabant inopiam, captivos asserebant libertati, reis tutum aperiebant asylum, pueros regios instituebant, in regum unctione et coronatione suas habebant partes, legationes ad exteras gentes obibant, et regum libertate opes amplissimae in eos transferebantur (*a*).

§. 4. *Archipresbyteri et Archidiaconi.*

Ut singulae Ecclesiae dioecesanae magis in obsequio et obedientia continerentur, Episcopi dioeceses suas in plures diviserunt districtus, parochias cujuslibet districtus, et parochos in minores redegerunt consociationes, capitulum rurale constituentes, easque archipresbyteri curae tradiderunt; cuilibet autem districtui peculiarem Archidiaconum praefecerunt, qui Episcopo proxime subditus, ordinis, disciplinae, legumque custodiae invigilaret. Quarto Ecclesiae saeculo Archidiaconos non solum extitisse, verum etiam amplissimam potestatem exercuisse, certum est (*b*). In nonnullis dioecesibus plures Archipresbyteri rurales uni Archidiacono subjecti erant. Cum autem non solum supra reliquum Clerum, verum etiam supra ipsos Episcopos se efferrent, Episcopi de jurisdicitione illorum imminuenda, aut omnino tollenda cogitare coeperunt (*c*).

(*a*) Thomassini vetus et nova Eccl. discipl. p. 2. l. 3. (*b*) Thomassini p. 1. l. 2. c. 17. (*c*) Capitular. t. 1. p. 435.

§. 5. *Romani Pontificis auctoritas suprema.*

Sive ad ea, quae aetate hac in rebus ecclesiasticis peracta; sive ad illa, quae literis tradita sunt, animum advertamus, ab utraque parte ejusmodi facta pariter, atque effata deprehendimus, quae supremae Romani Pontificis auctoritati egregie patrocinantur. Sic ipsi Ariani S. Athanasium ad Julium papam detulerunt petendo, ut ejus causam judicaret. Cyrillus Alexandrinus Episcopus haeresim Nestorii ad Caelestinum Papam detulit. Episcopi Africae sententiam condemnationis in doctrinam Pelagii et Coelestii latam ad Innocentium I R. P. miserunt. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus de haeresi Eutychetis certiorem reddidit Leonem M. — Hoc idem confirmant SS. Patrum effata. S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua scribit, « binas mundi faces existere, Romam nimirum vetustam et novam; priorem tamen esse universi praesidem mundi. » S. Prosper vocat « Romam Petri sedem, quae pastoralis honoris facta caput mundi, quidquid non possidet armis, Religione possidere (*a*). » Similiter Fulgentius (*b*), Vincentius Lirinensis (*c*), Victor Uticensis (*d*), et alii bene multi Romanam Ecclesiam mundi caput appellant. — Nec desunt Concilia, in quibus Romanae Ecclesiae primatus fuit agnitus. Sic in Concilio Ephesino can. 2. definitum fuit: « Constantinopolitanus habeat Primatus honorem post Romanum Episcopum. » In Concilio Chalcedonensi primus locus Leonis M. legatis datus, et Romanae Ecclesiae Primatus communi omnium consensu comprobatus.

Quum Patriarchae Constantinopolitani, insana aemulatione abrepti, dominatum in Ecclesiam affectarent, Romani Pontifices jura sedis suae adversus iniquam aggressionem fortiter tuiti sunt. De multis eam in rem exemplis pauca juvat observare. Cum quippe Joannes Jejunator Patriarcha Constantinopolitanus in Synodo a. 588 habita, titulum Episcopi Oecumenici sibi arrogasset, Papa Pelagius II datis ad Joannem et Apocrisarium suum literis, non tantum synodi acta ea de re rescidit, huncque titulum perstrinxit, verum etiam Apocrisario suo prohibuit, ne cum Joanne communicaret, donec novum et temerarium titulum deposuerit (*e*). Verum curas inanes Pelagius impendit, Joanne minime cedere volente. Pelagii vestigia secutus Gregorius M. tanto cum zelo titulum illum reprobavit, ut pronuntiare non dubitaverit, illum esse profanum, temera-

(*a*) S. Prosper. in carm. de ingrat. (*b*) Lib. de incarnat. et grat. c. 11. (*c*) Commonit. c. 42. (*d*) L. 2. de persecut. Vandal. (*e*) S. Gregorius M. l. 4. ep. 36. ad Eulogium.

rium , superstitiosum ac diabolicum. Hanc litem continuavit Cyriacus, Joannis successor, qui nullis Gregorii precibus ac monitionibus permoveri potuit, ut illum titulum abdicaret. Quocirca Gregorius humilitatis documentum daturus, titulum assumpsit *Servi Servorum Dei*, quem Romani Pontifices ad nostram usque aetatem retinuerunt. Verumtamen aliter se res habuit sub imperatore Phoca, qui Mauritio ejusque filiis trucidatis, thronum conscendit. Is enim , rogante Bonifacio III, edictum publicavit, quo Patriarchae Constantinopolitano Episcopi Oecumenici titulus prohibetur, simulque statuitur, ut sedes Apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum. Non hoc sibi conferri a Principe quasi jus novum postulabat Bonifacius, sed jura antiqua sedis suae a Christo ipso instituta , legis publicae praesidio muniri adversus vim Constantinopolitani Patriarchae.

§. 6. *Initia dominationis civilis Romanorum Pontificum.*

Urbs Roma et Ducatus Romanus usque ad Pipinum, Caroli Martelli filium, quem Galli exauctorato Childerico III ex stirpe Merovingica, regem sibi crearunt, imperio Graecorum parebat. Dimidio circiter saeculi VIII imperatorum orientalium potestati acerba plaga inflicta est , ansam praebente Leonis Isaurici contra imagines edicto, quod in Italiam delatum catholicorum animos adeo perculit, ut Romani Pontifices Gregorius II et Gregorius III, omni qua valebant auctorite ei resisterent, et Itali tumultuantes tributum Principi pendere recusarent (*a*). Ab hoc tempore jam tanta invaluerat Graecos inter et Italos animorum abalienatio, ut vix sanari posse videretur.

Difficiliori tempore Rom. Ecclesiae pontificatum gessit Stephanus III. quo nullus Paparum acriores Longobardorum impetus pertulit, majorique prudentia ac constantia eos repressit. Cum enim Aistulphus Longobardorum rex, imperii reliquias in Italia usurparet, Romanisque, nisi se dederent, minaretur excidium, Papa prius missis legatis, animum illius delinire est conatus; verum rege cedere nescio, ipsemet postea, Costantino Copronymo urgente, numeroso nobilium comitatu stipatus ad Aistulphum proficiscitur, ut de restitutione civitatum, quas invaserat cum illo ageret. Sed res armis cum Aistulpho erat agenda non legationibus, et precibus ; nec tamen copias mittebat Orientis imperator. Quam ob rem Stephanus a. 753 iter in Franciam suscepit ad regem Pipinum, cui causam divi

(*a*) Anastasius de Vitis Pontific. t. 1. p. 162.

Petri et Reipublicae Romanorum impense commendavit. Cum Aistulphus civitates et bona reddere detrectaret; Pipinus, quem Stephanus cum filiis in Regem Francorum unxerat, et Patricios Romanorum salutaverat, cum exercitu Ticinum movens, quo se incluserat Aistulphus, urbem hanc obsidione cinxit, qua misere pressus Longobardus provincias occupatas mox se redditurum promisit. Pace igitur inita Pipinus cum exercitu in Franciam rediit. Cum vero Aistulphus fidei juratae immemor a 755 Romam obsideret et suburbana omnia popularetur, nec sacris rebus parceret ejus exercitus: Stephanus scriptis ad Pipinum ejusque filios literis amare conquestus est. Longobardis autem obsidionem acrius urgentibus, alias literas in nomine S. Petri dedit ad eosdem, quibus permotus Pipinus, superatis denuo cum exercitu Alpibus, ingressus est Italiam, Longobardorum copias fudit, Ticini muros inclusit, regique poenitenti sub certis conditionibus pacem concessit. Dum haec gerebantur, Constantini Copronymi Legati Pipinum convenerunt, cumque oblatis muneribus obsecrarunt, ut Exarchatum cum ab Aistulpho recepisset, imperatori restitueret. Pipinus vero petitum denegans, Exarchatum et quidquid armis in Italia occupavit Sedi Apostolicae tradidit, exhibitis solemnibus donationis literis, quae in scriniis Ecclesiae Romanae asservabantur. Quibus peractis Pipinus ad suos remeavit, nihilque sibi retinuit, quam titulum Patricii Romanorum, ac dignitatem supremi eorum advocati (a).

Mortuo a. 768 in Coenobio S. Dionysii prope Parisios Pipino, Stephanus IV. Papa duobus filiis Carolo et Carolomanno, qui regnum Franciae inter se diviserunt, Sedem Apostolicam commendavit, eosque per Deum adjuravit, ne uxores suas repudiarent, et conjugium inirent cum Desiderii, qui Aistulpho successerat, filia Desideria, quam Bertha mater ex Italia in Franciam adduxerat, ut eam alterutri filiorum uxorem daret. Non obstante Pontificis admonitione, Carolus Hilmirudem uxorem suam repudiavit, regisque Longobardorum filiam Desideriam superduxit, post annum tamen Desiderii filiam in Longobardiam remisit, legitima uxore in palatium et thorum revocata, sicque Pontificis animum delinivit. A quo tempore Carolum inter et Desiderium mutuum amicitiae foedus ruptum, imo singulari interveniente casu, discordiarum mox semina sparsa sunt. Cum enim Carolus, mortuo Carolomanno, ex consensu Optimatum hujus partem ad se traxisset, totiusque Franciae monarcha fuisset salutatus: Duo Carolomanni filii superstites cum matre Girberga ad Desiderium con-

(a) Muratori Rer. It. P. II. T. II., e Annali d' Italia t. 4. p. 353.

fugerunt, ut ejus patrocinio se committerent. Quam occasionem ambabus velut ulnis arripiens Desiderius Pontificem Hadrianum I. ad se in Longobardiam invitavit, tum ut de aliis rebus cum ipso conferret, tum ut Carolomanni filios in reges Francorum ungeret, sicque a Caroli amicitia divelleretur. Verum Hadriano recusante, Desiderius cum exercitu in Umbriam irrumpens, plurimas civitates et castra Pontificiae ditionis occupavit, ferro et igne omnia devastans. Cum frustra Hadrianus, missis legationibus, regem ad aequitatem ac pietatem revocare fuisset conatus, ad Carolum Francorum regem confugit, qui numeroso cum exercitu, superatis Alpibus, in Italiam venit, et Papiam ac Veronam obsidione cinxit, Desiderio autem Romam versus proficiscente, intrepidus Papa non tantum Urbem muniri praesidiisque majoribus custodiri jussit, sed etiam Longobardorum regi excommunicationis ipso facto incurrendae minas intentavit. His minis territus Desiderius illico in Longobardiam est reversus. Carolus a. 724., relictis castris, Romam profectus est, ut Pascha cum Hadriano celebraret, a quo ad S. Petri confessionem deductus donationem Romanae Ecclesiae a Pipino patre suo factam confirmavit, addito, uti Anastasius refert, Spoletano Ducatu. Quo peracto Carolus ad Papiae urgendam obsidionem regressus, Desiderium ad deditionem compulit, quem cum uxore et filia in Abbatiam Franciae Corbejensem oblegavit. Hic exitus fuit Longobardorum in Italia regni, quod paulo plus 200 annis steterat, et exinde Carolus Rex Francorum et Longobardorum dici voluit (a).

Idem amicitiae mutuae vinculum etiam substitit sub Leone III., qui non ita pridem Romanae Ecclesiae Pontifex creatus, Carolo M. suam electionem significavit, missisque ad ipsum clavibus sepulchri S. Petri, et vexillo Urbis Romae, illius amicitiam et tutelam imploravit. Nec Leonis fiduciam Carolus unquam fefellit: Exempla eam in rem habentur minime dubia. Cum enim a. 799 Leo III. solemni supplicatione in festo S. Georgii Romae instituta, equo vectus ex palatio Lateranensi procederet, prorumpunt ex insidiis armati, Pontifici manus injiciunt, et terrae affigunt, oculos ei vellere, linguam amputare, vitamque eripere conantur. Verum repente advolabant Dux Spoletanus, aliique veri amici, ut ex conjuratorum manibus eumdem eriperent. Inde Leo ad Carolum M. est profectus, cujus in occursum rex, primo filium suum cum procerum comitatu; postremo ipse eidem obviam processit. Dum vero in Galliis versaretur, conjurati, missis ad regem libellis, Pon-

(a) Eginardus in vita Caroli. M.

tifici falsa crimina imposuerunt. Has tamen accusationes parvi aestimans Carolus, Leonem Romam reduci jussit cum nobili comitatu et fidelibus missis, qui in auctores seditionis inquirerent. Hi conjurationis auctores eorumque complices in Franciam adduci curarunt, causae decisionem Regi Carolo reservantes. Carolus a. 800 cum exercitu Romam venit, et habito Episcoporum et Procerum conventu, causam Leonis agnovit, auctoresque seditionis capite damnavit, quam tamen poenam, intercedente Papa, exilio commutavit. Demum in natali Domini Rex Basilicam ingressus S. Petri ut solemni Missae adesset, a Leone III. pretiosissimam coronam accepit, acclamante toto populo: « Carolo Augusto, a Deo coronato, Magno et pacifico Romanorum Imperatori vita et victoria! » Cessantibus populi acclamationibus, Papa eum Dominum et Principem suum professus est, deinde ipsum ejusque filium Pipinum oleo sancto unxit; et Carolus D. Petro duas mensas argenteas, calices, patenas, aliaque vasa sacra ex auro obtulit. Ita imperium post annos 324 iterum in Occidente revixit *(a)*.

§. 7. *Modus designandi Ecclesiarum Antistites.*

Ecclesia veterum morem servavit, ac Synodorum legibus confirmavit, ut Antistites, intervenientibus ejusdem provinciae Episcopis, Clero ac populo eligerentur, reservata Metropolitano electionis confirmatione. Aliquando absque populi consensu eligebantur, uti S. Athanasius Frumentium Indorum Episcopum Alexandriae ordinavit. Si vero populus in partes divisus erat, Metropolitanus et Synodus Episcopum eligebant. Nonnumquam ad omnes tumultus populares praecavendos, ipsi imperatores Episcopos nominabant. Ita Theodosius II. Nestorium in sede Constantinopolitana collocavit. Denique Justinianus imperator plebem ab universo electionis negotio penitus exclusit, jure eligendi Clericis et Optimatibus in qualibet Ecclesia reservato (*b*).

In regnis Galliae et Hispaniae, saec. VI. et VII., reges quoque ad electionem Episcoporum, honoris causa, admissi fuere, qui sensim et sensim sibi solis jus nominandi Episcopos vindicarunt. In Germania prima regiarum nominationum exempla occurrunt sub Carolo Martello (*c*).

Quoad Romanorum Pontificum electionem attinet, primis Ecclesiae saeculis Clerus Romanus, adscito etiam populo, Pontificem designabat. Verum ex quo imperatores, simulque

(*a*) Anastasius l. c. (*b*) Conc. Nic. c. 4., Concil. Carth. c. 4., Socrates l. 7. (*c*) Petrus de Marca de concord. l. 8. c. 9. et 10.

Italiae Domini ad Christi vexilla transierunt, et in electione quorundam Pontificum funesta emerserunt dissidia, Principum interventio summae necessitatis visa est, ad dubiam electionem dirimendam. Cum enim anno 367. electio Pontificis Damasi nefando Ursicini schismate turbata fuisset, imperator Valentinianus Antipapam Ursicinum Roma pelli jussit, et Damasum in Sede pontificia collocavit. Honorius imperator, indicta Synodo Ravennae, pepulit Eulalium; et Bonifacium legitime electum Romam revocavit. Imo Odoacer, lata lege sancivit, ut nulla in posterum electio Pontificis institueretur, nisi cum consensu et approbatione regis Italiae. Justinianus imperator etiam suam in electione pontificia auctoritatem interposuit. Ab hoc tempore Imperatoris consensus requirebatur (*a*).

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Scriptores Graeci saeculi IV.*

Eusebins Caesareensis in Palaestina Episcopus, vir multae doctrinae, historiae et antiquitatum sacrarum aeque ac aliarum literarum sanctiorum maxime peritus, scripsit: 1. Chronicon, quo origines et successiones, resque memorabiliores, variarum gentium ab orbe condito per capita adumbrantur. 2. Libros XV. Praeparationis Evangelicae, quibus veritatem christianae Religionis contra paganos philosophos defendit. 3. Libros viginti Demonstrationis Evangelicae. 4. Librum contra Hieroclem. 5. Libros duos contra Marcellum Ancyrae Episcopum Sabellianismo addictum. 6. Libros tres de ecclesiastica Theologia adversus eumdem Marcellum. 7. De locis hebraicis, sive descriptionem urbium et locorum Scripturae sacrae. 8. Commentaria in Psalmos. 9. Expositionem in Canticum canticorum. 10. Vitas Prophetarum. 11. Commentarios in Isaiam. 12. Canones Evangeliorum cum epistola ad Carpianum. 13. Historiae ecclesiasticae libros decem. 14. Libros quatuor de vita Constantini M. 15. Librum de Martyribus Palaestinae in persecutione Diocletiani et Maximini passis etc. Obiit 340.

S. Athanasius anno circiter 296 Alexandriae natus Ecclesiae Alexandrinae primum Diaconus, fidei ortodoxae adversus Arianos strenuus defensor, deinde mortuo Alexandro, ejusdem Ecclesiae Praesul salutatus; verum nefandis Arianorum calumniis oppressus, iterum atque iterum munere suo dejectus,

(*a*) Novell. Justin. 123. c. 1. et Novell. 137. c. 2., Sozom. l. c. 11.

et vario calamitatum genere affectus, dissipata tandem procella, pacate vixit usque ad annum circiter 373. Inter ejus scripta eminent: 1. Orationes duae contra Gentes, in quarum prima idololatriam impugnat, in altera Incarnationis Dominicae necessitatem exponit. 2. Quatuor libri contra Arianos. 3. Liber de Trinitate et Spiritu Sancto contra Arianos et Pneumatomachos. 4. Libri duo contra Apolinarem. 5. Historia Arianismi ad Monachos Ægypti directa. 6. Epistola de Synodis Ariminensi et Seleuciensi. 7. Tres Apologiae, prima contra Arianos, altera ad Constantinum Magnum, tertia de fuga sua. 8. Epistola ad Serapionem. 9. Epistola ad Solitarios. 10. Vita S. Antonii eremitae etc.

S. Cyrillus Hierosolymitanus primum diaconus et presbyter, simulque munere Catechetae functus, postea Episcopus ejusdem urbis creatus, varios subiit fortunae casus. Cum enim Ecclesiae Hierosolymitanae per duos et tres annos summa cum laude praefuisset, ingens ei oborta est lis cum Acacio Caesareensi de jure Metropolitico Ecclesiae Caesareensis, cujus denique exitus is erat, ut agentibus Acacio, ejusque amicis, iterum atque iterum munere privatus, in exilium ejiceretur. Sopita tamen procella, pristinam dignitatem recuperavit, vitamque suam placide finiit a. 386. Ex scriptis ejus notatu digniora sunt: 1. Catecheses XVIII. ad competentes habitae de praecipuis fidei capitibus. 2. Catecheses mistagogicae V. quae ad baptizatos de sacramentis baptismi, confirmationis et sacrae coenae dictae sunt eum in finem, ut neophyti officiorum suorum admonerentur, et in doctrina salutis proficerent. 3. Epistola ad Constantium imperatorem de signo crucis, quod Hierosolymis die Pentecostes a. 353 quamplurimis loca sacra invisentibus apparuit.

S. Epiphanius gente Palaestinus, anno circiter 310 natus, Pentaglottus dictus, qui juvenis adhuc in Ægyptum profectus, Ascetarum moribus ac institutis ibi operam dedit, et in iis adeo profecit, ut post suum inde reditum in Hilarionis vitae monasticae in Palaestina parentis disciplinam se tradiderit, ipse monasterium prope vicum natalem condiderit. — Quum autem integritate, et sanctitate vitae omnibus praeluceret, a. 367. Salaminae in insula Cypro Episcopus est constitutus, qua in dignitate vitam monasticam, quam nec ipse colere desiit, etiam apud alios egregie promovit. Obiit a. 403. — Germana autem S. Epiphanii scripta, quae aetatem tulerunt, haec fere sunt: 1. Anchoratus, ita dictus, quod doctrina in eo proposita anchorae instar esset contra haeresum fluctus, seu expositio fidei catholicae adversus 80 haereses. 2. Panarium, i. e. arca medica, sive opus de haeresibus, quo non solum historicum sed

etiam disputatorem egit. 3. Anacephalaeosis seu Panarii epitome. 4. Liber de ponderibus et mensuris, quae videlicet in Scriptura sacra commemoratur. 5. Epistola ad Joannem Hierosolymitanum, cui in primis Origenis defensionem vitio vertit. 6. Epistola ad S. Hieronymum, ex qua Epiphanii ac Theophili Alexandrini zelus adversus Origenem colligi potest.

S. Ephraemus, natione Syrus, splendido genere ortus, vitae monasticae maximus cultor et laudator, quum aliquandiu in solitudine vixisset, apud Edessenos in diaconorum ordinem adscriptus, haereses maxime Apollinaris oppugnare studuit, nec oblatam sibi Episcopi dignitatem acceptavit, sed constanter restitit, fugaque se subduxit, tandiu delitescens, donec alia instituta esset electio. Veteres tradunt, tanto in pretio olim habita fuisse ejus scripta, ut in alias passim linguas transferrentur, eorumque nonnulla in religiosis conventibus post sacram Scripturam perlegerentur. Ex illis autem commemorari merentur: 1. Homiliae numerosae, praesertim ad monachos de virtutibus et vitiis habitae. 2. Commentarii in universam V. T. scripturam, si Psalmos et Salomonis libros excipias. 3. Refutatio Eunomianorum. 4. Oratio panegyrica de vita Basilii M. 5. Opusculum de libertate voluntatis humanae, etc. Obiit 378.

S. Basilius M. Caesareae in Cappadocia a. 329 illustri ac vetusto genere natus, eloquentiae aliarumque artium studio ingenium suum mire excoluit. Cum enim domi ab ipso patre literarum ac virtutum praecepta accepisset ac Caesareae studiorum curriculum fuisset emensus, gressus suos aliorsum dirigens, non tantum Constantinopoli, sed etiam Athenis et Antiochiae, praeclarissimorum praeceptorum scholas frequentavit. Post reditum aliquandiu Caesareae commoratus, alia postmodum itinera fecit, satisque diu Ægyptum, Syriam, Palaestinam aliasque regiones vicinas pervagatus, in monasterio Ponti delituit, ubi et ipse duris monachorum exercitiis vacavit, et aliis vitam monasticam impense commendavit, extructoque monasterio latius propagavit. Et quamvis urbis patriae Lector creatus, et ad ineundam cum Anomaeis disputationem fuisset evocatus, suas tamen latebras non deseruit usque ad an. 362 quo a Diano Episcopo Caesareensi revocatus, et ab ejus successore Eusebio, invitus licet, Praesbyter ordinatus est. Quum in Ecclesia Caesareensi Presbyteri munere per tempus quoddam functus esset, simultate ipsi cum Episcopo suo Eusebio intercedente, in Ponti solitudines iterum secessit. Rediit tamen reconciliatus suo Episcopo, eique adhuc vivo adjunctus, ac post mortem illius Episcopus creatus est, qua in dignitate rei christianae decori ac emolumento doctrina et exemplo

egregie consuluit. Ex hac vita decessit anno 379. Inter eruditionis et industriae monumenta, quae Basilius reliquit, potiorem attentionem merentur : 1. Homiliae in Hexameron, sive de opere sex dierum, in Psalmos, aliaeque diversi argumenti. 2. Libri de Baptismo et de officiis baptizatorum, baptizandorumque. 3. Commentatio ad Letajum, Mitelenes Episcopum, de vera virginitate. 4. Commentarii in XVI. prima capita Isaiae. 5. Libri quinque adversus Eunomium. 6. Liber de Spiritu Sancto ad Amphilochium. 7. Varia scripta ascetica. 8. Epistolae et sermones.

Eamdem sanctitatis ac eruditionis famam assequutus est Basilii M. frater aetate minor Gregorius Nyssenus, a teneris jam eloquentiae praeceptis, et sacratiorum literarum oraculis imbutus, ac disciplinae monasticae cultor adeo rigidus, ut ampla satis eruditionis ac virtutis proemia tulerit, Nyssae in Cappadocia Episcopus constitutus. Qua in dignitate, quum fidem Nicaenam adversus Arianos acerrime propugnasset, jussu Imperatoris Valentis, multiplices inter contumelias et aerumnas, in exilium ejectus est. Verum a Gratiano in pristinam sedem restitutus, pluribus Conciliis interfuit. Ex hac vita decessit anno circiter 394. — Scripta illius pleraque ad aetatem nostram pervenerunt; e quibus eminent : 1. Hexameron ; 2. Liber de hominis opificio ; 3. Libri 12. contra Eunomium ; 4. Liber contra Apollinarem ; 5. Liber contra fatum ; 6. Catechetica magna oratio; 7. Dialogus de anima et resurrectione; 8. Liber de Deitate Filii et Spiritus Sancti ; 9. Varia scripta moralia ; 10. multae Homiliae.

S. Gregorius Nazianzenus, a Nazianzo Cappadociae oppido ita cognominatus, foecundissimo ingenio pollens, quod in Palaestinae scholis, atque Athenis litterarum, in primis eloquentiae studio impigre excoluit, cum amicissimo sibi Basilio aliquandiu solitariam vitam sectatus ; postea autem relictis Athenis a Patre Episcopo Nazianzeno in Presbyterorum ordinem invitus licet adscriptus est : ast turbarum pertaesus, denuo in solitudinem recessit, ibique carmina christiana conscripsit, donec a Basilio M. Sasimorum Episcopus creatus fuit ; quam tamen electionem adeo aegre tulit, ut nunquam voluerit hanc sedem occupare, suumque patrem, qui summam ad senectutem pervenerat, in regimine Ecclesiae Nazianzenae adjuverit. Anno demum 379 a Catholicis Constantinopolim vocatus, veritatem catholicam adversus Arianos, Novatianos et Appollinaristas defendit, et licet Ecclesiae Constantinopolitanae a Theodosio M. Antistes praeficeretur, ob varias contentiones, provincia hac sponte se abdicavit. Quo munere deposito, domum reversus, vitam privatam egit, partim pietatis exercitiis,

partim lucubrationibus poeticis vacans. Mortuus est anno circiter 389. — Scripta ejus celebriora sunt: 1. Orationes quarum plures adversus Arianos, Eunomianos et Macedonianos directae sunt. 2. Epistolae plurimae. 3. Carmina denique diversi et varii argumenti, inter quae eminent illa, quibus vitam suam ipse descripsit.

Gregorio et Basilio amore conjunctissimus fuit Amphilochius, gente Cappadox, vitae primum solitariae sectator, deinde Episcopus factus Iconensis, vir non mediocris eruditionis, tantoque rectae fidei studio accensus, ut Theodosium M. imperatorem ad edictum contra coetus Arianorum promulgandum adduceret, et in variis conciliis praesens adversariis orthodoxae fidei constanter resisteret, rebusque Christianorum rite consuleret. Mortuus est senilibus annis gravis. Scripsit: 1. Librum de Spiritu Sancto; 2. Librum adversus Messalianos; 3. Commentarium in Isaiam; 4. Orationes varias; 5. Librum de generatione Domini secundum carnem. Ast fere omnia intercidere.

Per dimidium fere saeculi scholae Alexandrinae decus insigne fuit Didymus, oculis quidem a teneris captus, attamen plane singulari disciplinarum philosophicarum ac theologicarum cognitione imbutus, idemque nulli pietate secundus, S. Hieronymi et Rufini praeceptor, qui cum se Origeni addictum monstraret, mirum non est, quod acerbam recte sentientium censuram subierit. Talis cessit circa annum 392. Scripta, quorum auctor extitit, pleraque sunt deperdita, e quibus sunt ejus commentarii et complures lucubrationes dogmaticae. Ad nos tamen pervenerunt; 1. Liber de Spiritu Sancto in versione S. Hieronymi latina; 2. Breves enarrationes in epistolas canonicas, quas itidem latine tantum habemus; 3. Liber adversus Manichaeos, qui non integer superest.

Macarius Ægyptius et senior, in Thebaide natus, qui juvenis adhuc tantam disciplinae severitatem est sectatus, ut a monachis passim in puerili aetate senex appellaretur. Annos 40. natus in Presbyterorum ordinem adscriptus, multum tempus in solitudine consumpsit, et inter rerum divinarum studia ac coelestes contemplationes animam suam Deo reddidit anno circiter 391. — Eruditionem illins satis produnt: homiliae 50 opuscula ascetica, de custodia cordis, de perfectione in spiritu, de oratione, de patientia et discretione, de elevatione mentis, de charitate et de libertate mentis etc.

Macarius junior et politicus dictus, patria Alexandrinus, vitae monasticae in solitudine Nitriensi aemulus, dein Presbyter factus et Archimandrita Nitriensis, qui senio gravis obiit anno Christi 404. — Sub ejus nomine extant: 1. Regula mo-

nastica, 30 capitibus comprehensa; 2. Sermo de exitu animae justorum et peccatorum; 3. Epistola ad monachos.

S. Joannes Chrysostomus, ab aureo eloquentiae flumine sic dictus, anno circiter 347 Antiochiae in Syria Christianis parentibus natus, aliquandiu causarum forensium patronus, verum mox hujus vitae taedio captus, ad studia divinarum litterarum omnes curas et cogitationes convertit eo plane profectu, et paullo post in ordinem Lectorum adscriberetur. In hoc munere Chrysostomus ita se gessit, ut Episcopi provincia dignus censeretur, a qua tamen suscipienda vir humilis ita alienus fuit, ut Basilium sibi amicissimum sui loco commendaret, et in vicinos Antiochiae montes se reciperet, piis meditationibus ac vitae sanctioris exercitationibus vacaturus. Ast viribus corporis duriori disciplina fractis ac debilitatis, in patriam rediit a. 380, Diaconi, deinde Presbyteri munus apud Antiochenos suscepit, demum mortuo a. 397 Nectario, Patriarcha Constantinopolitanus creatus est. Qua in dignitate cum effrenem morum corruptelam, quae in Clero aegre ac in populo invaluerat, acerrime castigaret, Clericorum maxime, et aulicorum odium implacabile incurrit. Malum deterius evasit, cum monachos montis Nitriae, Origenis fautores, a Theophilo Alexandrino Patriarcha expulsos, non tantum benigne excepisset, sed etiam pro illis intercessisset apud Theophilum, ut eosdem in pristinas sedes restitueret. Tantum enim aberat, ut praesul Alexandrinus satisfaceret voto illius, quin potius ira percitus, asperrima in eum odia movere, eumque pessumdare conaretur. Cum enim ipse Constantinopolim venisset, improbis consiliis et machinationibus rem eo adduxit, ut Chrysostomus anno 403 in synodo ad Quercum subdole accusatus, exauctoraretur et exilio mulctaretur, ipso Arcadio imperatore hanc sententiam ratihabente. Quia vero populus urbem tumultu miscebat, optimum Praesulem de exilio revocari cupiens, Chrysostomus, qua potuit celeritate rediit, Theophilus vero in Ægyptum aufugit. Verum haec ejus felicitas haud diuturna fuit. Ejus enim adversarii ab Eudoxia imperatrice adjuti, decretum fecerunt de eo iterum urbe expellendo eo praetextu, quod episcopalem sedem conscendendo, adversus Concilii Antiocheni canones egisset. Qua sententia confirmata, an. 404 primum Nicaeam, deinde Cucusum, Armeniae urbem, denique confluente ad eum ex vicinia ingenti piorum hominum multitudine, Pityuntem exul migravit. Post ejus mortem an. 407 secutam, imperator Theodosius II. reliquias Sancti viri solemni pompa Constantinopolim transferri jussit. Scripta ejus adeo numerosa sunt ut 12 tomos in folio impleant. In primis memorari merentur homiliae, quibus Scripturas sacras expo-

suit, et alia peculiaria argumenta pertractavit. Ex reliquis S. Joannis Chrysostomi operibus, ut plurimum moralibus et asceticis, notatu digniora sunt : 1. Libri sex de Sacerdotio; 2. Libri tres de providentia Dei ; 3. Liber adversus vitae monasticae vituperatores ; 4. Liber de comparatione Regis et Monachi ; 5. Opus de educandis liberis ; 6. Epistolae plures.

Jam memoratis scriptoribus addendi sunt : Petrus Alexandrinorum Antistes et martyr ; Antonius natione Ægyptius; Pachomius monachorum Tabennensium auctor, Jacobus Nisibenus ; Marzellus Ancyranus ; Meletius Antiochenus ; Alexander Episcopus Alexandrinus; Eustachius, qui singulari studio contra Arianos pugnavit ; Apollinaris senior, Presbyter Laodicaeae in Syria ; Evagrius, Presbyter, et postea Praesul Antiochenus ; Nemesius Episcopus Emesenus, et innumeri alii, quos enumerare nimis longum foret.

§. 2. *Scriptores Saeculi IV. Latini.*

Arnobius, gente Afer, christianae Religionis prius adversarius, deinde sacri fontis mysterio initiatus, qui Siccae Venariae in Numidia artem rethoricam docuit, et in Cathecumenorum ordinem vix adscriptus, septem libros adversus gentes composuit, quibus idolorum inanitatem monstravit.

Hujus discipulus Caecilius Lactantius, a Firmio (Fermo) Italiae urbe Firmianus cognominatus, a pueritia literis totus consecratus, qui a Diocletiano Imperatore Nicomediam evocatus, aliis ibidem eloquentiae praecepta tradidit, et tandem extrema senectute in Gallia Crispum Constantini M. filium latinis literis erudiendum suscepit. — Inter lucubrationes ejus celebrari merentur : 1. Septem libri Institutionum divinarum, philosophicam complectentes christianae Religionis defensionem; 2. Liber de opificio Dei ad Demetrianum auditorem, quo ostendit corpus et animam esse luculentum benignitatis, sapientiae et potentiae divinae documentum ; 3. Liber ad Donatum Confessorem de mortibus persecutorum ; 4. Liber de ira Dei, quo contra Epicuraeos et Stoicos ostendit non esse Deo indignum, ut irascatur impiis ; 5. Symposium sive centum epigrammata ; 6. Tria carmina de Phoenice, de Paschate et de passione Domini, de quorum tamen authenticitate nonnulli dubitant.

S. Optatus Milevitanus, natione Afer, urbis Milevitanae in Numidia Episcopus, acerrimus Donatistarum oppugnator, scripsit 7 libros de schismate Donatistarum adversus Parmenianum ejusdem partis Episcopum.

S. Hilarius, Pictavii in Gallia ethnicis parentibus natus,

vir meliorum literarum a teneris studiosissimus, qui perspecta ethnicae superstitionis vanitate cum uxore et filia, nomine Abra, Christo nomen dedit. Quum nihil magis cordi haberet, quam Ecclesiae catholicae decorem et incrementum, animarumque salutem, Pictavienses ei regimen Ecclesiae suae tradiderunt an. circiter 350. Pugnavit contra factionem Arianam, missoque ad Constantium imperatorem libello, verae fidei defensores ejus tutelae commendavit. Verum Saturninus, Arelatensium Episcopus Arianus, ad viam commotus, una cum Ursacio et Valente, eidem sectae addictus, improbis machinationibus effecit, ut Hilarius, qui a. 356 in Synodo Biterrensi Arianae sectae strenue restiterat, ab imperatore Constantio exul in Phrygiam mitteretur. Exactis ibidem quatuor annis, denique ad sedem suam reversus, non tantum in Gallia haeresi Arianae ubique grassanti fortiter restitit, sed etiam in Italia, vicinisque regionibus pro fide catholica egregie militavit. Obiit a. 367. Scripta S. Hilarii celebriora sunt: 1. Commentarii in Psalmos et Matthaeum; 2. Libri duodecim de Trinitate; 3. Liber de Synodis, sive de fide Orientalium; 4. Responsa apologetica ad reprehensores superioris libri; 5. Libri duo ad Constantium Imperatorem; 6. Liber contra Constantium; 7. Liber contra Auxentium, etc.

S. Ambrosius, Augustae Trevirorum anno circiter 340 natus, Praefecti Praetoris Galliarum filius, eximiis ingenii pariter ac mentis virtutibus ornatus, literis humanis et liberalibus perpolitus, primum causarum forensium patronus, deinde Liguriae et Æmiliae Praefectus, quo munere dum fungeretur, anno 374 ab imperatore Valentiniano Mediolanum accersitus ubi mortuo Auxentio Ariano, non sine turbis novi Episcopi fiebat electio, audita subito in coetu medio infantis voce: Ambrosium Episcopum, invitus licet et nondum baptizatus, concordibus suffragiis ad Episcopi Mediolanensis dignitatem promotus fuit. Qua ornatus dignitate haud quidquam neglexit eorum quae ad rectam muneris administrationem, et ad salutem Ecclesiae catholicae pertinebant. Recte fidei cultor eximius, durae ac poenitentis vitae mire studiosus, litterarum sanctiorum amantissimus, pauperum miseriis sublevandis impigre intentus, jam haereticos complures, in primis Arianos, Jovinianos, Apollinaristas imperterrite oppugnavit, jam Symmachum Romae Praefectum, gentilium sacra instaurare volentem ad incitas redegit, jam Theodosium imperatorem, qui reaedificationem synagogae, a Christianis in Mesopotamia eversae, loci Episcopo praeceperat, ad sententiam mutandam permovit, jam eundem Imperatorem, qui vehementem civium Thessalonicensium tumultum ulturus, popu-

lum in theatro congregatum citra omnem expectationem trucidari jusserat, non tantum scriptis ad eum literis redarguit, sed etiam, cum templum Mediolanense intrare vellet, ab aditu aedis sacrae prohibuit, et sacrorum communione exclusit, peractaque publica poenitentia, post octo demum menses vinculis solvit. Neque silentio est praetereundum, quod Augustinum ab erroribus Manichaeorum ad rectum fidei tramitem revocaverit, quod suaviorum, ac prius extiterit, cantus ecclesiastici modulationem invexerit, vitam monasticam in Occidente promoverit, et capitis supplicium de Priscilliano haeretico sumptum improbaverit. Ad superos evolavit anno 397. — Scripta S. Ambrosii germana eo ordine enumerare animus est, quo in editione monachorum Benedictinorum continentur. Absolvitur ista duobus tomis, quorum priori continentur: 1. Hexameron libri sex; 2. Liber de Paradiso; 3. Libri de Caino et Abele, de Noe et arca, de Abrahamo, de Isaaco et anima, de Jacobo et vita beata, de Josepho Patriarcha, de benedictionibus Patriarcharum, de Elia et jejunio, de Nabotho, de Tobia; 4. De interpellatione Job et David; 5. Duae Apologiae Prophetae Davidis; 6. Enarrationes in Psalmos XII; 7. Expositio in Psalmum CXVIII; 8. Expositio Evangelii secundum Lucam libris decem comprehensa. — Posterior tomus continet: 1. Libros tres de officiis ministrorum; 2. Libros tres de virginibus ad Marcellinam sororem. 3. Librum de viduis; 4. Librum de virginitate; 5. Librum de institutione virginis; 6. Exhortationem ad virginitatem; 7. De lapsu virginis consecratae; 8. De mysteriis; 9. De Sacramentis libros VI. 10. Libros duos de poenitentia; 11. Libros quinque de fide; 12. Libros tres de Spiritu Sancto; 13. Librum de Incarnationis dominicae Sacramento; 14. Fragmentum Ambrosianum ex Theodoreto desumptum; 15. Epistolas; 16. Libros duos de excessu fratris Satyri; 17. De obitu Theodosii orationem, et hymnos aliquos. De variis libris in appendice contentis gravis oritur suspicio, quod non sint vere Ambrosiani.

Inter Scriptores latinos hujus aetatis sydus vere lucidissimum fuit Hieronymus anno circiter 330 in oppido Stridonis, quod in Dalmatiae et Pannoniae confinio olim situm erat, christianis parentibus natus, vir longe doctissimus, linguarum graecae, latinae et hebraicae gnarus, qui varia ingressus itinera, Gallias perlustravit, aliquandiu Treviris substitit, hinc Aquilejam petiit, et cum Rufino presbytero singulare amicitiae foedus iniit; per Dalmatiam porro, Thraciam, variasque Asiae provincias profectus, Antiochiam venit. Quum in solitudine Syriae quatuor annorum spatio vitam anachore-

ticam vixisset, et a Paulino Antiochiae Episcopo Presbyter ordinatus fuisset, an. 382 iter Romam fecit, ibique per tres annos apud Paulam nobilem ac piam matronam commoratus, tantam sibi existimationem comparavit, ut a Damaso Pontifice epistolis conscribendis praeficeretur, et a tota plebe, sacrique ordinis viris summi haberetur. Verum mortuo Damaso, odium et calumnias Sacerdotum, quorum luxum et vitia acerbe perstrinxerat, misere expertus, Roma discessit, et in Orientem transfretavit, ubi perlustratis Palestinae sanctis locis, et Aegypti monasteriis, reliquam denique vitam in secessu Bethlemitico, inter continua pietatis, ac poenitentiae, nec non literarum exercitia peregit. Mortuus anno 420 admodum senex scripta ab eo relicta in tres classes distribui possunt, in biblica, polemica et historica. Ad biblica pertinent: Liber de situ et nomine locorum hebraicorum; liber quaestionum hebraicarum in Genesim; commentarii, quibus plures libros sacros illustravit. Praeter haec opera S. Hieronymus etiam plerosque libros sacros ex hebraico in latinum sermonem transtulit, eisque sicut et commentariis suis prologos et praefationes addidit. — Ad polemica spectant: Libri duo de virginitate adversus Jovinianum; apologia adversus Jovinianum ad Pamachium; epistola apologetica ad Domnionem; liber adversus Vigilantium, liber adversus Helvidium de perpetua virginitate Mariae, dialogus adversus Luciferianos; epistola ad Pamachium adversus haereses Joannis; epistola adversus eundem Joannem; epistola ad Pamachium et Oceanum de erroribus Origenis; libri tres adversus Rufinum; epistola ad Ctesiphontem; libri tres dialogorum adversus Pelagianos. — Scripta S. Hieronymi historica sunt: 1. Vitae Pauli Eremitae, Hilarionis et Malchi monachi; 2. Liber de viris illustribus sive de scriptoribus ecclesiasticis, in quo de 135 scriptoribus inde a Petro Apostolo, usque ad ipsum Hieronymum, notitiae ad eorum vitam et scripta pertinentes afferuntur; 3. Epistolae multae, quae vel exegetici, vel polemici, vel alii argumenti sunt.

Aliud Ecclesiae sydus Aurelius Augustinus, Tagastae in Numidia, Patricio patre ethnico, et Monica matre christiana anno 354 natus, variis doctrinis, praecipue artis oratoriae imbutus, nec in literis graecis hospes, verum pravis cupiditatibus adolescentulus adhuc ita indulgens, ut concubina uteretur Melania, ex eaque filium susciperet Adeodatum. Patre suo orbatus, ad flagitiosam Manichaeorum sectam transiit, aliosque viros sibi amicos, uti Alypium, Honoratum etc. in eumdem secum abyssum praecipitavit, in numero tamen auditorum semper permanens, nec ad electorum ordinem umquam ascendens. Interea temporis aliis erudiendis operam suam ad-

dicens, in primis eloquentiae praecepta tradidit, non solum Carthagine ac Romae, sed etiam Mediolani, ubi magistri rethoricae munus gessit. Ibi, quum S. Ambrosii orationes sacras saepe audivisset, veritates sanctiores, quas ille proposuit, ejusmodi vim coelestem prodiderunt, ut sectae Manichaeorum valedicere secum constitueret. Verum animo adhuc fluctuans, quum in hortulo jaceret sub ficu vitaeque anteactae dolore fractus preces lacrymabundus ad Deum funderet, providentia divina per singularem gratiam illius conversionem effecit. Audita enim identidem de vicina domo, quasi pueri cantantis voce: tolle, lege; tolle, lege; statim sese attollens, sacrumque evolvendo codicem in divinum incidit Pauli *(a)* effatum: quo attente perlecto, tantam illius vim intimo in corde sensit, ut a tenebris ereptus, salutarem Christi fidem ac disciplinam amplecteretur, ipseque annum agens trigesimum tertium cum Adeodato sacro de baptismi fonte renasceretur anno 386. Post mortem matris Monicae Augustinus in Africam reversus, trium annorum spatio in fundo paterno literarum studiis ac pietatis exercitiis vacavit. Inde profectus Hipponem Numidiae urbem, tanta mox sanctitatis laude inclaruit, ut an. 391 unanimi populi consensu a Valerio Episcopo non solum Presbyter hujus Ecclesiae ordinaretur, verum etiam in rebus sacris gubernandis ipsi adjungeretur socius et adjutor, demum anno 395 ad Episcopi Hipponensis dignitatem eveheretur. Usque ad mortem an. 430 secutam, invicta constantia pro fide catholica pugnavit contra Donatistas, Pelagianos et Manichaeos.

Scripta ejus celebriora sunt: 1. Confessionum libri XIII. 2. Retractationum libri duo, quos sub ultimam vitae suae partem composuit; 3. De civitate Dei libri XXII, opus vere egregium, quod eruditam christianae Religionis adversus Ethnicos defensionem complectitur; 4. Liber de catechizandis rudibus; 5. De doctrina christiana libri IV, quibus de ratione Scripturam explicandi praecipit, in ultimo autem oratorem sacrum instruit; 6. De Trinitate libri XV.; 7. Liber de natura et gratia contra Pelagium; 8. De gratia Christi et de peccato originali libri duo contra Pelagium et Caelestium; 9. Enchiridion ad Laurentium, sive de fide, spe et charitate liber, summam quamdam doctrinae christianae paucis complectens; 10. De haeresibus libri V; 11. Scripta polemica adversus Manichaeos, Donatistas, Pelagianos, Semipelagianos, Arianos, Priscillianistas, Origenianos et alios, quae sunt perenne monumentum, quanta excelluerit disputandi arte; 12. Enarrationes in

(a) Rom. 12. 13. 14.

omnes Psalmos ; 13. De consensu Evangelistarum Libri 4 ; 14. Sermones sacri et homiliae plurimae. Omnia ejus scripta 10 Tomos in folio implent.

Philastrius gentis incertae, veritatis catholicae tuendae adeo studiosus, ut ordini Presbyterorum adscriptus, omnem peragraret orbem, et contra paganos, Judaeos ac haereticos, in primis Arianos dimicaret, magnis eapropter, variisque persecutionibus obnoxius. Mediolani Maxentio urbis Episcopo Ariano imperterrite restitit, Romae autem multos publica et privata disputatione fide catholica imbuit. Demum ab anno 380 Ecclesiae Brixiensis sacris gubernandis praefectus, in agro Christi multo adhuc laetiorem fecit messem, S. Ambrosio maxime familiaris. Quo tempore ex hac vita discesserit, haud perspicue patet. Reliquit librum de haeresibus. Eidem praeterea tribuitur latina interpretatio epistolae Barnabae, qua Philastrii nomen praesefert in manuscripto Corbejensi.

Rufinus Toranus, ortu forte Aquilejensis, vir Graecarum ac Romanarum literarum peritissimus, monasticae vitae aliquandiu sectator, qui varia et longiora fecit itinera, praesertim in regiones Orientis; verum inde in Italiam reversus, quum Romae ex graeco in latinum verteret Origenis Apologiam, ejusque libros περιάρχων, in graves cum S. Hieronymo inimicitias incidit, Aquilejae postea Presbyteratus ordine insignitus, et propter assiduam Origenis defensionem, Anastasii Pontificis indignationem, ac censuram expertus. Aquileja vero ab Alarico devastata, in Siciliam profugit, ibique fatis cessit. Rufinus non tantum varios graecorum libros latine reddidit; uti recognitionum libros X. sub Clementis Romani nomine in lucem editos, Apologiam Origenis, bujus libros περιάρχων, Josephi libros antiquitatum judaicarum, et de bello judaico, duos libros contra Appionem et Eusebii historiam ecclesiasticam; sed etiam proprii ingenii monumenta reliquit, inter quae eminent: Expositio symboli ad Laurentium Episcopum, commentaria in plures S. Scripturae libros, et Apologia pro se ad Anastasium Papam.

Paulinus Nolanus patria Burdigalensis, illustri stemmate ortus circa an. 353, oratoria et poetica facultate celeberrimus, qui uxoris aliorumque hortationibus incitatus, Christo nomen dedit, animumque ad Scripturae divinae intelligentiam ac sanctioris vitae exercitationem contulit. Ut autem, quae ad cultum veri Dei pertinent, laetiori cum successu perageret, in Hispaniam se recepit, abdicatisque omnibus suis bonis, primum vitam monasticam amplexus, deinde in Presbyterorum ordinem adscriptus est. Quum ibi per quosdam annos commoratus esset, in Italiam rediit, Romam et No-

lam venit, hicque Episcopi dignitate ornatus anno circiter 409 pietatis et virtutis splendore emicans. Mors ejus refertur ad annum Christi 431. Reliquit nobis S. Paulinus epistolas 41 et poemata 30, in quibus eminent carmina in natalem S. Felicis.

Martinus vulgo Turonensis, Sabariae in Pannonia, ethnicis parentibus natus primum in Constantii et Juliani exercitu miles, anno aetatis 18 baptizatus, qui cum per aliquot adhuc annos stipendia in bello meruisset, relicto militari vitae genere, S. Hilarium Pictaviensem adiit, in Illyrico Arianis restitit, Mediolani aliquandiu substitit, inde vero injuriis ab Auxentio Ariano sibi illatis discedere coactus, ad insulam Gallinariam se contulit. Resciens tamen, S. Hilarium de exilio reductum esse, eum altera vice adiit, et in vicinia oppidi monasterium extrui curavit. Evectus postmodum postulante plebe ad Episcopatum Ecclesiae Turonensis, omnes jam curas et operas suas in eo fixit, ut sublimi vocationi suae satisfaceret, et christianae Religionis incrementa egregie promoveret. De anno, quo ejus mors contigerit, sententiae scriptorum discrepant. Extat sub nomine S. Martini professio fidei de Trinitate.

Iis, quos hactenus recensuimus, nunc subjunguntur Scriptores minoris famae et nominis, vel quorum pauca habemus monumenta. In iis autem locum tenent: Julius et Liberius RR. Pontifices, Eusebius Vercellensis, Osius Cordubensis, Zeno Veronensis, Aurelius Carthaginensis, Vigilius Tridentinus, Anastasius Papa, et alii.

§. 3. *Scriptores saeculi V. graeci.*

Cyrillus Alexandrinus, Theophili nepos, ejusque in Alexandrina sede successor (413) vir doctrina multiplici, zeloque pro fide catholica invicto nobilis, haereticorum, in primis Nestorianorum impugnator acerrimus, Concilii Ephesini Coelestini I. Pontificis nomine praeses. Mortuus est anno 444. Ex ejus scriptis homileticis, exegeticis, dogmaticis et polemicis memorari merentur: 1. Tractatus de Trinitate; 2. Novem dialogi de Trinitate et Incarnatione; 3. Plures alii Tractatus de Incarnatione contra Nestorium; 4. Decem libri contra Julianum Apostatam; 5. Libri 17 de adoratione Dei in spiritu et veritate; 6. Commentarii in Pentateuchum et Evangelium S. Joannis.

Synesius Pentapolitanus, cultu primum gentilis, philosophiae Platonicae addictus, Hypatiae celeberrimae, quae philosophiam docebat Alexandriae, discipulus, nec in politicis peregrinus, deinde ad sacra christiana conversus, et a civibus

Ptolamaidis Episcopus postulatus anno 410, cujus orationes et epistolae miram quamdam cogitationum et sublimium considerationum moralium, piarumque veritatem exhibent, et jocos hinc inde acutissimos inspersos habent.

Isidorus Pelusiota, ortu Aegyptius, monasterii Pelusiani monachus, imo Abbas, S. Joannis Chrysostomi discipulus, ejusdemque contra Theophilum Alexandrinum strenuus vindex, vitae austerioris sectator, idemque Presbyter, Theodosio regnante florens, cui meritae sane laudi vertitur, quod S. Scripturas a plerisque neglectas diligentissime versaverit, haereticorum conatibus constanter restiterit, pacis et concordiae studiosissimus fuerit. Mortuus post annum 431. — Supersunt auctoris hujus libri V. Epistolarum, quibus innumeri continentur loci communes Theologiae solide expositi, summaque vitae christianae et spiritualis principia.

Theodoretus, patria Antiochenus, a prima pueritia inter solitarios educatus, Cyri in Syria Episcopus factus, qui orto inter Joannem Antiochenum et S. Cyrillum Alexandrinum dissidio, adversus duodecim Cyrilli anathematismos scripsit, et cum Joanne, aliisque Orientalibus in clandestinum consensum abiit, ut adeo in haereseos Nestorianae suspicionem incideret. Theodoreti scripta sunt: 1. Historia ecclesiastica libris X deducta; 2. Liber de fabulis haereticis; 3. Commentarii in plures libros divinos; 4. Liber de curandis Graecorum affectionibus; 5. Orationes de providentia.

Palladius, gente Galata, vitae asceticae fautor insignis, et Episcopus Hellenopolitanus scripsit: 1. Vitam et Historiam S. Joannis Chrysostomi; 2. Historiam Lausiacam, sic dictam a Lauso imperatoris cubiculario, cui librum dedicavit.

§. 4. *Scriptores latini saeculi V.*

Scriptores plures, virosque illustres tulit Ecclesia latina, inter quos, ut de Sulpitio Severo, et de Paulo Orosio alia jam occasione recensitis taceam, sunt:

Aurelius Prudentius Clemens, patria Hispanus, anno circiter 348 Caesaraugustae natus, vir laicus, et in sacra poesi exercitatissimus, qui plura exaravit scripta vel in SS. Martyrum laudes, vel in quotidianae devotionis usum vel denique ad alias Religionis res illustrandas. Huc v. g. referiur 1. ejus liber de coronis, in quo SS. Martyrum certamina et victoriae describuntur; 2. Liber de origine peccati.

Joannes Cassianus inter annum 350-360 forte in Thracia natus, a pueritia in quodam monasterio Bethlemitico educatus, vitaeque solitariae adeo studiosus, ut per plures annos

eremum Scyticam, et monasteria in montanis Nitriensibus perlustraret, et cum SS. Patribus crebra de rebus asceticis colloquia misceret. Inde Constantinopolim profectus, a S. Joanne Chrysostomo praeceptore suo, in ordinem Diaconorum adscriptus est. Anno 403 suscepta ad Innocentium I. legatione, ut sui praeceptoris expulsionem illi significaret, ad dignitatem Presbyteri evectus est; verum capta per Alaricum Roma, anno circiter 410 in Gallias transiit, ubi extructis duobus monasteriis vitam monasticam insigniter promovit. Mortuus est inter annum 435-448. — Erat oppido ex illis, qui saeculo V placita Semipelagiana passim commendarent et propagarent. — Multa extant Cassiani scripta tum ascetica, tum polemica, e quibus potiorem attentionem merentur: 1. Libri XII. de institutis coenobiorum; et 2. Collationes patrum in Scythica eremo commorantium.

Marius Mercator, homo laicus, literarum graecarum et latinarum valde peritus, S. Augustino familiaris, qui an. 419 Theodosio commonitorium obtulit, contra Coelestium librum subnotationum adversus Julianum Pelagianum Ephesini Concilii tempore scripsit, Nestorii sermones et epistolas nonnullas, Theodori Mopsuesteni fragmenta, S. Cyrilli Apologetica adversus Orientales et Theodoretum, nec non varia ex libris ejusdem Theodori excerpta ex Graeco in Latinum transtulit.

Hilarius Arelatensis, patria Gallus, splendore natalium conspicuus, ingenio et eloquentia clarissimus, in coenobio primum Lirinensi sub S. Honorato monachus, deinde ad Episcopatum Arelatensem promotus, in praedicatione verbi Dei indefessus, erga pauperes et captivos beneficentissimus. Obiit a. 449. Ejus opera sunt: 1. Vita S. Honorati Arelatensis Episcopi; 2. Homilia pro totius anni festivitatibus; 3. Expositio symboli; 4. Epistolarum ingens numerus; 5. Nonnulla etiam carmina.

S. Leo I. seu Magnus, patria Romanus, vir insignibus naturae et ingenii dotibus praeditus, ac propterea ad summi Pontificis dignitatem evectus a. 440, qui Vicariatum Ecclesiae Romanae in Illyrico strenue ursit, litem de limitibus dioecesium et jurium Metropoliticorum, inter Episcopos Arelatensem et Viennensem agitatam, decidit, ab imperatore Valentiniano III. legem obtinuit, quae totam Ecclesiam Gallicanam Sedis Romanae jurisdictioni subjecit, Manichaeos, habita a. 443 Romae Synodo, urbe exterminavit, adversus Pelagianos decertavit, haeresim Eutychianam, missa ad Flavianum dogmatica epistola, oppugnavit, residuosque Priscillianistas in Hispania grassantes contrivit, datis ad Turribium Asturicensem Episcopum literis. Nec Ecclesiae tantum, verum etiam rei-

publicae saluti prospexit. Quum enim Attila Roma immineret, Leo Magnus a Valentiniano rogatus, ei obviam processit, ejusque barbaram ferociam venerabili aspectu et eloquentiae pondere ita fregit, ut pacem lubens reciperet, et ex Italia egrederetur. Nec satis, a Genserico Vandalorum rege, urbem improviso ingrediente, obtinuit, ut igne et ferro, quo civitatem delere parabat, abstineret, sola direptione contentus. Ejus mors vulgo refertur ad an. 469. — Ex scriptis S. Leonis M. commemorari merentur: 1. Multae homiliae et sermones; 2. Epistolae, historiam Ecclesiae hoc aevo praeclare illustrantes; 3. Libellus de communicatione idiomatum ad Flavianum directus.

S. Prosper, patria Aquitanus, doctrinae S. Augustini acerrimus in Galliis defensor, Leoni M. Pontificis aliquandiu a secretioribus epistolis, Semipelagianis Massiliensibus refutandis impigre intentus, qui contra S. Augustini obtrectatores opera vere egregia edidit. — Mortuus est a. 451. — Scripta autem S. Prosperi Aquitani nomine insignita sunt: 1. Carmen de ingratis; 2. Responsiones ad capitula Gallorum calumniantium: 3. Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum; 4. Liber contra collatorem, i. e. Joannem Cassianum; 5. Chronicon integrum.

Vincentius Lirinensis, post gesta munera civilia monachus et Presbyter monasterii in Lirino insula prope Massiliam, unde cognomen accepit, reliquit Commonitorium adversus haereticos, sub nomine Peregrini editum, parvum mole, sed magnum pretio, in quo traditionis necessitas, et usus agnoscendarum rejiciendarumque haeresum docetur. Fatis cessit circa annum 450.

Salvianus, Presbyter Massiliensis, divina et humana literatura instructus, Magister Episcoporum vulgo dictus, licet ipse non fuerit Episcopus. Scripsit: 1. Libros VIII. de gubernatione Dei; 2. Libros IV. adversus avaritiam; 3. Epistolas IX. — Obiit anno circiter 485.

Gennadius Ecclesiae Massiliensis Presbyter, homo Semipelagianus, scripsit: 1. Librum de viris illustribus, seu de Scriptoribus ecclesiasticis; 2. Librum de ecclesiasticis dogmatibus. Mortuus anno circiter 495.

Praeter hos et plures alii inclaruerunt; uti: Claudianus Mamertus, Sidonius Apollinaris, Innocentius I. et Zosimus Pontifices, Paulinus clericus Mediolanensis, Maximus Taurinensis, Bonifacius, Coelestinus, Gelasius Pontifices, Remigius Episcopus Rhemensis etc.

§. 5. *Scriptores graeci saeculi VI.*

Procopius Gazae in Palaestina ortus, ideoque Gazaeus cognominatus, rhetor, non confundendus cum Procopio Caesareensi, belli Persici, Vandalici, Gothici, nec non historiae arcanae scriptor, sub Justino Thrace imperatore florens, posteritati reliquit: 1. Commentarium in Octotenchum, seu priores octo libros V. T.; 2. Commentarium in Isaiam Prophetam; 3. Epistolas 60.

Eulogius Alexandrinus Patriarcha, S. Gregorio coaevus et amicissimus, haud vulgari haereticos confutandi fervore accensus, cui debentur: 1. Libri V. contra Novatianos; 2. Libri duo contra Severum et Timotheum haereticos; 3. Liber contra Theodosium et Severum; 4. Invectiva oratio contra Acephalos; 5. Orationes undecim.

Joannes Jejunator, gente Cappadox, ab anno 585. Patriarcha Constantinopolitanus, qui Patriarchae Oecumenici nomen usurpavit. Mortuus est an. 595. — Inter illius scripta eminent: 1. Homilia de poenitentia; 2. Poenitentialis canon, cujus nimiam indulgentiam Graeci ad severiorem disciplinam proniores improbarunt.

Anastasius Sinaita, sic dictus a loco habitationis monasticae in monte Sina, vir in divinis literis admodum eruditus et exemplaris, propterea Antistes Antiochenus electus anno circiter 561, imperante Justiniano, cui absurdum dogma de Christi corpore incorruptibili ante resurrectionem defendenti obstitit, a Justiniano Juniore praemii loco in exilium actus, et nonnisi post 23 annos in integrum restitutus. Obitus illius vulgo refertur ad a. 595. — Ex Anastasii scriptis hodiedum extant: 1. Orationes quinque de nostris rectis dogmatibus veritatis; 2. Sermones tres; duo nempe in Annuntiatione Deiparae Virginis, et unus in Transfiguratione D. N. J. Christi.

His accedunt Agapetus Diaconus Constantinopolitanus, Zacharias Episcopus Mitylenes, Theodorus Episcopus Scythopolitanus, Gregorius Praesul Antiochenus, Dorotheus Archimandrita, Leontius Byzantinus seu Hierosolymitanus, et plures alii.

§. 6. *Scriptores latini saeculi VI.*

Magnus Felix Ennodius, ortu Arelatensis, Ticinensis primum Ecclesiae Diaconus, deinde ab anno 490 Episcopus vir spectatissimae virtutis et constantiae, qui Symmachi et Synodi Palmaris causam contra schismaticos calumniatores egregie defendit, Hormisdae vero Papae duplici legatione ad Anastasium imperatorem functus, lites Orientalium et Occidentalium

componere frustra laboravit, multas pro fidei catholicae veritate passus molestias. Obiit a. 521. Auctor est libelli Apologetici, a Synodo Romana approbati, cui praeterea accedunt epistolarum libri novem, et varia opuscula edita a doctissimo Sirmondo.

Boethius, vir illustri stemmate ortus, pietatis et eruditionis amantissimus, qui Atheniensium scholas frequentans, scientiis, artibusque ingenuis adeo solertem operam dicavit, ut eruditorum aevi sui facile agnosceretur princeps. Redux inde, anno 487 sub Theodorico rege Italiae, primum Consul, deinde Magister palatii et sacrorum officiorum est factus: verum conjurationis cum Justino imperatori adversus Ostrogothos initae ab adversariis accusatus, Theodorici jussu Papiae in carcerem detrusus et capite minutus est an. 524. — E scriptis ejus palmam sibi vindicant Libri V. de consolatione philosophiae, mediis in carceris squalloribus scripti, omniumque aetatum plausu excepti. Idem porro plures Graecorum libros philosophicos, Aristotelis maxime dialecticos Latio donavit; de duabus naturis et una persona Christi, de Trinitate, de Arithmetica, Musica, Geometria, etc. scripsit.

S. Fulgentius a. 468 in Africa natus, Senatoria familia, graecis latinisque literis a teneris imbutus, vitae primum monasticae sectator, suique monasterii Abbas, deinde Episcopus Ruspensis creatus a. 508, quo munere dum fungeretur, agentibus Arianis jussu Trasamundi Vandalorum regis cum aliis Africae Episcopis in Sardiniam deportatus est, unde postea decreto Hilderici ad sedem suam revocatus, vixit usque ad annum 530. Praedicatur vulgo saeculi sui Augustinus, quod Pelagianorum et Semipelagianorum errores solide refutaverit. Inter ejus scripta haec celebrantur: 1. Libri III. ad Maximum laicum; 2. Liber contra decem objectiones Arianorum; 3. Liber ad Donatum de fide orthodoxa, et diversis haereticorum erroribus; 4. Variae epistolae, aliae morales, aliae dogmaticae etc.

Dionysius exiguus, forte a pusilla corporis statura sic dictus, natione Scytha, literarum graecarum et latinarum doctissimus, et Abbas Romanus, ab ineunte saeculo VI. ad annum circiter 550 florens, ex Chronologiae studio praecipue celebris, qui Cyclum paschalem 95 annorum, et ab a. 525 incipientem invenit, aeram christianam invexit, Dionysiacam vulgo dictam, canones ecclesiasticos et Pontificum epistolas decretales collegit, pluresque versiones adornavit.

Caesarius, ortu Cabillonensis, jamque a teneris tanto virtutis amore inflammatus, ut ingentes divitias suas pauperibus erogaret, ut semetipsum disciplinae monasticae totum

addiceret. Adscriptus postea ab Episcopo Arelatensi in Clerum, et Presbyter ordinatus, ex ejusdem Praesulis voluntate monasterio Lirinensi Abbas praefuit, donec in Episcopali dignitate illi successit a. 502. Sedulus licet verbi divini praeco, tenerrimusque aegrotorum ac pauperum pater, variis tamen asperis fatis exercitus fuit, apud Alaricum Gothorum regem, et Theodoricum Ostrogothorum in Italia principem in suspicionem proditionis adductus, e quo periculo, adjuvante Deo, salvus discessit. In Synodo Arausicana II. an. 519 habita, Praeses ipse Semipelagianismum contrivit. Romam venienti Symmachus Papa pallium, ejusque Diaconis vestem concessit Dalmaticam. In doctrina S. Augustini usque adeo studiosus fuit, ut Faustum Rejensem publico etiam scripto: de gratia et libero arbitrio, quod tamen intercidit, refutaverit. Obiit meritis plenus a. 546. — Ejus extant: 1. Variae homiliae, quarum tamen nonnullae ejus nomini suppositae sunt; 2. Plures epistolae; 3. Duplex regula, una ad monachos, altera ad virgines.

S. Benedictus, Nursiae in Umbria natus anno forte 480; vir immortalis memoriae, qui in monte Cassino Ordinis toto orbe celeberrimi fundamenta posuit, addita etiam Regula singulari et nova, quae plurima complectitur morum praecepta vere egregia.

M. Aurelius Cassiodorus, anno circiter 470 Syllacii in Italia illustri familia natus, amplissimisque sub Theodorico et Athalarico Gothorum regibus, Italiaeque tunc Dominis, muneribus functus. Annum agens fere septuagesimum, monasterium ingressus est, in extremis Calabriae finibus a se extructum, ibidemque studia sacra et profana assiduo labore continuavit. Auctor est: 1. Historiae tripartitae latinae ex Sozomeno, Socrate et Theodoreto collectae; 2. Variorum in S. Scripturas commentariorum; 3. Institutionum ad divinas lectiones.

Liberatus, Ecclesiae Carthaginensis Diaconus, scripsit historiam controversiarum Nestorianae et Eutychianae, cui Breviarii nomen indidit post annum 564.

Gregorius vulgo Turonensis, patria Avernus, ex monacho Episcopus Turonensis, disputationes habuit cum duobus Arianis, et cum rege Chilperico in Sabellianismum lapso. Ex ejus scriptis memorari merentur: 1. Libri X historiae ecclesiae Francorum, quae ab initio mundi ad conditam usque Francorum Monarchiam brevissime, deinde copiose ad annum Childeberti regis decimum sextum, Gunthrami trigesimum est perducta; 2. Libri VII Miraculorum, seu duo de Gloria Martyrum, quatuor de miraculis S. Martini, et unus de Gloria

Confessorum, in quibus auctor sibi praefigit scopum, mirabilia Dei in Sanctis suis observandi; 3. Liber de vitis Patrum.

S. Gregorius I. Magnus cognominatus, Senatorii generis, prius Urbis Romae Praefectus, deinde vero fundator plurium monasteriorum; quorum uni et ipse se mancipavit. Mortuo Pelagio invitus licet, ad Pontificatum evectus est a. 590. In sede Petri collocatus, tota illius cura et solicitudo eo tendebat, ut trium Capitulorum defensores ad Ecclesiae unitatem revocaret, Anglorum conversionem perficeret, Joannis Jejunatoris superbiam sanaret, simoniam in Germania et Gallia extirparet, viduis, pupillis, omnisque generis pauperibus blande prospiceret, disciplinam Clericorum tueretur, ecclesiasticorum Officiorum ordinem meliorem in formam redigeret, editisque scriptis, Christianos in omne aevum institueret et aedificaret. Tandem immensis perfunctus, confectusque laboribus, ad vitam immortalem migravit anno salutis 604. — E multis S. Gregorii scriptis hic memorare sufficiat: 1. Illius Regulas pastorales; 2. Moralia in Jobum, concionatoribus, animarumque directoribus vere utilia; 3. Libros IV. dialogorum; 4. Plurimas homilias, v. g. XL. in Evangelia, XXII. in Ezechielem; 5. Epistolas valdę multas, etc.

Praeter hos haud ignobile sibi fecerunt nomen: Leo Episcopus Senonensis, Rusticus Diaconus Romanus, Junilius in Africa Praesul, Martinus Braccarensis, Columbanus, etc.

§. 7. *Scriptores saeculi VII. graeci.*

Joannes Moscus, monachus Palaestinus, idemque Presbyter, initio saeculi VII. florens, cui tamquam auctori tribuitur opus inscriptum: Pratum spirituale, in quo sanctorum monachorum gesta, apophtegmata, miracula insignia narrantur.

Sophronius, Joannis Moschi discipulus, simplex primum monachus, deinde Praesul Hierosolymitanus, Monothelitarum primus et princeps adversarius, qui occupationem urbis Hierosolymitanae per Saracenos ipse vidit. Mortuus anno 606. Tribuuntur illi: 1. Synodica ad Honorium Papam epistola; 2. Orationes aliquae; et 3. Vita S. Mariae Ægyptiacae.

Joannes Philiponus, natione Alexandrinus, a studiorum assiduitate sic dictus, qui philosophiam Aristotelicam ad mysteria fidei sinistre applicans in absurdas loquendi formulas de tribus naturis in Divinitate, etc. incidit, unde et Tritheismi accusatus est. Scripsit libros VII. de creatione mundi, et disputationem de Paschate.

S. Maximus, genere nobilis, primum Proto-Secretarius imperatoris Heraclii, deinde Monachus et Abbas, celebris Theologus et philosophus, gloriosus Monothelitarum debellator, ob atroces persecutiones, quas sustinuit, ab Ecclesia martyris titulo honoratus est. Obiit in exilio anno 662. Illius scripta polemica et ascetica rei catholicae multum profuerunt.

Theodorus Raythuensis monasterii Presbyter, S. Maximo amore fideli junctus, qui librum de Incarnatione Christi scripsit contra haereticos dogmatis de persona Christi corruptores.

Neque praetereundi sunt Hesychius Patriarcha Constantinopolitanus, Anthiocus monachus Palaestinus in monasterio S. Sabae, Laura dicto, Olympiodorus Diaconus Alexandrinus, auctor Chronici Alexandrini seu Paschalis.

§. 8. *Scriptores Saeculi VII. Latini.*

S. Isidorus, Leandri fratris in Hispalensi Hispaniae Episcopatu successor, anno circiter 595 florens, vir multiplici eruditione philosophica et historica imbutus, cultus publici ac disciplinae ecclesiasticae restaurator diligens. — Posteritati reliquit: 1. Chronicon ab orbe condito usque ad annum 626. 2. Chronicon Gothorum, Vandalorum, Suevorum etc.; 3. Opusculum de Scriptoribus ecclesiasticis, in quo S. Hieronymi et Gennadii catalogos est prosequutus; 4. Libros XX. originum sive etimologiarum, Encyclopediae haud absimiles, et omnes scientias pertractantes; 5. Regulam in usum Coenobii Honoriani ab ipso fundati, quae summam in Hispania auctoritatem obtinuit.

S. Ildephonsus Hispalensis Isidori discipulus, Abbas primum regularis deinde ab an. 658 Ecclesiae Toletanae Archiepiscopus creatus, quam ille sedem novem annorum spatio tenuit, B. Virginis laudator devotissimus, ejusque intemeratae virginitatis defensor strenuus. Plura opera S. Ildephonsus reliquit, in quatuor partes divisa: Prima pars inter alia continebat tractatum de virginitate S. Mariae, qui solus hodie superest, et librum de proprietate divinarum personarum. Altera pars continebat Sermones; tertia Missas, hymnos et sermones; quarta opuscula poetica et prosaica. Idem S. Isidori catalogum virorum illustrium continuavit.

Fredegarius professione scholasticus, qui Chronicon exaravit 5 libris, a mundi primordiis usque ad annum 641, quod alii postmodum continuarunt usque ad an. 765. Idem quoque Epitomen Historiae Francorum a Gregorio Turonensi editae, adornavit.

Aldhelmus, primum Ordinis S. Benedicti Abbas, deinde Schireburnensis apud Saxones occidentales Episcopus, vir undequaque doctissimus, qui totus in eo erat, ut alios imbueret methodo carmina latina componendi. — E scriptis S. Aldhelmi commemorari merentur: 1. Liber contra errorem Brittonum, vel Pascha alio tempore celebrantium, vel paci ecclesiasticae contraria gerentium; 2. Liber de laudibus virginitatis, et versibus hexametris et prosa compositus; 3. Liber metricus de octo vitiis: 4. Aenigmata et epistolae quaedam.

§. 9. *Scriptores graeci saeculi VIII.*

Singularem esse hac aetate scriptorum ecclesiasticorum defectum, non mirabuntur, qui consideraverint, integros Patriarcatus, v. g. Hierosolimytanum, Antiochenum, Alexandrinum sub Saracenis periisse. Accedit praeterea, quod in Oriente omnis pene memoria, omnia fere acta et scripta inter perennes Iconoclastarum turbas fuerint deleta et suppressa. E paucis, quos saeculum VIII. in Graecia tulit, commemorari merentur:

Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus, veritatis catholicae adversus Iconomachos defensor acerrimus, qui impio Leonis Isauri, de abolendis ubique Imaginibus edicto subscribere nolens, vi manifesta e solio Patriarchico dejectus fuit anno 730. E scriptis S. Germani celebrantur plures epistolae, ad fidei doctrinam confirmandam scriptae; duo homiliae de S. Cruce; quinque orationes diversi argumenti.

S. Joannes Damascenus a patria sic dictus, nobilissimis in Syria parentibus circa an. 760 genitus, Calyphae Saracenorum primum consiliarius et minister, verum proditionis falso accusatus, abdicata dignitate sua, in Lauram S. Sabae quae erat in vicinia Hierosolymorum secessit, et a Joanne Hierosolymitano Patriarcha Presbyter ordinatus est. — Primus fuit inter Graecos S. Joannes Damascenus, qui systema aliquod Theologiae conderet in libris 4 de fide orthodoxa; quibus Theologiam universam methodo dialectica exposuit, sicque viam complanavit S. Thomae Aquinati, ad sacram doctrinam simili methodo tractandam. — Praeterea scripsit: 1. Librum de dialectica; 2. Orationem de duabus Christi voluntatibus, seu Parallela sacra; 3. Libellum de haeresibus.

Georgius Monachus et Abbas, syncellus Tharasii Patriarchae Constantinopolitani, vir eximius et eruditus, qui anno 792 Chronicon scripsit ab Adamo ad imperatoris Diocletiani tempora. Morte praeventus, coeptum opus ad propositum fi-

nem perducere non potuit. Laus ejus in Concilio Nicaeno II. reperitur.

Theophanes Georgius, illustri genere Constantinopoli ortus, mortuo patre Isaacio, amplissimarum facultatum haeres, nobili virgini, annos circiter 12 natus, matrimonio junctus, verum repudiata uxore, quam ad perpetuam continentiam servandam impulit, in Sigriano coenobio a se extructo, vitam monasticam amplexus, tanto sodalibus suis virtutum splendore praefulxit, ut totius familiae monasticae Abbas eligeretur. Qua in dignitate constitutus, fidem catholicam de sacrarum Imaginum cultu, adeo invicto confessus est animo, ut jussu imperatoris Leonis Armeni in carcerem primo detruderetur, deinde in Samotrhacem insulam deportaretur, ubi post 20 dies fatis cessit, sancti Confessoris honore propterea auctus. Scripsit Chronographiam ab anno Diocletiani primo, ubi Georgius Syncellus desierat, eamque ad annum secundum Michaelis et Theophilati imperatorum deduxit.

Tharasius ex Ministro Patriarcha Constantinopolitanus (a. 784), imperantibus Constantino et Irene, florens, vir in arduis negotiis valde exercitatus, cultuique sacrarum Imaginum stabiliendae impigre intentus, ex historia concilii Nicaeni II. notissimus, cujus director ipse, et, ut ita dicamus, anima fuit. Ejus Epistolae et apologeticus extant in actis concilii Nicaeni II.

§. 10. *Scriptores saeculi VIII. latini.*

Beda cognomento Venerabilis, in Britannia natus a. 672, jam in pueritia a parentibus traditus in disciplinam Benedictinorum monasterii Girvensis, in quorum instituto crevit et consenuit, omne vitae tempus pietatis exercitiis et literarum studiis consecrans. Quum omnes sodales suos et coevos eruditione superaret, gentisque suae vere decus esset, communi omnium fiducia et veneratione potitus, et ab ipso Sergio Pontifice Romam est invitatus, quod tamen iter, interveniente Pontificis morte haud suscepit. Mortuus est an. 735. — Multa composuit scripta, grammatico-philologica, philosophica, mathematica, historica, et theologica. Prae omnibus autem palmam sibi vindicat ejus historia ecclesiastica gentis Anglorum libris V. a primo Julii Caesaris in Britanniam adventu, usque ad an. 731 deducta. Huic porro accedit ejus Chronicon, seu de sex mundi aetatibus ab O. C. ad an. 726, etc.

Bonifacius, gente Anglo-Saxo, monachus, Germanorum Apostolus, idemque Archiepiscopus Moguntinus ac Fuldensis monasterii Abbas, scripsit epistolas ad Gregorium II, Grego-

rium III. et Zachariam summos Pontifices, nec non ad Proceres Francorum.

Paulus gente Lombardus, Varnefridi filius, a quo et cognomen traxit, Ecclesiae Aquilejensis Diaconus, Desiderio postremo Longobardorum regi a secretis, et cum principe suo a Carolo M. in captivitatem abductus a. 774. Verum ob suspicionem, nescio quam, relegatus, ad Ducem Beneventanum Desiderii generum ivit, tandemque in monasterio Cassinensi vitam suam clausit a. 779, in gratiam a Carolo rege receptus. Inter opera Pauli Diaconi eminent: 1. Historia miscellanea; 2. Historia Longobardorum VI. libris comprehensa, inde ab eorum origine usque ad mortem regis Luitprandi; 3. Homiliarium, jussu Caroli M. ex traditionibus Patrum collectum; 4. Plures Sanctorum vitae, epistolae etc.

Paulinus, ignobili genere ortus, primum agricola, deinde literarum, artiumque liberalium studiosus, successu tam eximio, ut a Carolo M. ad dignitatem Patriarchae Aquilejensis promoveretur anno circiter 794. — Scripsit: 1. Libellum de Ss. Trinitate, adversus Felicem et Elipandum; 2. Libros tres contra eumdem Felicem Urgelitanum.

Alcuinus, Anglus, Diaconus Eboracensis, literarum latinarum, graecarum et hebraicarum longe doctissimus, nec non eloquentiae, poeseos, philosophiae ac theologiae cognitioni plus quam vulgari imbutus, Carolo M. regi, qui eum in aulam suam accersiverat a. 781 familiarissimus, ejusque filiorum praeceptor, cui non solum pleraque Carolina in rebus ecclesiasticis accepta sunt ferenda, verum etiam, quiquid politioris literaturae isto et sequentibus saeculis Gallia ostendat. Is enim non contentus, scholam Palatinam moderari, etiam Turonensem, quam derelicta aula, ipse fundaverat, gubernandam suscepit, plurimosque informavit discipulos illustres, et eruditionis forma celebres. Demum mundi pertaesus, intra Turonensis coenobii septa vitam clausit a. 804. — E scriptis Alcuini potiorem attentionem merentur: 1. Ejus epistolae permultae quae historiae bujus temporis multum effundunt lucis; 2. Expositiones et commentaria in sacram Scripturam; 3. Liber de virtutibus et vitiis; 4. Libellus de anima etc.

Ambrosius Authpertus, natione Gallus, Ordinis Benedictini monachus, et Abbas monasterii S. Vincentii in Samnio siti, tempore Pauli Pontificis ac Desiderii Longobardorum regis florens, sacrarum maxime literarum peritus, mortuus an. 778. — Viro huic in primis in acceptis referuntur: 1. Libri X. in Apocalypsin S. Joannis; 2. Liber de conflictu vitiorum; 3. Vita beatorum Patrum Paldonis, Fatonis et Fasonis, monasterii S. Vincentii fundatorum; 4. Homiliae etiam nonnullae. Ut

nihil dicamus de illis expositionibus in alios sacrae scripturae libros.

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Religionis norma a Christianis agnita.*

Notitia fidei articulorum ab Ecclesia traditorum haurienda est cum ex scriptis doctorum ecclesiasticorum, tum ex symbolis hujus aetatis, quorum alia in Synodis, ut Nicaeno-Constantinopolitanum, alia a privatis, veluti Athanasianum, composita sunt, tum denique ex Conciliorum, quae supersunt, actis atque decretis.

De singulis doctrinae coelestis partibus praeclara et perspicua testimonia aetatis hujus Doctores ecclesiastici nobis exhibent. Sic de SS. *Litteris et Traditionibus* in stabilienda christiana doctrina unice sequendis, vere illustria extant aevi hujus documenta. Quantum sacrae Scripturae tum fuerit tributum, satis luculenter apparet ex eorum doctorum effatis, qui divinam illius originem et auctoritatem ex instituto vindicarunt. S. Athanasius utriusque Testamenti libros canonicos recensens, ad calcem subjungit: « Hi sunt fontes salutares, ex quibus sitiens haurire possit eloquia. In his solis pietatis schola beate annunciatur (*a*). » Scripturam sacram divinitus inspiratam esse, alio loco idem testatur, diserte scribens: « Omnis sive nova sive vetus scriptura numinis afflatu prodiit (*b*). » S. Basilius ait: « Stemus arbitratui inspiratae a Deo scripturae, et apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis credamus (*c*). » S. Joannes Chrysostomus praedicat « Scripturam sanctam exactam rerum omnium lancem, nec attendendum esse, dicit, quid hic aut ille sentiat, sed Scripturas sanctas consulendas (*d*). » Item et plures alii Ecclesiae Doctores pronunciarunt. Hinc etiam lectionem S. Scripturae omnibus utilem Doctores et Pastores hujus Periodi enixe commendarunt. Sic fideles ad legendos novi praesertim Testamenti sacros codices hortatus S. Chrysostomus his verbis: « Curae vobis sit evangelicas legere lectiones, domi frequenter repetere, sensum inquirere, annotare etc. (*e*).... Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad

(*a*) S. Athanas. ep. festalis 39. (*b*) S. Athanas. ep. ad Marcellinum. (*c*) S. Basil. ep. 50. (*d*) S. Chrys. hom. in 2. ep. ad Cor. (*e*) Homil. 2. in Joan.

sapientiorem, vade ad Doctorem (a).» Inde patet, populum in rebus difficilioribus ad Ecclesiae Doctores remissum fuisse.

Praeter scriptum Dei verbum Doctores hujus Periodi etiam verbum statuisse traditum, atque istud velut alteram fidei et Religionis christianae normam agnovisse, eorum scripta satis clare confirmant. E Patribus concilio Nicaeno coevis, S. Athanasius Arianos vocem ὁμουσιον repudiantes, ad *Ecclesiae fidem et Patrum traditionem* remittit (b). S. Basilius scribit: « Dogmata quae in Ecclesia servantur, ac praedicantur, partim ex conscripta doctrina habemus; partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio accepimus. Quae utraque ad pietatem eamdem vim habent, et nemo eis contradicit (c). » Eadem mens est S. Augustini scribentis: « Quod universa tenet Ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur (d). » — Duplicem fidei fontem statuit Vincentius Lirinensis, videlicet divinae legis auctoritatem et Ecclesiae catholicae traditionem, hujusque cognoscendi criterium sequens constituit: » id teneamus, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est (e). »

§. 2. *Doctrina de mysterio SS. Trinitatis.*

Tres in Deo personas esse, quae unam quidem, eamdemque numero divinitatem habent, inter se tamen realiter distinguuntur, non tantum acta conciliorum, in primis Nicaeni I. et Constantinopolitani I. editaque ab illis symbola, ac synodicae litterae contra divinae Triadis hostes, egregie confirmarunt, sed etiam Patres Ecclesiae diserte declararunt. Nullibi vero dogma Ss. Trinitatis luculentius et curatius invenitur expositum, quam in Symbolo S. Athanasio inscripto, cujus haec sunt verba: « Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est Divinitas, aequalis gloria, coaeterna Majestas, etc. (f). »

Inter testimonia de divinitate Christi hac aetate edita, princeps est, quod in Symbolo Nicaeno legimus. Ibi enim Christus praedicatur: « Filius Dei unigenitus, et ex Patre

(a) Hom. de Lazzaro. (b) L. de decretis Nicaen. fidei. (c) S. Basil. de Spiritu S. ad Amphiloch. c. 22. (d) S. Aug. l. 4. de Baptis. c. 24. (e) Vinc. Lirin. Commonitorii cc. 1. 2. 3. 4. (f) Greg. Nyss. l. 1. contra Eunomium.

natus ante omnia saecula: Deus de Deo, Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero: genitus non factus: consubstantialis Patri, per quem omnia facta sunt. » Duas in Christo naturas, post unionem, nec invicem commutatas et absorptas, nec inter se commixtas et confusas, neque ex iis per unionem quandam naturam conflatam fuisse, merito adversus Eutychem declararunt Patres Chalcedonenses in fidei professione, Act. 5. de duplici porro in Christo voluntate et operatione divina et humana, solemne habetur praescriptum Concilii Oecumenici VI. Act. 18. in fidei definitione adversus Monothelitas. — Divinitatis Spiritus Sancti, quam in primis Macedonius labefactare volebat, egregia facta est confessio in Concilio Constantinopolitano I. In eo symbolum Nicaenum auctum, et de Spiritu Sancto additum est, quod sit: « Dominus vivificans: ex Patre procedat: cum Patre et Filio adoretur et glorificetur: loquutus sit per Prophetas. »

§. 3. *De peccato originali et gratia Dei.*

Doctrina de peccato originis aetate hac multo diligentius et accuratius, quam antea, tradita est, ita, ut Doctores Ecclesiae non solum monstrarent, omnes homines ei obnoxios esse, sed illius quoque naturam et indolem explicarent. Eorum tamen nullos hoc majori studio praestitit, quam S. Augustinus, qui scriptis adversus Pelagianos multis libris, non solum docuit, peccato hoc omnes infectos esse, sed etiam monstravit, quale et quam grave vitium sit illud peccatum: quod eo infantes a prima sua origine sint corrupti, antequam actiones propriae voluntatis instituant: in quibus viribus hominis jam adulti malum illud iusit. Praeter Augustinum inter latinos Ecclesiae Doctores S. Hieronymus Pelagianis restitit, eaque tradidit, quae ad veram sanamque doctrinam de peccato originis pertinent (*a*). Accedit, quod Pelagii haeresis a diversis synodis, potissimum Africanis, et a Romanis Pontificibus Innocentio I., Zosimo, Bonifacio, Coelestino, Sixto, tandem a Concilio generali Ephesino proscripta fuerit (*b*).

Dogma de necessitate gratiae divinae, et libero arbitrio diligentius et accuratius, quam antea factum erat, explicandi, lites Pelagianae materiam suppeditarunt. Gratiam divinam esse necessariam, salvo tamen humanae voluntatis arbitrio, luculenta edocent Doctorum aevi hujus documenta (*c*). Inter la-

(*a*) Hier. praef. libr. I. et c. 4. in Jerem. (*b*) In epist. ad Coelestin. et can. 4. (*c*) Chrysost. serm. 2. in ep. ad Coloss., Basilius hom 22. de humil. etc.

tinos praesertim S. Augustinus hoc fidei dogma contra Pelagianos tuitus est. Huc porro accedunt: Canon Missae, Liturgiae, preces et collectae, neo non Litaniae majores, hocce aevo in Ecclesia vulgares, quibns misericordiae divinae opem propter merita Christi imploratam fuisse, certissimum est.

§. 4. *De Sacramentis Novi Testamenti.*

De uberrimis fructibns et necessitate baptismi, quatenus est certum salutis a Cbristo nobis partae remedium, eadem est mens atque fides Patrum hujus aevi ecclesiasticorum. Ex Graecis S. Cyrillus Hierosolimytanus (*a*) ita scribit: « Neque si quis etiam bene compositis, probisque sit moribus, non recipiat autem signaculum per aquam, intrabit in regnum coelornm. » Ex Latinis S. Ambrosius sacri bujus lavacri necessitatem hisce verbis adstruit: » Nullum excipit sententia Christi: Nisi quis renatus fuerit etc. non infantem, non aliqua necessitate praeventum (*b*). » Inde etiam paedobaptismnm per universam Ecclesiam viguisse, et haeresim Pelagianam omnimode damnatum fuisse, historia testatur.

Sacramentum confirmationis etiam periodo praesenti administratum fuisse, non tantum Patrum testimonia, sed etiam facta historica extra dubium omne ponunt. Ex bene multis Patribus unicum S. Augustinum citamus ita scribentem: « Orabant Apostoli, ut Spiritus S. in eos veniret, quibus manus imponebant; quem morem in suis Praepositis seu Episcopis etiam nunc servat Ecclesia (*c*). » Idipsum porro confirmat exemplum Lanthechildis, Clodovaei Francorum regis sororis, qnae ab Ariana haeresi conversa, mox etiam sacro Chrismate signata fuisse legitur (*d*); nec non relatio Optati Milevitani memorantis: vitream Cbrismatis sacri ampullam et sublimi in subjecta saxa projectam fuisse a Donatistis.

Doctrinam de Transubstantiatione et de Christi reali praesentia in Encharistia hac aetate commnnem fuisse, Sanctorum Patrum luculenta testimonia docent. S. Cyrillus Hierosolymitanus (*e*) scribit: « Qui videtnr panis, panis non est; tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinnm, vinum non est, etiamsi gustu ita videatur, sed sanguis Christi ». — Eodem de argumento disputans Ambrosius inquit: « Non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? Sermo Cbristi, qni potuit ex nihilo facere quod non erat (*f*) »

(*a*) Catheches. 3. c. 2. (*b*) S. Ambros. l. 2. de Abrah. c. 2. (*c*) S. Aug. l. 4. de Trinit. c. 26. (*d*) Claudii Fleury H. E. T. VII. p. 89. (*e*) Hierosolym. Catecbes. mystag. 4. n. 9. (*f*) S. Ambros l. de initiandis c. 9.

Eucharistiam simul *sacrificii incruenti* rationem ac dignitatem habere, certum est. S. Joannes Chrysostomus in Missa sua ita Christum alloquitur : « Dignare ut me peccatore, et indigno peccatore, servo tuo, haec dona offerantur. Tu enim es, qui offers et offereris, assumis et distribueris, Christe, Deus noster. » Idem confirmat S. Augustinus (*a*). In actis porro Concilii Nicaeni I., et quidem can. 18. expressa habetur declaratio : « situm esse in illa mensa illum Dei Agnum, tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum. » Huc denique accedit Canon Missae.

Quoad Sacramentum *poenitentiae* attinet, potestatem remittendi, retinendique peccata a Christo suis ministris concessam fuisse, clare profitetur S. Chrysostomus (*b*) scribens: « Habent quidam et terrestres Principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contigit, atque ad coelos usque pervadit: usque adeo, ut quaecunque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rati habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. » Eamdem doctrinam tradit S. Ambrosius (*c*).

Sic etiam *confessio* peccatorum Sacerdoti facienda veluti pars poenitentiae essentialis, jure divino praescripta, ab Ecclesiae Doctoribus commendatur (*d*).

Extremam unctionem infirmis per Sacerdotes Ecclesiae ministratam fuisse, jam multo dilucidius tradunt Ecclesiae Doctores. S. Chrysostomus (*e*) hortatur fideles, ut in infirmitatibus advocent Presbyteros his verbis: « Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiae etc.» Ex latinis Sacramenti hujus mentionem facit S. Augustinus (*f*) inquiens : « Si aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille, qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat; ut illud, quod scriptum est, impleatur in eo. » — Accedit praeterea Gregorii M. Sacramentarium.

Ordinem Novae Legis esse gratiae divinae collativum, verique nominis Sacramentum, ex testimoniis hujus aevi palam fit. Sic S. Ambrosius (*g*) scribit: « Homo imponit manus; Deus largitur gratiam etc.» Idem confirmat S. Chrysostomus (*h*), aliique Patres.

Matrimonii dignitatem Sacramentalem, Patres hujus Periodi haud obscure indicant. Sic Innocentius I (*i*) ait: « Sta-

(*a*) L. 9. confess. c. 12. (*b*) L. 3. de Sacerdotio c. 5. (*c*) L. 1. de Poenitentia c. 2. (*d*) Lactantius l. 4. Institut. divinar. c. ult.; S. Basilius in regul. brevior. ad interrogat. 229., S. Gregorius Nyssenus Orat. in eos, qui alios acerbe judicant. (*e*) L. 3. de Sacerdotio c. 6. (*f*) Serm. 215. de tempore. (*g*) L. de dignit. Sacerd. c. 5. (*h*) Hom. 1. (*i*) Ep. 9. ad Robum,

tuimus fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum. » S. Ambrosius (a) docet, gratia matrimonii excidere eum, qui thori leges violaverit. Similia fere habet S. Augustinus de bono conjugio.

§. 5. *Doctrinae catholicae reliqua capita.*

Poenarum in inferno aeternitatem constanter et universaliter creditam fuisse, testantur acta Concilii Oecumenici V., S. Hieronymus (b), S. Chrysostomus (c), S. Augustinus (d), et plures alii. — Doctrinam de purgatorio confessi sunt S. Gregorius Nazianzenus (e), S. Augustinus (f). Idem confirmant: Liturgiae hujus aevi et Conciliorum decreta, e quibus manifestum est, morem orandi et sacrificandi pro defunctis in Ecclesia fideliter servatum fuisse.

Ecclesiam esse Catholicam, perpetuam, infallibilem, sanctam et sine macula, impiis tamen ab ejus externa societate non exclusis, denique Apostolicam i. e. ex Episcoporum continua successione et communione cum S. Petri cathedra, quae catholicae unitatis centrum est, cognoscendam, tradunt Optatus Milevitanus (g), S. Augustinus (h), S. Hieronymus (i), S. Ambrosius (k) Vinc. Lirinensis (l).

Primatum Ecclesiae Romanae aperte confitetur S. Basilius (m), ubi de Petro ait: « Ille beatus, qui caeteris praelatus discipulis fuit, cui claves regni coelestis commissae sunt». Huic probe concinit S. Joannes Chrysostomus (n) scribens: « Ecclesiae praefecturam ipsi per universum orbem tradidit. » Ex Latinis sufficiat S. Hieronymus, docens: «Unus inter duodecim eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio (o)». Quod porro religiosum Sanctorum cultum attinet, fatendum est, eum praesenti periodo multo magis auctum variisque solemnitatibus conjunctum fuisse. S. Augustinus (p) inquit: « Sanctos homines in hac vita coli cultu dilectionis et societatis. » Sanctorum intercessionem apud Deum multum valere declarat Gregorius M. (q). Nihil porro est hac aetate certius, quam Basilicae sanctorum nominibus insignitae. Sic Procopius (r) multas enumerat Basilicas, B. V. Mariae sacras. Cum veneratione et invocatione Sanctorum pari passu ivisse cultum SS. Reliquiarum, insignia comprobant aevi

(a) L. 2. de Abraham. c. 7. (b) In cap. 3. Jonae. (c) Ep. ad Theodorum lapsum. (d) Haeres. 45. (e) Orat. pro mortuis. (f) L. 21. de civit. Dei c. 24. (g) L. 2. contra Parmenianum. (h) L. 3. cont. Parmen. (i) Adv. Luciferianos. (k) Hexam. l. 4. c. 2. (l) Commentarii c. 3. (m) Serm. de judicio Dei. (n) Hom. 3. de poenit. (o) L. 1. adv. Jov. c. 4. (p) L. 2. cont. Faust. c. 21. (q) Hom. 32. in Evangel. (r) L. 4. et 5. de bello Goth. et de aedificiis Justiniani.

hujus testimonia et facta. S. Ambrosius narrat (*a*) se Deo revelante, SS. Gervasii et Protasii corpora invenisse, et S. Hieronymus Vigilantii Reliquiarum osoris audaciam retundit. Nec eas coluisse jam contenti Christiani eximiam quoque virtutem, vimque prodigiosam iisdem tribuebant, super eas altaria et templa exstruebant, eas saepius invisebant, ut inde benedictionem aliquam assequerentur, sacras in Palaestinam et SS. Martyrum Sepulchra peregrinationes suscipiebant, sacrasque eorum exuvias ex aliis locis in alia transferebant (*b*). Sic, teste S. Hieronymo (*c*), Constantinus imperator S. Reliquias Andreae, Lucae et Timothei Constantinopolim transferri jussit.

§. 6. *Methodus tradendi Theologiam.*

Ut disciplinae fere omnes pro indole hominum ac diversitate temporum, variam induerunt formam, ita pariter Theologia non eadem semper methodo tradita, explicataque fuit: etsi dogmata fidei immota semper et illibata perstiterint (*d*). Primis hujus aetatis saeculis, postquam apparatus ille doctrinae et artium Graecarum, et Romanarum Christianorum usibus inservire coepit, doctior multo et accuratior Religionis discendae, docendaeque ratio invaluit, saltem in Oriente, ubi Doctores quandam quasi necessitatem sibi impositam habebant, dogmata Religionis subtilius defendendi adversus Gnosticos, Arianos et alios, suosque adversarios iisdem repellendi armis, quibus isti usi sunt ad rem christianam impugnandam. In Occidente autem magna ex parte simplicior erat instructio, eo quod Arianorum, Nestorianorum et Monophysitarum turbae ibi non tam late grassabantur.

Eam Theologiae disciplinam, quae dogmatica appellari solet, suo modo pertractarunt S. Cyrillus Hierosolymitanus in 22 cathechesibus, Lactantius in libris 7 institutionum divinarum, S. Basilius M. in libro de Spiritu S., Gennadius, Isidorus Hispalensis. Omnibus autem palmam eripuit S. Augustinus, qui in suo ad Laurentium Enchiridion viam paravit ad eam docendi rationem, quae systematica vocatur. Theologis haud parum quoque favit philosophia Aristotelica, controversiis gerendis longe aptior, quam Platonica, quae a saeculo V inter Christianos invaluerat. Perfectum denique hoc modo systema Theologicum plenius a Joanne Damasceno, non sine moderationis aliqua laude confectum est (*e*).

(*a*) Ep. 22. ad sororem. (*b*) S. Aug. lib. 9. Confes. c. 7. l. 22. de civit. Dei, S. Hilarius l. 2 de Trinit., S. Chrysost. serm. de SS. Juventio et Maximo, S. Greg. Niss. Orat. ad peregr. etc. (*c*) Cont. Vigilant. (*d*) Aug. l. de moribus Ecclesiae c. 34. (*e*). S. Joan. Dam. l. 4. de fide ort.

Qualis hac aetate Theologiae polemicae facies fuerit, colligitur ex monumentis illis, in quibus haereses recensentur, simulque breviter refutantur. Huc pertinent Augustini, Philastrii et Epiphanii libri, Athanasii porro oratio contra gentes, de incarnatione Verbi, Hilarii liber de Trinitate, Ambrosii lib. de Spiritu S., et lib. de incarnatione, Basilii M., Gregorii Nysseni lib. 13 cont. Eunomium.

Multi quoque hac aetate ad Theologiam exegeticam ornandam, augendamque suas operas contulerunt, non solum libris divinis explanandis, et interpretationis regulis statuendis, sed etiam versionibus S. Scripturae vel emendandis praeclare intenti. Ut enim nihil dicamus de scriptis exegeticis Eusebii Caesareensis, Gregorii Nysseni, Joannis Chrysostomi, Hilarii, Ambrosii, Augustini, aliorumque, vel S. Hieronymum indicasse sufficiat, quo veterum nullus, si Origenem excipias, majorem industriam ad Scripturam sacram explicandam illustrandamque adhibuit. Post S. Hieronymum saeculo V. emicuit Theodoretus Cyrensis, cujus commentaria aetatem tulerunt. Neque praetereundus Isidorus Pelusiota, cujus epistolae multa continent libris divinis illustrandis perquam idonea. Junilius Afer et Cassiodorus regulas interpretandi Scripturam praescripserunt (*a*). Inter Latinos non mediocrem plausum tulit S. Gregorius M., cujus Moralia in Job, utile sunt Moralis evangelicae promptuarium. Ut taceam alios Scripturae interpretes, ut Olimpiodorum (*b*), Victorem Capuanum (*c*), Primasium (*d*), et Procopium Gazaeum, qui multa utilia a Patribus collegerunt.

In ea sanctioris doctrinae disciplina, quae moralis dicitur, tradenda et exornanda multi hac aetate laborarunt, variaque argumenta de vita et officiis Christianorum prosequuti sunt, quorum scripta, licet non omnia, multa tamen ad nos pervenerunt. Praestantiores in doctrina morali fuerunt: S. Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Gregorius M., Ephrem Syrus, S. Hieronymus, uterque Macarius, qui in suis scriptis praecepta moralia exposuerunt et illustrarunt. Cum mysticae Theologiae, quae tum a Graecis e libris Dionysii Areopagitae nomine venditatis hauriebatur, amor latius se diffunderet, jam in utraque Ecclesia surgebant morum magistri, qui austerum rigorismum invexere. Posterioribus hujus periodi saeculis Theologi Alcuino aliisque viris indiguit.

(*a*) Junilius Afer l. 2. de partibus divinae legis. Cassiodor. l. 2. de divinis legibus. (*b*) Catena in Job. (*c*) Catena in 4 Evangelia (*d*) Com. in ep. ad Rom.

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Haereses saeculi IV.* — *Arius.*

Ingens erat hac periodo haereticorum numerus, qui ad sectas suas dilatandas malis artibus et etiam violentia usi sunt. In primis Alexandriae perfida orta est haeresis, horridae tempestatis haud absimilis, cujus concussu ipsa Ecclesiae fundamenta tremuere. Auctor novae sectae et coryphaeus fuit Arius, ex Africa oriundus, vir quidem subtilis ingenii, eloquens et dialecticarum artium haud imperitus, sed arrogans et invidus, qui Meletio primum adhaesit, postea vero ad partem contrariam transiens, et a Petro Alexandrino Episcopo Diaconus ordinatus, hujus Praesulis acta in Meletium ita redarguit, ut sacrorum communione privaretur. Post Petri martyrium in Ecclesiam Arius irrepsit, et ab Achilla successore non solum in communionem fuit receptus, verum etiam ad Presbyteri dignitatem elevatus, qua in dignitate occasionem habuit multos sibi amicos colligendi, maximo cum popularem sectaretur eloquentiam, aptoque esset ad blaudiendum ingenio. Mortuo an. 313 Achillae successit Alexander, qui Arium aliquandiu in honore habuit; verum cum an. 319 Alexander, in consessu Presbyterorum et Clericorum, de SS. Trinitate disputans, defenderet Filium esse Patri consubstantialem, Arius contradixit contendens, Filium non esse Patri coaeternum, sed creaturam caeteris omnibus praestantiorem, utpote a Deo Patre praerogativis et virtutibus ornatam. ad quam opinionem confirmandam abutebatur Christi verbis: « Pater major me est (*a*). » Cum Arius externa corporis, oris et habitus specie haud vulgarem praeseferret gravitatem, verborumque comitate ac urbanitate excelleret, numerosum discipulorum agmen post se traxit, in quibus Secundus Ptolemaidis et Theonas Marmoricae Episcopi eminebant. Hos exacto an. 321 Alexandriae 100 circiter Episcoporum Concilio excommunicavit Alexander, et sententiam a se latam omnibus Orbis Episcopis significavit. Arius Alexandria Nicomediam abiit, quia in urbe Episcopus Eusebius, Arii fautor, qui ab Alexandro se nominatim esse perstrictum acerbissime ferens, non tantum Syriae et Asiae Episcopos Arii partibus addixit, sed etiam Concilium in Bithynia convocavit, cui qui intererant contribules, datis ad omnes

(*a*) Joan. 14, 28.

Episcopos litteris, eos adhortabantur, ut suam in communionem restituerent Arium, ejusque sectatores. Ita factum est, ut in Aegypto, Palaestina et Asia minori etiam multi de plebe liti huic implicarentur, partiumque mutua odia in dies augescerent. Nec malo grassanti ullam attulerunt medelam tum litterae pacificatoriae Constantini M. ad Alexandrum et Arium scriptae, tum copiosum Concilium Alexandrinum, quod missus ab imperatore Osius Cordubensis an. 324 congregavit (a).

§. 2. *Concilium Nicaenum, Generale I.*

Cum omnia conamina in irritum caderent, Constantinus M., consulentibus Episcopis, et consentiente Silvestro R. P., an. 325. Niceae in Bithynia Concilium generale indixit cui Constantinus ipse interfuit et Osius Cordubensis; Sedisque Romanae legati Vitus et Vincentius praesidium tenuere. Ex diversis terrarum plagis convenerunt 318 Episcopi, omnes Orientales, quos inter plures erant Ariani. Episcopi Ariani una cum coryphaeo Ario, calumniosis accusationibus, et famosis libellis catholicos Antistites apud Imperatorem insectabantur. Imperator autem porrectos sibi libellos legere noluit, sed omnes involucro inclusos et sigillatos palam concremavit, professus: Episcopos a solo Deo judicandos, se vero Episcoporum judicio in rebus ecclesiasticis subesse. Lecta deinde fuere Arii scripta et Eusebii Nicomediensis epistola. Nec satis; ipsi praesentes interrogati et auditi: quos, aliosque S. Athanasius, etiamnum juvenis et Diaconus, strenue disputando refutavit. Tribus autem de causis convocata est Nicaena Synodus, nimirum ad haeresim Arii damnandam, Schisma Meletii tollendum, et controversiam de tempore celebrandi Paschatis dirimendam. In primis Nicaeni Patres Arianorum dogmata exsecrati unanimes definierunt: « Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. » Huic fidei definitioni ab initio 17 Episcopi, Arii fautores, subscribere renuerunt, asserentes: vocem ὁ μοουσιος: consubstantialis: esse a S. Scriptura alienam, et emanationem e Patris essentia, adeoque partem essentiae divinae, a Patre abscissam significare. Verum postquam catholici Antistites de-

(a) Theodoretus l. 1. H. E. c. 4. 5. 6., Sozomenus l. 1. H. E. c. 14., Socrates l. 4.

clarassent, se per illam vocem significare velle, Dei filium Patri consubstantialem et coaeternum esse, et Constantinus M. resistentibus depositionem et exilium intentasset, omnes subscripserunt, exceptis Theona Marmoricae et Secundo Ptolemaidis Episcopis, qui una cum Ario excommunicati et in exilium missi fuere. Imperator porro Arianorum scripta, statuta in refractarios capitis poena, ubique comburi, et Arianos Porphirianos appellari jussit. Quibus ita constitutis, Schisma Meletianum compositum fuit insigni erga schismaticos lenitate. Tandem controversia de tempore celebrandi Paschatis dirempta est, edito fere hujus tenoris decreto, ut in posterum illud eodem die ab omnibus Ecclesiis celebretur, scilicet Dominica lunam decimam quartam proxime sequente. Denique Nicaeni Patres disciplinam ecclesiasticam sanciverunt 20 canonibus, quibus conditis, synodalem epistolam scripserunt, ad Ecclesiam Alexandrinam in primis directam, et Constantinus M. alias litteras ad complures Ecclesias et provinciarum Praesides transmisit pro stabilienda ubique fide Nicaena, et abrogando Arianismo. (a).

§. 3. *Arianismi progressus et exitus.*

Qui formulae fidei sincere et ex animo non subscripserunt, uti Eusebius Nicomediensis et Theognis Nicaenus, corrupto custode, ex actis concilii suas subscriptiones expungi curarunt; quam ob rem ab Imperatore in Gallias relegati sunt. Verum Constantia, Constantini M. soror, cum esset morti proxima, ab Acacio Presbytero clam Ariano fraude decepta, fratre suo singularis beneficii loco petiit, ut Arium ejusque sectatores ab exilio revocaret. Arius igitur Constantinopolim venit, et ab Imperatore jussus, ut fidem suam scripto profiteretur, formulam obtulit Principi ad speciem catholicam, sed aequivocam, sicque mandatum de sui in integrum restitutione ex illo elicuit, et Alexandriam profectus est. S. Athanasius, anno circiter 326 ad Patriarchalem sedem evectus, nec ipsius Imperatoris, nec Eusebii Nicomediensis litteris eo adduci potuit, ut Arium in Ecclesiam suam admitteret. Quum populus inde commoveretur, Constantinus eum Byzantium revocavit. Ariani vero, duce Eusebio Nicomediensi, turpissimas calumnias in S. Athanasium commenti sunt, ut Imperatorem illi redderent offensum, accusantes eum: quod perduellionis crimen admiserit, quod Episcopum Arsenium occiderit,

(a) Euseb. l. 3. de vita Const. c. 6., Socrates l. 1. H. E. c. 5. 6. 7. 8., Sozomenus l. 1. c. 17., S. Athanasius de Synodo Nic.

ejusque dexteram amputatam ad magicas artes adhibuerit, quod calicem sacrilege confregerit, quod meretriculam vi oppresserit etc. Ita summam Imperatoris offensam incurrens, anno 335 in Synodo Tyri habita exauctoratus, et jussu Constantini Trevirim Gallorum exul missus est. Eodem anno, cum Hierosolymam ad dedicationem templi Constantini M. munificentia extructi Episcopi frequentes convenissent, Arius a factione Eusebianorum insons declaratus, ipseque et omnes Ariani in Ecclesiam admissi sunt, dolentibus licet Episcopis Catholicis, in primis Alexandro tum Antistite Constantinopolitano et Nicaenae fidei defensore acerrimo. Ariani triumphantes heroëm suum, qui Constantinopolim interea venerat, solemni pompa per urbis plateas deduxerunt; ast medio in itinere, cum Arius urgente alvi necessitate cogeretur de via in publicum secessum divertere, divina exceptus ultione, animam cum visceribus et sanguine effudit (a).

Mortuo Alexandro Patriarcha Constantinopolitano, an. 338 Ecclesiae hujus regimini admotus est Eusebius Nicomediensis, infensissimus S. Athanasii hostis, qui apud Imperatorem Constantium plurimum valebat. Eo agente in Synodo Arianorum Antiochena an. 341 S. Athanasius denuo damnatus, ejusque in locum intrusus Gregorius Cappadox pariter Arianus. Intermedio tempore Romam profectum S. Athanasium ad Julium Pontificem, ad quem Eusebiani, scriptis litteris, recurrerant, et in Concilio an. 341 ibidem celebrato ab objectis criminibus purgatum fuisse, testatissimum est. Anno 345 Eusebiani, indicto Antiochiae conciliabulo, novam fidei formulam ediderunt, quae vero an. 347 in Concilio Mediolanensi explosa fuisse videtur. Cum itaque litium atque certaminum nec modus ullus esset, nec finis, Imperatores Constantius et Constans eodem anno Concilium Sardicense convocarunt, ut causa Athanasii retractaretur, paxque ecclesiastica coalesceret. Sardicae Eusebiani cum Catholicis se conjungere noluerunt, ferre se non posse declarantes, ut Osium Cordubensem, Athanasium et Marcellum, de quorum causa retractanda ageretur, communione sua publice honestarent. Hi proinde, facto divortio, noctu commigrarunt in Thraciae urbem Philippopolim, ubi in conciliabulo congregati omnes suos adversarios, nominatim Athanasium, Osium ac Julium Pontificem excommunicarunt. Ex adversa parte Catholici Sardicae Athanasium Marcellum et alios absolverunt, Eusebianos vero damnarunt et sedibus suis deposuerunt. Mortuo an. 349 Gregorio Cappadoce, Constantius imperator, suasu probabiliter Constantis

(a) S. Athanas. apol. 2., Socrates l. 1. c. 22. 25.

fratris, eximii Catholicorum fautoris, Athanasium Sedi Alexandrinae restituit. Verum mortuo Constante, cum magna Occidentis pars Constantii fratris imperio accresceret, Ariani facti superiores, res Catholicorum summas ad angustias redactae sunt. Annuente siquidem Constantio, persecutionem gravissimam rursus subiit S. Athanasius; Liberius Pontifex, eo quod formulam ὁμούσιον rejicere, et Athanasium damnare noluerit, Beraeam in Thraciam exul missus; Osius Cordubensis, aliique Praesules eamdem ob causam minis et terroribus fracti; et plures ex parte Arianorum Synodi Sirmii in Pannonia celebratae, fideique formulae editae fuere. Ita tres extant fidei formulae Sirmienses, annis 351 357 et 358 vel 359 conditae. Earum prima, licet a Semiarianis profecta, catholica est, gravem tamen suspicionem eo movet, quod vocem ὁμούσιος supprimit. Secunda puram statuit Arii haeresim, voces vero *consubstantialis et similis substantiae* proscribit. Tertia denique, Filium Patri per omnia similem profitetur.

Cum post Synodos Sirmienses nova emergerent dissidia, Constantius imperator a. 359 Arimini Concilium indixit, ut Anomaeos, qui duce Aëtio Dei filium Patri dissimilem clamitabant, deprimeret: sed Concilio Arianorum duas in partes illud dividere persuasus est; ita ut Orientales Seleuciae in Isauria, Occidentales vero Arimini in Aemilia convenirent. In Concilio Ariminensi, cui 400 Episcopi interfuerunt, Catholici, facto ab Arianis divortio, fidem Nicaenam confirmabant, et Arium ejusque sectatores damnabant; verum non ita diu post dolosis Arianorum artibus circumventi, taedio oppressi, tertiae formulae Sirmiensi subscribebant. Sed nihil profecere Ariani. Datis enim ad Constantium litteris declarabant Catholici Episcopi numquam se a priori proposito et sententia discessuros. Dum Concilium Ariminense ageretur, Seleuciam convolarunt 160 Episcopi, quos inter 15 Catholici erant. Mutuis se se accusationibus ambae partes divexerunt, et multum diuque disputarunt, in eo tantum convenientes, quod ὁμούσιον repudiaverint. Demum Constantius et hic, uti saepe alias, ad Semiarianorum partes accessit, et quosdam sibi reluctantes exilio mulctavit. Mors imperatoris hujus a. 362 secuta sectae Arianorum vulnus inflixit vere acerbum. Nam ejus successor Julianus nec Arianos, neque Catholicos in suam tutelam recepit, imo exules omnes redire jussit, ut rem Christianorum domesticis litibus pessumdaret. Ita factum, ut tot Ecclesiae viduatae, praesertim in Occidente suos reciperent Pastores, ac plurimi Praesules Arianorum metu lapsi, ad Catholicorum castra reverterunt. — Sub Joviano, eximio Catholicorum fautore, totus propemodum Occidens et Orientis quoque pars non con-

temnendâ, decreta Concilii Nicaeni recepit. Quum a. 364 imperium suscepissent Valentinianus et Valens, in Occidente, cui praeerat Valentinianus, secta Arianorum, paucis demptis Ecclesiis, penitus deleta; in partibus vero Orientis, ubi imperabat Valens, foeda et indigna plurima in Catholicos commissa sunt. Demum legibus Oratiani, Teodosii M. et Justiniani I secta Arianorum valde est imminuta. Viguit adhuc Arianismus inter populos barbaros, nimirum Svevos, Burgundiones, Gothos, Vandalos, et Longobardos, qui saeculis VI et VII fidem catholicam amplexi sunt ita, ut sub exitum saeculi VII Ariani peculiarem sectam non amplius constituerent (*a*).

§. 4. *Photinus.*

Photinus, natione Galata, Marcelli Ancyrani Episcopi discipulus, Episcopus Sirmiensis, circa annum 340 docere coepit, assentientibus non paucis: Unicam esse Divinitatis personam, scilicet Patris, Verbum, seu λογον esse rationem Dei, personalitate carentem; Jesum Christum autem merum fuisse hominem, qui Deus aut Dei Filius dici possit, quod virtus quaedam divina ei adjuncta fuerit. Similiter et Spiritum Sanctum docebat esse virtutem quandam divinam propria hypostasi destitutum. Huic errori non tantum singuli viri catholici et Ariani restiterunt, verum etiam plures utriusque partis Synodi, videlicet Antiochena 343, Mediolanensis 347, demum Sirmiensis 351, in qua exauctoratus Photinus, et exilio mulctatus, Imperatorem interpellavit, de illata sibi injuria conquestus, ac judices petiit. Annuit Constantius, judicesque dedit, Basilio vero Ancyrano provinciam demandavit, cum ipso disputandi. Celebris ea extitit disputatio, in qua victus Photinus usque ad annum 372 in exilio vixit (*b*).

§. 5. *Macedonius.*

Brevi post orta est haeresis Macedoniana, auctore Macedonio Semiariano, viro diserto, Diacono primum, deinde Presbytero Constantinopolitano, qui inter mutuas Catholicorum et Arianorum caedes Episcopatum Constantinopolitanum obtinuit a. 343. Defuncto nimirum Alexandro, Paulus et Macedonius ejusdem Ecclesiae Antistites electi sunt a Constantinopolitanis, Catholicis in Paulum, Arianis vel quasi Arianis in Macedonium inclinantibus. Verum Constantius Imperator, tunc absens, ultro-

(*a*) Thedoretus l. 1. 2. c. 16., Socrates l. 1. 2. cap. 20., S. Athanasius,
(*b*) Socrates l. 2. c. 14.

que rejecto Eusebium Nicomediensem substituit, quasi in poenam, quod inscio se electionem peregissent. Mortuo Eusebio, cum de electione Pauli et Macedonii denuo certaretur, et ipse Constantius Hermogenem Praefectum illuc mitteret cum militari manu, ut Macedonium in Ecclesiam introduceret, secuta est horrenda Catholicorum seditio, qua saeviente domus Hermogenis incensa, ipse vero per plateas urbis raptatus, et misere trucidatus est. Restituto Paulo ad voluntatem Constantis imperatoris, fratri Constantio bellum minitantis, si diutius persequeretur Paulum aliosque catholicos Episcopos, cedendum fuit Macedonio, qui connivente Constantio, seorsim modo Ecclesiam collegit. Verum mortuo Constante, Paulus iterum pulsus, ac in itinere a militibus strangulatus est. Sic tandem occupata Constantii favore sede Constantinopolitana, Macedonius Catholicos exagitare non destitit. Nec satis inconsulto Constantio imperatore, multisque e plebe reluctantibus, ossa Constantini M. ex Apostolorum Basilica in aliam transferri jussit. Quod facinus, cum multarum caedium extitisset occasio, adeo moleste tulit imperator, ut Macedonium sede episcopali turbaret a. 359. Episcopatu dejectus, dogma de divinitate Spiritus S. impugnare coepit, asserens: « Spiritum Sanctum non ejusdem cum Patre et Filio honoris participem, sed utriusque ministrum esse. » Qui ejus haeresim sectati sunt, a Macedonio *Macedoniani*, a propugnato dogmate *Pneumatomachi*, a discipulorum principe Marethone *Marethoniani* sunt appellati. Ceterum fateri oportet, non easdem fuisse omnium Macedonianorum de Spiritu S. explicationes. Disseminarunt suum errorem non solum Constantinopoli, verum etiam per Bithyniam, Thraciam et Hellespontum (*a*).

§. 6. *Concilium Constantinopolitanum I. Generale II.*

Quum fides Nicaena Arianorum procellis jactaretur et Macedonius novam disseminaret haeresim, Theodosius Magnus a. 381, tenente Pontificatum Damaso, Constantinopoli Synodum convocavit, tum ut Constantinopolitanae Sedis Episcopus constitueretur, tum ut fides Nicaena confirmaretur, tum denique ut haeresis Macedonii profligaretur. Astiterunt huic Concilio 150 Episcopi Catholici, et 36 Macedoniani, omnes ex Oriente. In aditu statim agendorum ordinatio Maximi Cynici, qui Ecclesiae Constantinopolitanae cathedram occupavit, examinata et repudiata, ejusque in locum Gregorius Nazianzenus substitutus. Is vero, cum non ita diu post episcopali dignitate

(*a*) Socrates l. 2. H. E. c. 13. 26. 27., Sozom. l. 3.

pacis studio se abdicasset, et in solitudinem recessisset, successor illi datus est Nectarius. Ad stabiliendam vero adversus varias haereses fidem, Patres symbolum Nicaenum confirmarunt, et multis additamentis auxerunt, articulum in primis de Incarnatione, et Spiritus S. divinitate magis illustrantes sequentibus verbis: « Credimus in Spiritum S. Dominum et vivificantem, qui a Patre procedit, qui cum Patre et Filio adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. » Symbolum ita auctum dictum est Nicaeno-Constantinopolitanum. Synodus haec sua in origine particularis, evasit generalis per Damasi Papae confirmationem (*a*).

§. 7. *Apollinaris.*

Eodem fere tempore catholicum dogma de Verbi divini incarnatione impugnavit Apollinaris junior, ab anno 362 Laodicenae Ecclesiae in Syria Episcopus, ab Apollinari seniore, ejusdem Ecclesiae Presbytero, quo patre gavisus est, plane diversus. Is Platonis more docebat, hominem corpore, anima et mente constare, cui ideae tanquam fundamento cum suam de Christi persona sententiam superstrueret, asseruit: in Christo spiritus loco naturam divinam seu Verbum Dei fuisse. Hanc sententiam eo sane consilio est secutus, ut unitatem personae Christi vindicaret. Apollinaris, ob suam perversam doctrinam, Episcopatu fuit dejectus, et ejus sectatores durioribus legibus coerciti. Sic Theodosius M. Apollinaristas, aliosque haereticos juribus privavit (*b*).

§. 8. *Audius sive Audaeus.*

Sectae Audianorum nomen dedit Audaeus e Mesopotamia oriundus, qui cum quorundam Episcoporum ac Clericorum luxum, vitamque mollem argueret liberius, aliisque in faciem resisteret, ab ipsis excommunicatus, et ab imperatore in Scythiam relegatus est. Inde transiens ad Gothos, anno circiter 370 fatis cessit. Is cum locum illum Mosis (*c*): « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » aliaque Scripturae S. loca durius et ad litteram interpretaretur, Deo lineamenta corporis humani tribuit, atque ideo tum ipse, tum ejus discipuli *Antropomorphitae* dicti sunt. Ejus sectatores festum Paschatis eodem cum Judaeis tempore, quartodecimanorum more celebrabant (*d*).

(*a*) Socrates l. 5. H. E. (*b*) Socrates l. 2. H. E., Codex Teod. (*c*) Gen. c. 1. 26. (*d*) S. Epiphan. haeres. 70., S. August. de haer. c. 50.

§. 9. *Priscillianus.*

Veterum Gnosticorum lues ex Aegypto in Hispanias illata est per quemdam Marcum Memphitem, qui praeter plures alios, etiam Priscillianum, virum nobilem, praedivitem et eruditum suis erroribus infecit. Is eloquentia et blanditiis, non solum omnium ordinum homines, verum etiam Instantium Salvianum et Hyginum Episcopos in suas traxit partes. Ita dux factus est impiae sectae, quae Hispanicam Ecclesiam motibus vere violentis perturbavit. Post multa ac diuturna certamina a. 380 Synodus indicta est Caesaraugustae, in qua accusatoribus Idacio et Ithacio Episcopis, Priscillianus ejusque asseclae excommunicati sunt. Verum sectarii Priscillianum in Abulensi oppido Episcopum constituerunt. Ne res latius serperet, Idacius et Ithacius ad Gratianum imperatorem conversi rescriptum ab illo obtinuerunt, quo omnes Priscillianistae Ecclesiis et urbibus pellebantur. Ast aditum ad Imperatorem sibi aperientes ab eo edicti revocationem implorarunt et obtinuerunt. Brevi tamen scena conversa est, postquam Maximus Occidentale imperium usurpavit. Is enim ab Episcopo Ithacio instigatus, sectatores ad Synodum Burdigalae convocatam adduci jussit, in qua erroris convicti condemnati sunt a. 385. Priscillianus vero ad Imperatorem provocavit, qui eodem anno causae cognitionem demandavit Evodio Praefecto, apud Treviros degenti. Is autem Priscillianum duplici judicio auditum et acerba inter tormenta confessum, obscoenis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium foeminarum egisse conventus, carceri mancipavit. Denique Imperator, perlectis inquisitionis actis, Priscillianum, pluresque ejus socios capite plecti jussit. Priscilliano occiso, haeresis non fuit repressa: nam asseclae, qui eum ut martyrem coluerunt, saeculo adhuc VI in historia occurrunt. Eorum doctrinae fuerunt ultimum condemnatae in Concilio Braccarensi II a. 569. Post hoc Concilium nulla amplius eorum fuit mentio, unde merito concluditur, eos ab hoc tempore penitus evanuisse.

Quoad eorum errores attinet, veteres in eo conveniunt, quod reale trium personarum divinarum discrimen negaverint, veram Jesu Christi incarnationem et nativitatem rejecerint, materiam aeternam crediderint, mundi opificium pravo daemoni tribuerint, ac diabolum ex tenebris et chaos emersisse docuerint, quod vetus figmentum de Aeonibus renovaverint, omnia fatalibus stellis adstrinxerint, nuptias esumque carnium damnaverint, corporum resurrectionem sugillaverint, turpi libidini in conventiculis vacaverint, suaque mendacia et

perjuria occultaverint familiari dogmate: « Jura, perjura, secretum frangere noli » (a).

§. 10. *Jovinianus, Acrius, Helvidius, Vigilantius.*

Jovinianus, monachus Mediolanensis, quem S. Hieronymus Christianorum Epicurum ideo vocabat, quod monasterio egressus a. 382 mollem ac dissolutam vitam egeril, sequentes errores sparsit: 1. Virginitatem et matrimonium ejusdem esse meriti. 2. Baptizatos in peccatum relabi non posse. 3. Nihil prodesse ciborum abstinentiam. 4. Parem fore in coelo remunerationem. 5. Omnia peccata esse aequalia. 6. Mariam pariendo fuisse corruptam. — Jovinianus ad Siricium Pontificem delatus, anno 390 in Concilio Romano, deinde in Mediolanensi, sub S. Ambrosio habito, cum suis sectatoribus damnatus, demum jussu Honorii imperatoris in Boam insulam relegatus est (b).

Eodem saeculo sectam condidit Aerius, Eustachii Episcopi Sebasteni Sodalis, a quo Presbyter ordinatus est. Episcopatus spe frustratus, postquam Episcopum suum probrosis calumniis proscidit, in sequentes incidit errores: 1. Inter Episcopos et Presbyteros nullum est discrimen. 2. Orationes pro defunctis, et bona opera pro illis suscepta nihil iisdem prosunt. 3. Statuta jajunia non sunt celebranda. 4. Celebritas Paschatis est abolenda, quoniam « Pascha nostrum immolatus est Christus (c) ».

Helvidius, Auxentii Ariani discipulus, circa annum 390 sparsit, Beatissimam Virginem Mariam post Jesu Christi partum plures e Josepho filios suscepisse, qui in sacris literis fratres Domini vocantur (d). Hanc perversam opinionem defendisse deprehenditur Bonosus probabiliter Sardicensis Episcopus. Hi dicti sunt Antidicomarianitae, i. e. adversarii B. V. Mariae (e).

Saeculo V. Vigilantius Gallus, cujusdam cauponis filius, Sanctorum reliquiis impensum cultum, Clericorum coelibatum et vota monastica improbavit. At verum impurum hunc hominem, quemadmodum Helvidium et Jovinianum, eloquenti, acriori stylo S. Hieronymus confutavit (f).

(a) Sulpit. Severus l. 2. c. 46., Mansi. Conc. T. III. p. 633., S. Hieron. ep. adversus Pelagium etc. (b) S. Hier. l. 2. adv. Jovin. Walcho Kelzerh. P. III. (c) S. Epiphan. haer. 25., Philastrius haer. 72. (d) Luc. 8. 20. (e) S. Augustinus de haeres. c. 84., S. Hier. ep. 50. (f) S. Hier. adv. Vigilant. et in ep., Gennadius de Script. eccl. c. 35.

§. 11. *Collyridiani, Messaliani.*

Collyridianorum historia satis obscura est et ignobilis. Teste S. Epiphanio, hanc sectam solae fere mulieres in Arabia constituebant, Virginem Deiparam, ut Deum adorantes, eidem singulis annis placentam quandam (κολλυρις), seu quoddam panis genus offerentes. Origo hujus sectae refertur ad annum 373 (a).

Verum et turbae fanaticorum et indoctorum hominum inter haereticos relatae saeculo IV, ut Messaliani a verbo chaldaico *metzalin*, vel Euchitae a graeca voce ευχη (oratio) a precibus sic dicti, Constantii imperatoris temporibus Mesopotamiam, et finitimas regiones incolentes, quorum deliramenta pene incredibilia erant. Nam pseudomysticismo penitus correpti, inter alia somniabant: quemlibet hominem ab utero matris pravum habere daemonem, ad malas actiones impellentem, qui sedulis tantum precibus pelli possit: eo autem fugato, Spiritum S. succedere, quo corpus omnibus perturbationibus liberetur, et animae ad deteriora inclinatio avertatur, ut deinceps nec jejunio reprimente nec doctrina refrenante opus sit. Quae si cui contigerint, intimum jam illi cum numine divino intercedere commercium, ita quidem, ut non modo praedicere ventura, sed plane etiam SS. Trinitatem corporeis oculis contemplari valeat. Hinc orationi solum et somno vacabant. Damnati sunt anno circiter 383 in Synodis Sydensi, Antiochena, Constantinopolitana a. 427, demum generali Ephesina a. 401 (b).

§. 12. *Haereses saeculi V. et VI. Pelagiani.*

Pelagiani nomen suum traxere a suo auctore Pelagio, monacho Britanno, ingenii acutissimi vitaeque ad externam saltem morum integritatem compositae, verum et subdolo, qui Romae societatem iniit cum Coelestio, monacho forte Hiberno, et gratiam Christi, sanamque de peccato originali doctrinam impugnare coepit. Eorum, qui Pelagio adhaeserunt, longe celeberrimus fuit Julianus Ecclanensis in Campania Episcopus. Cum a. 411, Gothi hostiliter imminerent Romae, Pelagius et Coelestius, armorum strepitu exterriti, in Siciliam primo, ubi nonnullos Episcopos in suas partes adduxerunt, deinde in Africam transfretarunt, et inde Pelagius in Palaestinam concessit, manente in Africa Coelestio. Cum Coelestius Carthagine

(a) S. Epiphan. haeres. 79, ejusque Anaceph. (b) S. Epiphan. haer. 80., Theodoret. l. 4. haer. fab. c. 11., Tillemont. 8. p. 527.

contra peccatum Originis praedicaret, et locum inter Ecclesiae Carthaginensis Presbyteros ambiret, restitit ipsi Paulinus, S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis Diaconus, tunc in Africa praesens, effecitque ut Aurelius Episcopus Carthaginensis, anno 412 vocaret Coelestium ad Concilium, in quo Episcoporum judicio damnatus et excommunicatus, ad Sedem Apostolicam appellavit, et Ephesum profugit (a).

§. 13. *Alia Concilia particularia in causa Pelagianorum celebrata.*

Pelagio in Oriente sors evenit multo tolerabilior. Is enim, linguae graecae peritus, a Joanne Episcopo Hierosolymitano benigne admodum susceptus, errores suos impune disseminabat. Verum a Paulo Orosio Presbytero Hispano, qui S. Augustini jussu ex Africa in Palaestinam venerat, ut S. Hieronymum salutaret, in Synodo Hierosolymitana a. 415 accusatus, quod male sentiret de peccato originali et gratia Dei, calide respondit. Cum vero confusio orta esset, et Joannes Pelagio faveret, totius Concilii consensu utrique parti litiganti silentium impositum, et causa ad Innocentium I delata fuit.

Eodem anno 415 aliud celebratum fuit Concilium Diospoli seu Lydae in Palaestina, Praeside Eulogio Episcopo Caesareensi, cui congregando ansam dederunt duo Episcopi Eros Aralatensis et Lazarus Agnensis, qui oblato libello latine scripto, Pelagium de multis doctrinae capitibus accusarunt. Interfuerunt huic Synodo 14 Episcopi. Cum nec Eros, nec Lazarus, morbo impediti ad Concilium comparere possent, et Pelagius objecta sibi capita dubia et ancipiti interpretatione explicaret, vel in Celestium transferret, errore facti catholicus declaratus est.

Percrebescente hujus rei fama, Aurelius Concilium Carthaginense 68, et Silvanus Numidiae Primas Milevitanum 61 Episcoporum a. 416 celebrarunt, in quibus Pelagius et Coelestius tanquam haeretici damnati fuere. Utraque synodus sua acta ad Innocentium I Pontificem misit, quibus acceptis Pontifex Pelagium et Coelestium communione ecclesiastica privavit, et datis litteris, Africanos Patres laudavit, ob exhibitam Sedi Apostolicae reverentiam.

Pelagius certior factus epistolam apologeticam scripsit ad

(a) S. Aug. ep. 106., lib. de natura et gratia, et lib. de gestis Pelag. a. 11., Norisius hist. Pelag. l. 4. c. 22.

Pontificem, qua Erotem et Lazarum calumniae, Africanas vero Synodos praecipitis judicii arguit, missoque Romam suae fidei libello, Pontifici fucum facere et haeretici labem a se abstergere est conatus. Haec epistola una cum libello pervenit ad manus Zosimi, qui Innocentio interim mortuo successit. — Coelestius, audita morte Innocentii, Romam profectus, Zosimo fidei libellum obtulit, profitendo se paratum emendare errorem, si quis ex ignorantia sibi irrepsisset. Uterque in fidei libello obedientiam et reverentiam Sedi Apostolicae obtestabatur. Zosimus, vir moderatus valde et benignus, hisce blanditiis deceptus, litteras dedit Africae Episcopis, quibus eis significavit Pelagium et Coelestium non debuisse damnari, cum mentis obstinatio eis abfuerit. Ast Praesul Aurelius a. 418 Synodum 214 Episcoporum Carthagine collegit, in qua iterum iterumque errores Pelagii et Coelestii condemnavit, et per Marcellinum Subdiaconum Synodorum gesta una cum litteris instruentibus ad Zosimum misit, quibus melius edoctus Pontifex in Pelagium et Coelestium damnationis sententiam tulit, totique orbi catholico notam fecit, cui morem gerere noluerunt 18 Episcopi Italiae, et inter hos Julianus Episcopus Ecclanensis, qui sedibus suis privati fuere. Zosimi vestigia presserunt ejus successores Bonifacius I, Coelestinus I, Sixtus III, Leo M. aliique orbis Christiani Episcopi. Constantinopoli Pelagianos ejecit Atticus, Antiochiae Pelagium proscripsit Theodotus, in Synodo Ephesina depositi quidam eorum Episcopi, in Gallia adversus Pelagianos pugnavit Patroclus Episcopus Arelatensis. Huc denique accesserunt poenae civiles, edictaque caesarea e. g. Honorii, Theodosii junioris adversus Pelagianos (*a*).

§. 14. *Pelagianorum errores.*

Errores, quibus superba Pelagii philosophia originem dedit, fuerunt alii principales, alii accessorii. Ex principalibus alii rursum circa hominis statum versabantur, alii circa gratiam Dei. Ad statum hominis pertinebant sequentes: 1. Adamum et Evam mortales a Deo creatos morituros fuisse, etiamsi non peccassent. 2. Peccatum originale solis protoparentibus nocuisse, neque posterorum cuiquam, nisi quatenus pravum aliis relinquerint exemplum, quod imitarentur. 3. Infantes, qui absque ulla macula nascuntur, salvari sine baptismo. 4. Concupiscentiam et libertatem hominis esse tales, quales erant in Adamo et Eva ante peccatum. — Ad gratiae divinae eversionem spectabant sequentia capita: 1. Gratiam, quam primo

(*a*) S. August. lib. de pecc. orig., et lib. 2. ad Bonifacium.

cum naturae viribus confundebat, nullam aliam esse, praeter legem Dei, Christi doctrinam et exemplum et peccatorum remissionem, adeoque mere externam. 2. Bonam voluntatem pendere ab ipso homine, Deum illi tantum auxilia externa praebere, quibus voluntas illius ad bonum inclinatur, ita quidem, ut homo propriis naturae viribus non solum bonus et perfectus, verum etiam salvus fieri possit. 3. Internam mentis illustrationem esse quidem ad bonum operandum utilem, non vero necessariam. 4. Eamdem non esse mere gratuitam, sed secundum humana merita dari, scilicet illis, qui libero arbitrio bene utuntur, et mandata Dei custodiunt. His denique accessero errores minus principales, de juramentis illicitis, et de divitiis baptizatorum abdicandis, utrumque affirmante Pelagio (*a*).

§. 15. *Semipelagiani.*

Haeresim pelagianam viri praestantissimi, uti S. Hieronymus, Paulus Orosius, potissimum autem S. Augustinus impugnarunt; ast erant, qui neque S. Augustini doctrinam plene approbabant, neque Pelagii systema ex integro rejicebant. Hisce, qui Pelagii erroribus ex parte solum adhaerebant, Semipelagianorum nomen impositum est. Doctrinam Sancti Augustini erroribus Pelagii oppositam reprobarunt Monachi monasterii Adrumetini in Africa, qui lecta epistola a S. Augustino ad Sixtum Pontificem missa, asseruerunt, doctrina Augustini de gratia liberum hominis arbitrinm tolli. S. Augustinus a Valentino Monasterii Praeside hac de re certior factus, librum composuit de gratia et libero arbitrio ac Valentino misit, in quo cum cuncta nostra opera dona Dei esse demonstrasset, Monachi concluserunt, ob peccatum admissum neminem corripiendum esse, sed Deum tantum orandum, ut peccatori gratiam largiatur: quam ob rem S. Augustinus alium conscripsit librum de correptione et gratia, ubi clare exposuit peccatorem gratia Dei abuti, ac propterea semper corripiendum esse.

Etiam in Gallia Monachi Massilienses systema S. Augustini Pelagianis oppositum non probabant. Eorum agmen ducebat Joannes Cassianus Monasterii Massiliensis Abbas, qni scriptis Patrum collationibus errores Semipelagianorum admiscuit. De his S. Augustinus, Prosperi Aquitani, et Hilarii litteris certior factus, duos scripsit libros de Praedestinationo Sancto-

(*a*) S. Aug. l. de gratia c. 7., de peccato orig. c. 24., et L. de haeres. c. 87., Hilarius ep. ad Aug.

rum, et de perseverantiae dono, quibus Semipelagianos strenue simul ac peramanter confutavit. Post S. Augustini obitum, urgentibus Prospero et Hilario, Coelestinus I, Romanus Pontifex, Semipelagianorum audaciam coercuit, et S. Augustini doctrinam adversus eorum calumnias vindicavit, data a. 432 ad Galliae Episcopos epistola. Verum Semipelagianis obedientiam recusantibus, Prosper coepto labori insistens, eorum errores, quos Cassianus collatione 13 propinaverat, edito contra collatorem libro, refutavit. Novum deinde fomentum praebuit litibus Faustus Episcopus Rejensis, qui editis duobus libris de gratia Dei, et libero humanae mentis arbitrio, S. Augustini doctrinam de praedestinatione impugnavit. Caesarius Arelatensis Episcopus non solum duos libros Fausti confutavit, verum etiam a Pontifice Felice IV obtinuit, ut Synodus Arausicana a. 529, ipso Praeside celebraretur, in qua Semipelagianorum errores condemnati sunt. Quum vero nonnulli, ob paucitatem Episcoporum, murmurarent, aliam Synodum copiosiorem Valentiae congregavit, quae sententiae Synodi Arausicanae subscripsit. Utriusque Synodi acta approbavit Bonifacius II Pontifex (*a*).

§. 16. *Eorum errores.*

Semipelagiani admittebant quidem peccatum originale, ejusque sequelas, et gratiae necessitatem; ast cum sibi explicare non possent, cur Deus gratiam baptismi, conversionis et perseverantiae in bono omnibus hominibus non largiatur, a Catholicis recedebant in sequentibus punctis, docentes: 1. Hominem suis viribus naturalibus posse initium boni operis, conversionis et poenitentiae facere. 2. Bona opera naturae viribus producta Deum movere ad gratiam suam hominibus largiendam. 3. Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, et Christum pro omnibus passum mortuumque fuisse, adeoque salutem hominis aeternam non a Dei gratia, sed ab humanae mentis arbitrio pendere. 4. Deum praedestinare ad fidem et ad aeternam salutem eos, quorum bonam voluntatem, bona desideria, bona opera et promptam obedientiam praevidet, reprobare vero eos, quos praevidet sibi reluctaturos. 5. Deum Evangelii praecones ad eos solum misisse, quos credituros, et in bono perseveraturos praevidit. 6. Finalem perseverantiam non esse donum Dei, sed humanae libertatis effectum (*b*).

(*a*) Constant. ep. Pontific. p. 1168, Harduin. Conc. T. II., ep. Bonifacii.
(*b*) S. Prosper. ep. ad Aug.

§. 17. *Praedestinatiani.*

Ex litibus pelagianis et semipelagianis eodem tempore sic dicta Praedestinatianorum secta orta est. Cum enim Semipelagiani pro persuaso haberent, gratiam et praedestinationem S. Augustini nequaquam posse cum libero hominis arbitrio stare, sed invehere quandam, sive ad bonum, sive ad malum, necessitatem, idcirco Catholicis affingebant quaedam falsissima quasi ex Augustini sententiis consectaria. Hi defendebant. Deum improbos non tantum ad poenas aeternas, verum etiam ad peccatum praedestinasse, ac inevitabili propterea necessitate bonas aeque, ac malas hominum actiones ab aeterno divinitus determinatas esse; quam ob rem Praedestinatianorum nomen ipsis inhaesit. Deinde allegari solet ut Praedestinatianus Presbyter quidam Gallus, nomine Lucius, qui cum aliquandiu Praedestinatianorum errores tuitus esset, denique damnatioui sex articulorum, quos Faustus Rejensis proposuerat, manu sua subscripsit. Ex ejusdem Fausti ad Lucidum epistola etiam liquet, anno circiter 475 duas in causa Praedestinatianorum celebratas fuisse Synodos, primam Arelate, Lugduni alteram (*a*).

§. 18. *Nestoriani.*

Nestorianorum sectae auctor fuit Nestorius, natione Syrus, qui in schola Theodori Mopsuesteni de mysterio dominicae Incarnationis male sentientis venenum haereseos imbibit. Primo professus est institutum Monachorum in Monasterio S. Euprepii penes Antiochiam, deinde Antiochenae Ecclesiae Presbyter ordinatus munus concionatoris summa cum laude in hac Ecclesia exercuit, cum sedulus solitudinis cultor esset, et singularem gravitatem et modestiam praeseferret, facile omnes in admirationem sui traxit. Mortuo Sisinio, Theodosius II. eum ad Episcopi Constantinopolitani dignitatem promovit. Statim post suam inaugurationem, cum pro concione diceret, Theodosio Imperatori suasit, ut legem ferret contra omnes haereticos, ipseque haereticis acre indixit bellum, templumque Arianorum demoliendum curavit. Ast, cum haereticos vehementissime affligeret, novam ipse prodiit haeresim. Cum enim a. 428 Presbyter Anastasius, Nestorio valde dilectus, quem Antiochia Constantinopolim secum duxerat; praedicaret, Mariam non esse vocandam Deiparam (Θεοτοκον) sed Christiparam (χριστοτοκον), omnesque auditores ad tantam viri

(*a*) Faustus Rejens. ep. ad Lucidum, Gilb. Mauguin T. II. Collect.

temeritatem cohorrescerent, Nestorius non solum dicta illius approbavit, verum etiam brevi post erroris venenum in concionibus sparsit, asserens, quod ex carne natum est, carnem esse, Creatorem a creatura nasci non posse, Verbum in Filio Mariae habitasse veluti in quodam templo. Nestorio Eusebius causidicus in Ecclesia publice contradixit, et populus adeo fuit commotus, ut impetum in Nestorium voluerit facere, Eusebius Episcopus Doryleensis factus libellum scripsit et publici juris fecit, in quo Nestorium confutavit (*a*).

§. 19. *Acta S. Cyrilli Episcopi Alexandrini contra Nestorium.*

Haeresis Nestorii, praeter alios, infecerat etiam quosdam Monachos Ægypti; quam ob causam S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, datis litteris, et Monachos, et Nestorium ad bonam frugem revocare conatus est. Verum scandalo non cessante, S. Cyrillus Coelestinum I. P. R. per litteras de Nestorii erroribus certiorem fecit, et de iis quae in ipsum gesserat. Acceptis litteris Coelestinus anno 430 Romae synodum celebravit, in qua excomunicationis et depositionis sententiam in Nestorium tulit, nisi intra decimum a denuntiatione diem palinodiam caneret, eamque Cyrillo misit, ut Sedis Apostolicae vice executioni mandaret. Qua auctoritate instructus S. Cyrillus eodem anno Alexandriae Concilium coegit ex universa Ægypti dioecesi. Inde synodica missa est ad Nestorium cum Coelestini litteris, ac duodecim anathematismis a Cyrillo editis, quibus subscribere debebat Nestorius. Ast tam aberat Nestorius, ut suos retractaret errores, quin potius duodecim anathematismos ediderat, Cyrilli capitulis oppositos, in quibus multas evomuit blasphemias (*b*).

§. 20. *Concilium Ephesinum. Generale III.*

Ne malum exitiale latius serperet, Theodosius II. Imperator, a. 401 Concilium generale Ephesi celebrandum indixit, et Candidianum Comitem ad illud misit, ut ipsius nomine exteriorem rerum gerendarum ordinem moderaretur. Convenerunt Episcopi 274, si Mario Mercatori fides, iisque praefuit S. Cyrillus, ut Sedis Apostolicae legatus, usque ad adventum Apostolicorum legatorum. Inter primos Ephesum quo-

(*a*) Socrates l. 7. c. 29., Evagrius l. 1. c. 2., Theodoret. ep. ad Sporad.
(*b*) S. Cyrillus in Nestorium l. I., ejusque epistolae ad monachos Nest. et Coelest. P., Harduin. Conc. T. I.

que venit Nestorius, cum decem suarum partium Episcopis. Sed cum in itinere adhuc esset Joannes Antiochenus cum Episcopis sui Patriarchatus, et legati Coelestini Papae nondum advenissent, Synodus die ab Imperatore praefixa inchoari non potuit. Cum vero Joannes retardaret, Cyrillus postulabat, ut initium fieret, repugnante tamen Nestorio, cui prodesse poterat Joannis Antiocheni adventus. Comes etiam Candidianus et nonnulli Episcopi parvam moram interjici cupiebant. Hisce non obstantibus, Concilium die 22 Junii aperiebatur in Æde B. V. Mariae. — In sessione prima, postquam Candidianus Comes indignabundus egressus fuerat, magna multitudo negotiorum mirifica celeritate expedita est. Ter una die accersitus Nestorius, nihil praeter convicia reddidit. Lectum deinde Symbolum Nicaenum tanquam norma futurae decisionis, auditaque porro Cyrilli ad Nestorium epistola una cum anathematismis, et comunibus suffragiis approbata est. Cum vero legi coepissent Nestorii scripta blasphemiarum plena, is tandem nefariae haereseos convictus, a Synodo excomunicatus, omnique gradu ac dignitate depositus fuit. Quae sententia Nestorio statim intimata et publice affixa est; cives autem Ephesini Episcopos Ecclesia egressos cum facibus et taediis ad diversorium deduxerunt. Verum Nestorius a sententia Synodali ad Imperatorem appellavit. Interim Joannes Antiochenus quinto die, quasi ex condicto, cum suis Ephesum adveniens, legatis sibi obviis per Comitem Irenaeum caeterosque, qui cum ipso erant, plagas inferri permisit, indictoque suis in aedibus 43 Episcoporum conciliabulo, depositionis sententiam dixit adversus S. Cyrillum et Memnonem Ephesiorum Episcopum, ut pro deposito Nestorio redderet vices. — Interea Coelestini Papae Legati, Arcadius videlicet, et Projectus Episcopi, et Philippus Presbyter Ephesum pervenerunt, qui lectis in secunda et tertia sessione Coelestini litteris, acta Synodi in causa Nestorii approbarunt. In quarta et quinta sessione Patres Joannem Antiochenum ter frustra citatum una cum complicibus excommunicarunt. In sessione sexta definitio fidei a Symbolo Nicaeno incipiens lecta, Impiumque Theodori Mopsuesteni Symbolum damnatum. In sessione denique septima examinatae plures controversiae privatae, sex porro canones conditi adversus Pelagium et Coelestinum, nec non adversus Nestorium ejusque fautores, damnati etiam Messaliani. — Imperator, a Candidiano fraudibus circumventus, per Joannem Comitem litteras Ephesum misit, quibus Nestorii, Cyrilli et Memnonis depositionem approbavit, Nestorium Candidiano Comiti, Cyrillum et Memnonem Jacobo Comiti custodiendus tradidit, ut omnes praecaverentur turbae. Quo facto Synodus commota

literas arundine inclusas, per fidelem hominem sub mendici habitu latentem, ad Imperatorem dedit, quibus flagitabat, ut Cyrillus et Memnon libertati restituerentur. Imperator utriusque partis legatos Chalcedonem venire jussit, quibus auditis decreta Synodi Ephesinae approbavit, Nestorium depositum Oasim in Lybia exulem misit, ejus libros flammis devovit, assecli conventicula prohibuit, ita factum est, ut Nestoriani ex Imperio Graecorum migrarent, et in Orientis provinciis, praesertim in Persia considerent (a).

§. 21. *Nestorianorum reliquiae.*

Inter eos, qui in Persiam se contulerunt, erat Barsumes unus magistrorum ex schola Edessena a Rabula Episcopo pulsorum, qui a. 435 Episcopus Nisibenus creatus est. Is postquam apud Regem Persarum effecit, ut catholici regno pellerentur, Nestoriani autem jure civitatis donarentur, suam sectam eo successu propagavit, ut Archiepiscopatus Ctesiphontensis et Seleuciensis in manus Nestorianorum venirent. Tandem Nisibae scholam erexit, ex qua prodiere illi viri, qui haeresim Nestorii per Syriam, Arabiam, Indiam, Sinam, Ægyptum, et Mesopotamiam disseminarunt, sedes ibi suas in hanc diem fixuri (b).

§. 22. *Eutychiani.*

Nestorio se opposuit Eutyches, Archimandrita Coenobii Constantinopolitani, ast cum errorem sui adversarii radicitus evellere conaretur, ipse in haeresim deteriorem incidit, asserens, in Incarnatione Filii Dei naturam humanam a divina absorptam, unde fluebat vel Deum passum, vel Christum apparenter mortuum fuisse, hanc perversam doctrinam sparsit in libro *Tomo* dicto, cui se opposuit Eusebius Doryleensis Episcopus, auctoremque frustra monitum ad Flavianum Constantinopolitanum Praesulem detulit, qui indicta a. 449 Constantinopoli Synodo, Eutychetem citavit. Verum morbum et senectam praetexens ad Synodum venire noluit, tandem post tertiam citationem, turbolentissimis monachis et militum manu stipatus, quos Chrysaphius eunuchus illi praebuerat, comparuit. Quum palinodiam canere recusaret, a Patribus fuit munere suo privatus et excommunicatus. Eutyches vero a Synodi sententia ad Romanum Pontificem Leonem M. appellavit, qui a Flaviano certior factus celeberrimam Constantinopolim misit epi-

(a) Harduin. Concil. T. I. (b) Assemani Biblioth. Orient. T. III.

stolam, in qua doctrinam de Incarnationis mysterio clare exposuit, et Eutychetis errores conflixit. Pontificem sibi contrarium expertus, opera Chrysaphii obtinuit, ut iidem Episcopi novam Synodum eodem anno Constantinopoli celebrarent, qui prioris Concilii sententiam approbarunt. Entyches iterato damnatus non quievit, sed apud Theodosium II. Imperatorem per amicos suos effecit, ut Synodus generalis celebraretur (*a*).

§. 23. *Latrocinium Ephesinum.*

Haec Synodus habita fuit Ephesi a. 449, ad quam comparnerunt 130 Episcopi. Leo Papa, ne Imperatoris voluntati refragari videretur, legatos suos Julium Episcopnm, Renatum Presbyterum et Hilarium Diaconum Ephesum misit. Dioscorus Episcopus Alexandrinus, et Eutychetis fautor, consentiente Imperatore, non solum non permisit, ut Legati Leonis epistolam perlegerent, verum etiam Episcopis, qui in Concilio Constantinopolitano Eutychetem damnaverant, jus suffragandi ademit: ita factum est, ut Eutyches absolveretur, snisque dignitatibus restitueretur, Flavianus vero, Eusebius DorylEensis deponerentur. His primitiis turpior accessit violentia. Ad nutum Dioscori irruerunt in Ecclesiam milites et Monachi, gladiis et fustibus armati, et Episcopos sententiae a Dioscoro latae subscribere coegerunt; renuentes fuerunt depositi et carceri mancipati. Omnium autem indignissime habitus fuit S. Flavianus, quem Dioscorus et Barsumas calcibus et verberibus ita affecerunt, ut tertio post die dolore plagarnm mortuus fuerit. Quia more latronum egerunt Synodus baec dicta fuit *latrocinalis*, vel *latrocinium Ephesinum*. Leo Pontifex certior factus Pseudo-Synodum damnavit. Mortuo Tbeodosio II., Eutychianorum fautore, Leo M. apnd Marcianum, qui Pulcheriam Theodosii sororem in matrimonium duxit, et imperio potitus est, pro alio generali Concilio institit, quo damna latrocinalis Synodi omnia resarcirentur (*b*).

§. 24. *Concilium Chalcedonense. Generale IV.*

Marcianus, ut desideriis Leonis Pontificis satisfaceret, anno 451 Concilium generale Chalcedone in Tbracia celebrandum indixit, ad quod comparuerunt 630 Episcopi, fere omnes ex

(*a*) Evagrius l. 1. H. E. c. 9., Liberatus Breviar. c. 11., ep. Flaviani.
(*b*) Harduinus Conc. T. I. p. 82., Liberatus Brev. c. 11., Leonis M. ep. 93. etc.

Oriente. Praesidium tenuere Paschasius et Lucentius Episcopi, Bonifacius et Basilius Presbyteri, Romanae Sedis Legati. In primis Patres acta Synodi latrocinalis irrita et nulla declararunt, et praepotentem Dioscorum ob admissa crimina munere suo deposuerunt, quem Marcianus Imperator in Paphlagoniam relegavit, deinde legerunt Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, litteras Cyrilli, et epistolam Leonis M. ad Flavianum, Synodo acclamante: « Petrus per os Leonis locutus est; Apostoli ita docuerunt; anathema ei, qui non credit. » Quibus peractis Patres contra Eutychianos, vel Monophysitas solemniter decreverunt: « Christum Dominum duas habuisse naturas, divinam et humanam in una divina persona, sine proprietatum permixtione. » Item Synodus seorsim adegit ad anathema dicendum Nestorio et Eutycheti illos Episcopos, quorum fides erat suspecta, nimirum Theodoretum Cyrensem et Ibam Edessenum, quod etiam praestiterunt. Acta hujus Synodi, excepto canone 28, quo Episcopo Constantinopolitano secundus locus in hierarchia Ecclesiae asserebatur, approbavit Leo M. Pontifex. Marcianus vero Imperator gravissimas poenas statuit in eos, qui haeresim Eutychetis propagarent (*a*).

§. 25. *Eutychianorum post Concilium turbae.*

Eutychiani seu monophysitae post Concilium variis in locis turbas excitarunt, conclamantes in Concilio Chalcedonensi doctrinam Catholicam damnatam fuisse. Sic Monachi Palaestinae, quibus favebat Eudoxia Theodosii II. vidua tunc Hierosolymis degens, Juvenalem Episcopum Hierosolymitanum, fidem catholicam ejurare nolentem deposuerunt, ejusque in sedem Theodosium suae factionis ducem intruserunt. Aliam seditionem excitarunt Alexandriae, ductore Timotheo Aluro monacho, qui armis et vi aperta sedem occupabat episcopalem, deturbato inde Proterio, et intra Baptisterium confosso. Is quidem Imperatoris Leonis mandato postea in exilium missus est, substituto in ejus locum Timotheo Solofaciolo, verum a Basilisco tyranno Alexandriam est revocatus in Ecclesiae, fideique summam perniciem. Post hujus mortem Monophysitae Petrum Moggum Episcopum crearunt, Catholici vero Timotheum Solofaciolum elegerunt. Zeno Imperator Petrum Moggum exulare jussit. Timotheo defuncto a. 482 orthodoxi Joannem Talaja successorem dederunt, qui cum Zenoni Imperatori displiceret, et Acacio Patriarchae Constantinopolitano invisus esset, sedem Petro Moggo cedere est coactus; ita plerumque illa

(*a*) Harduin. Conc. T.II. p. 82., Mansi T. IV., Evagrius L. 1. c. 2.

factio praevaluerit, cui vel Imperator, vel potens aliquis minister patrocinabatur. Per Syriam Eutychetis errores sparsit Barsumas Abbas, inter cujus discipulos eminebat quidam Samuel, in vicinia Armenia eadem provincia functus. Iisdem temporibus gravissimam seditionem excitavit Antiochiae Petrus Gnaphaeus seu Fullo adversus ejusdem Ecclesiae Antistitem Martyrium, cujus ille sedem invasit. Declamavit continuo contra Synodum Chalcedonensem, tantoque zelo errori de una in Christo natura inhaesit, ut celeberrimo Trisagio:« Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, » addiderit, « qui crucifixus est pro nobis. » Quae formula cum significaret, Deum in crucem actum fuisse, ejus defensores dicti sunt Theopassitae (*a*).

§. 26. *Henoticon Zenonis.*

Discordiis finem impositurus Zeno Imperator, suadente, imo dictante Acacio Episcopo Constantinopolitano, a. 482 decretum unionis proposuit, ἑνωτικὸν dictum (a greca voce ἕνωσις, unitas), in quod Catholici perinde ac Monophysitae consentirent. In hoc edicto Imperator commendat fidem, quae in Conciliis Nicaeno, Constantinopolitano et Ephesino confirmata fuerat, approbat duodecim anathematismos S. Cyrilli, Nestorium et Eutychetem condemnat, Synodum tamen Chalcedonensem, fideique definitionem in eo editam, nec non epistolam Leonis M. ad Flavianum silentio premit. Huic pacis formulae subscripserunt quidam Monophysitarum proceres, uti Petrus Moggus, Patriarcha Alexandrinus, Petrus Fullo, Patriarcha Antiochenus, et Acacius Praesul Constantinopolitanus: ast eam rejecerunt cum fervidiores Catholici aegerrime ferentes, quod nulla Synodi Chalcedonensis et epistolae Leonis M. facta fuerit mentio, tum crassiores Eutychiani, quia Concilium Chalcedonense aperte non damnabatur. Hi a ceteris, qui Henoticon subscripserant, se disjunxerunt, Acephalorum propterea nomen sortiti, et in alias deinde sectas divisi. Interim Zeno et Acacius Henoticum suum etiam vi adhibita omnibus in Oriente obtrudere conabantur. Quo audito Romanus Pontifex Felix II., missis Constantinopolim legatis, postulavit ut Chalcedonensis Concilii auctoritas restitueretur, Petrus Moggus deponeretur et ab Acacio anathematizaretur, Joannes vero Talaja, qui cum pluribus aliis Romam confugerat, sedi suae restitueretur. Quae cum Pontifex impetrare non posset, Acacium in Concilio a. 484 Romae habito excommunicavit, qui ut par pari redderet nomen Pontificis e dyptichis expun-

(*a*) Evagrius l. 2. et 3. H. E. c. 5. 8. 20.

xit. Mortuo Zenoni anno 491 successit Anastasius, qui depositis Catholicis, sedes episcopales Monophysitis contulit, trisagium Fullonis publice decantari jussit, et Concilium Chalcedonense damnavit; quare populus talem concitavit seditionem, ut statuae Imperatoris dejicerentur et de alio Imperatore eligendo ageretur. Periit Anastasius fulmine tactus in suo palatio anno 518. Post illum ad solium Imperiale evectus est Justinus I., qui abrogato Zenonis edicto, Concilium Chalcedonense approbavit, Episcopos ab exilio revocatos sedibus suis restituit, et orientalis Ecclesiae cum Romana communionem redintegravit. Sub hujus Imperio, quidam Monachi Scythae Constantinopoli coram Romanae Sedis Legatis defendebant, dici debere: « Unum de Trinitate passum et crucifixum, » hancque loquendi formulam necessariam esse ad evertendas Nestorianorum versutias. Cum Legati iisdem resisterent, scripserunt ad Hormisdam Pontificem, qui illam formulam tanquam novam et minus necessariam rejecit. Scythis Monachis se quoque opposuere Monachi Acaetae (ἀκοιμάω, insomnis), qui cum Nestorianismum renovarent a Joanne II. Papa sacrorum communione fuerint exclusi. Ceterum Scytharum propositio cum a Concilio Constantinopolitano II, tum a S. Fulgentio Ruspensi fuit approbata (*a*).

§. 27. *Sectae ex Eutychianismo ortae.*

Ex Eutychianismo sequentes sectae ortae sunt: 1. Corrupticolarum, qui duce Severo Monacho, et Antiocheno Monophysitarum Episcopo deposito, docebant Christi corpus indigentiis, doloribus et corruptioni obnoxium fuisse; 2. Incorrupticolarum seu Phantasiastarum, qui Julianum Halicarnassensem sequuti, contrariam tuebantur sententiam, et Christo corpus immaginarium adscribebant; 3. Agnoetarum (αγνοῖς, inscitia), qui post Themistium Diaconum Alexandrinum asserebant, Christum in quibusdam ignorantia laborasse; 4. Tritheistarum, qui principiis Joannis Philipponi Philosophi Alexandrini inhaerentes, tres singulares divinas naturas statuebant. Ne tota Monophysitarum secta hisce intestinis scissionibus, et Imperatorum persecutionibus interiret, Jacobus, Monachus Syrus, postea Episcopus Edissenus, per 37 annos sub veste mendici, unde Syriace Zanzalus, Arabiae Baradaeus cognominatus fuit, ad omnes Monophysitarum coetus profectus est, Episcopos, Presbyteros et Diaconos ubique ordinavit, diverse sentientes ad mutuam saltem pacem promovit, novamque hierarchiam

(*a*) Evagrius l. c., Liberatus Brev. c. 18.

stabilivit. Ejus asseclae dicti sunt Jacobitae, Copti, Ægyptii, Lybiae ac Nubiae incolae, quibuscum Æthiopica Ecclesia conjuncta est, solum Christiani nomen retinuerunt. Subacta anno 536 a Persis Armenia, Christiani Armeni in sua haeresi perseverarunt usque ad saeculum XV, quo haud mediocris eorum pars ad gremium Ecclesiae Catholicae rediit (*a*).

§. 28. *Lites Origenianae.*

De Origenis orthodoxia, post ejus mortem, diversa virorum doctorum judicia promulgata sunt. Alii Origenem damnabant; alii ab eo inepte dicta benigne interpretabantur; alii denique tanta veneratione illum prosequebantur, ut etiam, quae illius in scriptis occurrunt erronea, acerrime defenderent, et hi vocati sunt *Origenistae*. Hos inter eminebant Monachi Nitrienses in Ægypto, quos Theophilus Alexandrinus Episcopos excommunicavit, et suis Asceteriis dispulit. Cum omnis propemodum obstuperet Ecclesiae concertationibus, Anastasius I. Papa a. 400 Origenistas damnavit, cui damnationi ansam dedit lis inter S. Hieronymum et Rufinum orta propter versionem quatuor librorum Origenis de principiis (*περιαρχων*), quam S. Hieronymus fideliter, Rufinus vero fraudolenter adornaverat. Tardius novi motus exorti sunt inter Monachos Palaestinae, habitantes in nova et vetere Laura. Quidam enim ex illis in primis Nonus et Leontius Byzantinus, ex nimio et praepostero Origenis amore in quasdam viri hujus sententias liberiores inciderunt. Iis insigniter favebant Theodorus Ascidas Caesareae in Cappadocia Episcopus, et Domitianus Ancyranus. Antistites quidam utriusque Laurae et Anachoretae, potissimum Sabas, Cyriacus, Joannes Silentiarius, aliique huic morbo grassanti salubribus mediis occurrere sunt conati; verum audaciores sodalium suorum simplicitate abusi sectam suam usque adeo propagarunt, ut brevi tempore in numerum excreverint ingentem, et dissentientes Sabaitarum cognomine, a Saba Abbate insigniverint. Excitatis sic in Sabae Laura magnis tumultibus, Palaestini quidam Monachi, inservientibus insuper Pelagio Sanctae Sedis Apocrisario, et Menna Constantinopolitano Praesule, libello contra Origenem, ejusque fautores ad Justinianum Imperatorem detulerunt. Justinianus, qui lubenter Religionis negotia tractabat, misso ad Mennam Patriarcham decreto, Origenem, ejusque errores praecipuos damnavit, cui Mennas, Pelagius, Vigilius Pontifex aliique Antistites subscripserunt a. 544. In commemorato decreto

(*a*) Evagrius l. 4.

sequentes errores damnabantur : 1. Pater Filio, et Filius Spiritu Sancto major est. 2. Rerum genera Deo sunt coeterna. 3. Plures jam ante praesentem mundi extiterunt, et alii post eum sunt futuri. 4. Animae humanae sunt naturae rationales, ob peccata olim commissa in corpora detrusa. 5. Sola anima Christi immunis perstitit a peccato, et propterea Verbo uniri meruit. 6. Corpora humana post resurrectionem figuram rotundam habebunt. 7. Impiorum et diabolorum poenae aliquando cessabunt. Nonnulli contendunt, ab ipsa Synodo V. damnationem iteratam fuisse *(a)*.

§. 29. *Controversia de tribus Capitulis.*

Ex litibus Origenianis orta est controversia de tribus Capitulis, quorum nomine intelliguntur famosa Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis Episcopi scripta, et epistola Ibae ad Marim Persam. Cum enim Theodorus Ascidas Episcopus Caesareensis in necessitatem inductus fuisset Justiniani edicto subscribendi, is tacito pectore coquens dolorem, ut damnatis Origenis manibus parentaret, ac de Pelagio Apocrisario ultionem repeteret, Constantinopolim solavit, et Imperatori de reducendis ad sinum Ecclesiae Acephalis cogitanti persuasit, Acephalos unionem cum Catholicis respuere, quia Concilium Chalcedonense supradicta tria capitula pulvere Nestoriano conspersa non condemnavit. Hisce igitur condemnatis futurum fore, ut Acephali Concilii Chalcedonensis auctoritatem admittant, et ad Sanctae Matris Ecclesiae sinum revertantur. Hoc consilium Theodori Justinianus, de pace Ecclesiae procuranda sollicitus, ambabus ulnis est amplexus, et a. 545 edictum promulgavit, quo supranominata tria Capitula proscripsit. Huic edicto subscripsere Mennas Praesul Constantinopolitanus, Patriarcha Antiochenus et Patriarcha Hierosolymitanus. At Stephanus Romanae Sedis legatus huic edicto palam restitit. Non obstante Legati resistentia Imperator edictum in Occidentem misit, ut ab Episcopis subscriberetur. Cum vero Praesules Africae, Galliae, Hispaniae, Italiae et Illyrici id recusarent, Justinianus Vigilium Papam Constantinopolim invitavit, ut ejus auctoritate edictum muniretur, et Pontificis exemplo, renuentes ad subscribendum inducerentur. Vigilius Constantinopoli ab initio tria Capitula damnare noluit, et Mennam Patriarcham a sua communione separavit; verum restituta mox Imperatricis Theodorae interventu concordia, Synodum 70 Episcoporum coegit.

(a) Evagrius l. 4. H. E., Harduin. Conc. T. III.

Sed cum in ea res ex voto ei haud succederet, celebre *Judicatum* edidit, in quo tria Capitula damnavit, adjecta sequenti clausula: « salva in omnibus Concilii Chalcedonensis auctoritate *(a)*. »

§. 30. *Dissidia inde exorta.*

Hoc temperamento Vigilius arbitratus est, utrique parti se fecisse satis, Graecis quidem, quod tria Capitula condemnasset, Latinis, quod salva Synodo Chalcedonensi id se fecisse testaretur. Spes tamen illum fefellit. Quamprimum enim Occidentales illius Judicatum legerunt, totis sese opposuerunt viribus, contendentes auctoritatem Concilii Chalcedonensis cum trium Capitulorum condemnatione illaesam permanere non posse. Has turbas compositurus Vigilius suum Judicatum revocavit, et apud Imperatorem pro Synodi Generalis celebratione institit, qui annuit quidem, at de loco convenire non potuit, siquidem Vigilius in Italia, Imperator Constantinopoli eam cogere volebat. Vicit tamen Imperatoris voluntas. Cum Episcopi ex solo Oriente Constantinopolim venissent, et Vigilius ob defectum Episcoporum Occidentalium Synodum agere recusaret, Imperator morae impatiens a. 551 novum edictum fecit et valvis Ecclesiae affigi jussit, quo denuo tria Capitula damnavit, contravenientesque diris devovit. Vigilius vero non solum Ecclesiam interdicto subjecit, sed etiam anathema dixit illis, qui Imperatoris edicto morem gererent. Ad hoc Imperator efferbuit adeo, ut Vigilium comprehendi et custodiae mancipari demandaret. Pontifex fugit in Ecclesiam S. Petri, inde Chalcedonem, ubi in templo S. Euphemiae delituit. Imperator mitior factus spectatissimam legationem ad Vigilium misit, qua eum ad Synodum Oecumenicam Constantinopoli celebrandam invitavit, quod etiam ex voto illi successit *(b)*.

§. 30. *Concilium Constantinopolitanum II., Generale V.*

Concilium hoc celebratum fuit a. 553, ad quod comparuerunt, praeter Legatos Patriarcharum Orientalium, 165 Episcopi, omnes ex Oriente, paucis Africanis exceptis. Praesidium tenuit in Concilio Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, et octo sessionibus absolutum fuit. In prima et secunda sessione Patres et Imperator honorificam miserunt ad

(a) Evagrius l. 4. H.E., Theophanes Chron., Facundus Hermian L. IV. c. 4. (b) Mansi T. IX.

Vigilium legationem, qua eum ad Concilium invitarunt; at Vigilius morbum et paucitatem Episcoporum Occidentalium praetendens comparere quidem noluit, attamen promisit, se intra breve tempus mentem suam declaraturum. Reapse sententiam ad Synodum misit, eamque *Constitutum* nominavit, ut a *Judicato* discerneretur, qua Theodori Mopsuesteni scripta quidem damnavit, ejus vero personae pepercit, simulque praecepit, ut nemo aliter judicaret, quam ipse judicavit. In sessione tertia Patres omnes haereticos a laudatis quatuor Conciliis damnatos, anathemate percusserunt. In sessione quarta causam trium Capitulorum discusserunt. In sessione quinta definiverunt etiam defunctos vinculis anathematis alligari posse. In sessione sexta examinata fuit epistola Ibae ad Marim Persam, et erroris convicta. In sessione septima lecta fuere plura scripta Vigilii. In sessione demum octava Synodus sententiam definitivam adversus tria Capitula protulit, subjectis 14 anathematismis, quibus Theodorus quidem Mopsuestenus cum scriptis configitur, Theodoreti vero et Ibae sola scripta, intactis eorum personis damnantur. Origenis quoque causam tractatam et condemnatam fuisse, complures testantur. Decreta hujus Synodi temporis progressu et Vigilius et ejus in Pontificatu successores approbarunt. Nihilominus Episcopi Occidentales, praesertim Galliae, et Hispaniae nulla ratione eo adduci potuere, ut decreta Synodi hujus reciperent. Episcopi vero Liguriae, Venetiarum et Istriae, duce Paulino Metropolita Aquilejensi, anno circiter 557 Synodum celebrarunt, a Romani Pontificis communione se separarunt, et Schisma conflarunt, quod Pelagius I. et Pelagius II RR. PP. frustra extinguere sunt conati. Post varia denique rerum discrimina Gregorius M. rem eo adduxit, ut schismatici ad Ecclesiae unitatem, et Sedis Apostolicae communionem redirent (*a*).

§. 32. *Haereses saeculi VII. et VIII. Monothelitae.*

Omnes Catholicorum conatus, Monophysitas ad unitatem fidei revocandi, non tantum fuerunt inanes, verum etiam novis de una vel duplici in Christo voluntate certaminibus ansam praebuerunt, qui unam in Christo voluntatem admittebant, ***Monothelitae*** (a graecis vocibus **μονος**, solus, **θελημα**, voluntas) dicti sunt. Primi hujus sectae auctores erant Paulus in Armenia Episcopus, Athanasius Jacobitarum Patriarcha, Theodorus Pharanensis in Arabia Praesul, et Cyrus Phasidis Antistes, Monophysitarum doctores qui Heraclio Imperatori sua-

(*a*) Harduin, t. 3. p. 1.

serunt, doctrinam de una in Christo voluntate esse unicum medium Eutychianos ad sinum Ecclesiae Catholicae perducendi. Imperator metuens ne Eutychiani cum Persis, quibuscum bello implicitus erat, se conjungerent, a Sergio etiam Constantinopolitano Patriarcha instigatus, hanc doctrinam adoptavit, et promulgata a. 630 lege, duas in Christo praedicare voluntates prohibuit. Sine turbis res aliquandiu agebatur. Verum tenues scintillae a. 630 in magnum eruperunt incendium, cum translatus ad sedem Alexandrinam Cyrus, specie unionis Acephalorum cum Ecclesia, in urbis suae conciliabulo doctrinam de una voluntate et operatione vindicaret, proposita in novem capitulis unica operatione θεανδρικῆ seu deivirili. Huic conciliabulo restitit S. Sophronius simplex adhuc Monachus, qui renascentem Eutychianismum metuens, quum decreti synodalis abrogationem frustra petiisset, Constantinopolim profectus est ad Sergium, ut per ipsum Cyro obicem poneret, at eum Cyro consentientem deprehendit. Sergius praevidens, Sophronium rem ad Sedem Apostolicam delaturum, ipse ad Honorium Pontificem litteras dedit, quibus subdole significabat, Cyrum doctrina de una in Christo operatione Eutychianos ad sinum Ecclesiae Catholicae perduxisse, et solum quemdam Sophronium huic doctrinae se opposuisse. Sophronius ex Monacho Hierosolymorum Episcopus inauguratus, ibidem Synodum celebravit, in qua Monothelismum anathemate percussit, actaque Synodi non solum ad Sergium, verum etiam per Stephanum Doreensem Antistitem suum suffraganeum ad Honorium Pontificem misit, qui litem compositurus, duas ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum epistolas scripsit, in quarum prima docet: Unam in Christo praedicandam esse voluntatem, cum Christus naturam humanam non autem culpam sumpserit: in altera vero asserit, nos confiteri oportere Christum in utrisque naturis operantem. Hae duae epistolae Honorium ab omni haereseos labe purgant *(a)*.

§. 30. *Ectesis Heraclii.*

Hisce litteris abusus Sergius fidei formulam sub Ἐκθέσεως (Ectesis, fidei expositio) nomine composuit, et Heraclio porrexit, ut eam suo nomine et auctoritate fultam vulgaret ad tollenda dissidia. In hac fidei formula Nestorianus dicebatur, qui duas in Christo praedicaret voluntates, et ferebatur sententia excommunicationis in laicos, depositionis vero in Clericos, qui unam vel duas in Christo voluntates publice defen-

(a) Baron. Annal. t. 8. p. 345., Harduin. T. III.

derent. Quam ob rem Severinus Honorii successor Ectesin Heraclii damnavit. Mortuo Sergio in Patriarchatu Constantinopolitano successit Pyrrhus, qui eo audaciae pervenit, ut publice unam in Christo voluntatem praedicaret, asserens hanc esse Honorii Papae doctrinam in ejus epistolis contentam. Joannes IV a. 642, coacta Romae Synodo, Monothelitarum haeresim ac Ectesim proscripsit, datis ad Constantinum Heraclii filium litteris, quibus Honorii orthodoxiam vindicavit. Hujus in Pontificatu successor Theodorus, convocatis ad sepulchrum principis Apostolorum Episcopis et Clero, Pyrrhum excommunicavit ac deposuit a. 646. Cum Martina, secunda Heraclii uxor, ut ad Imperatoris dignitatem filium suum Heracleonem elevaret, Constantinum veneno sustulisset, talis populi seditio orta est, ut Martinae lingua extracta, Heracleoni nasus abscissus fuerit, Pyrrhus vero, criminis particeps, ad salvandam vitam in Africam fugere debuerit, ubi a S. Maximo Abbate ad canendam palinodiam fuit perductus. Sed non multo post, spe recuperandi Patriarchatum Constantinopolitanum allectus, ad ingenium rediit *(a)*.

§. 34. *Typus Constantis.*

Sublato a vivis Constantino, imperii gubernacula capessivit ejus filius Constans II, qui an. 648, auctore Paulo Patriarcha Constantinopolitano, novum promulgavit pacis edictum sub nomine *Typi*, quo non tantum Ectesis est abrogata, verum etiam utrique parti disputanti silentium indictum, severissimis poenis in eos statutis, qui huic edicto obtemperare noluerint. Imperator suum Typum misit Romam ad S. Martinum I pro confirmatione; ast Summus Pontifex, convocata an. 649 Romae 105 Episcoporum Synodo, non solum Monothelismum ejusque sectatores Sergium, Pyrrhum, Paulum, Cyrum aliosque; verum etiam Heraclii Ectesim, Typumqne Constantis damnavit. Quam ob rem S. Martinus, imperatoris jussu fuit comprehensus et in exilium deportatus, in quo inter aerumnas ad praemia laborum suorum evolavit an. 654. Constans, interfecto fratre Thodosio, ut ejus umbram sanguinis poculum sibi propinantem evitaret, venit Syracusas, ubi ab Andrea cubiculario in balneo confossus misere periit *(b)*.

(a) Harduin. T. III. p. 791., Mansi T. X. p. 709., Acta S. August.
(b) Harduin. l. c.

§. 35. *Concilium Constantinopolitanum III. Generale VI.*

Post mortem Constantis Constantinus Pogonatus (πωγον barba) superato Mizizio, qui Occidentis imperium usurpaverat, summa rerum potitus est. Is litteras dedit ad Domnum R. P., quibus postulabat, ut legatos mitteret Constantinopolim. Domni successor Agatho, perlectis Imperatoris epistolis, Synodum egit Romae 125 Episcoporum, in qua doctrina catholicorum explicata, et constabilita fuit adversus errores Monothelitarum. Sententiam synodalem una cum litteris Agatho misit ad Constantinum per suos legatos Joannem Portuensem, Abundantium Paternensem et Joannem Regiensem Episcopos, qua percepta, imperator Concilium Generale indixit Constantinopoli celebrandum an. 680. Comparuerunt ad Concilium 166 Episcopi, primarii aulae comites, et ipse imperator, ceu fidei defensor et externi ordinis moderator. Sub exordium agendi Agathonis Papae legati ad imperatorem conversi declarabant, Monothelitarum doctrinam esse haereticam a Romana Sede damnatam. Dein imperator mandabat, ut si quis Episcopus Monothelita adesset, causam totius familiae oraret. Nec mora, Macharius Antiochenus Praesul, in favorem suae haeresis varia Patrum testimonia in medium protulit; at facta codicum collatione fraudis et mendacii fuit convictus, sua dignitate depositus et excommunicatus. Quo facto Georgius Patriarcha Constantinopolitanus, una cum Episcopis sibi subjectis fidem catholicam professus est. In sessione demum decimaseptima Patres damnarunt Sergium, Cyrum, Pyrrhum, omnesque asseclas eorum, et decreverunt: « duas esse in Christo voluntates, duasque operationes, divinam et humanam, hancque divinae per omnia subditam et consentientem. » Acta hujus Synodi approbavit Leo II, Agathonis successor (a).

§. 36. *Synodus Trullana. Maronitae.*

Acta Concilii Constantinopolitani III fuerunt etiam approbata a. 240 circiter Episcopis in Synodo Trullana seu Quinisexta sub Justiniano II Constantini Pogonati filio, in qua Synodo Antistites congregati condiderunt 102 canones, quos tamen, ob disciplinae discrepantiam, Ecclesia Romana nunquam approbavit. Philippus Bardanes, qui an. 711 per seditionem ad dignitatem imperialem pervenit, acta Concilii Oecumenici sexti comburi jussit, edictum de praedicanda una in Christo voluntate promulgavit, et contravenientes in exi-

(a) Harduin, Mansi ll. ec.

lium misit. At ejus in imperio successor Anastasius II, catholicae fidei cultor eximius, omnia pristino statui restituit. Ita factum est, ut plures Monothelitae dato tergo, vestigia verterent, in Phoeniciae provincia circa juga Libani et Antilibani, sua domicilia figerent, et cum indigenis peculiarem sectam conflarent, a Joanne Marone qui primus fuerat eorum Episcopus, *Maronitae* dicti. Sub proprii Patriarchae ductu manserunt ab Ecclesia fidelium separati usque ad tempus cruciatarum expeditionum *(a)*.

§. 37. *Adoptiani.*

Adoptianorum nomen inditum fuit illis qui asserebant Christum secundum humanam naturam esse filium Dei adoptivum. Auctor hujus haeresis fuit Felix Urgelitanus in provincia Narbonensi Episcopus, qui an. 783 ab Elipando Toletano Archiepiscopo interrogatus, quid sentiendum circa Jesu Christi filiationem, respondit: « Christum secundum naturam divinam verum et proprium filium Dei esse, et secundum naturam humanam esse filium Dei adoptivum. » Cum huic errori Elipandus assensum praeberet, perplures in Gallia, in Hispania et Italia eidem adhaeserunt. Hanc haeresim statim in suo exordio damnavit Hadrianus I in Synodo Romana an. 785. Fuit quoque damnata in Conciliis Ratisbonense (792), et Francofordiense (794) sub Carlo M. celebratis. Eandem sententiam tulit Leo III in Synodo an. 799 Romae habita. Sed cum harum Synodorum decretis cedere Felix noluerit, tandem eodem anno Aquisgrani in novo conventu, rationibus doctissimi Alcuini victus, palinodiam cecinit, non tamen sincere; quare a Carolo M. in exilium missus fuit, in quo usque ad obitum in errore perseveravit *(b)*.

§. 38. *Adalbertus et Clemens.*

Anno circiter 744 in Francia et Germania turbas excitarunt Adalbertus natione Gallus, Episcopus sine sede, et Clemens patria Scotus, plebem christianam passim seducentes, et Bonifacio Germanorum Apostolo negotii multum facessentes. Adalbertus epistolam vulgavit, tanquam e coelo sibi transmissam, ignotorum Angelorum domina invocavit, semetipsum Apostolis Christi comparavit, cruciculas et oratoria suo nomini dedicata in campis erexit, ungues et capillos suos ceu

(a) Libell. Synod. c. 137. in Fabricii Bibl. graec. T. XI., Assemani Bibl. Orient. (b) Alcuinus Opp. T. I., Mansi l. c.

mirabilium patratoris reliquias inter populum distribuit, cultum reliquiarum, peregrinationes ad limina Apostolorum, et Sacramentalem confessionem rejecit (a).

Clemens contra auctoritatem Ecclesiae Catholicae insurrexit, leges ecclesiasticas aeque ac scripta SS. Patrum, juraque synodalia sprevit, Christum Dei Filium ad inferos descendentem, omnes damnatos inde liberasse contendit, multaque horribilia de praedestinatione ad peccatum profudit.

Ambo viri, auctore Bonifacio, ad incitas redacti, haeresis convicti et in carceres conjecti sunt. Inde cum fuga fuissent delapsi, synodorum auctoritate proscripti sunt, et quidem Adalbertus in Synodo Suessionensi an. 745, uterque autem in Synodo Romana a Zacharia Pontifice anno sequenti habita (b).

§. 39. *Iconomachi, seu sacrarum imaginum impugnatores.*

Iconomachi dicti fuerunt illi, qui cultum sacrarum imaginum impugnarunt, a graecis vocibus Ικον, imago, μαχομαι impugno. Primum sacris imaginibus bellum indixit Leo III Isaurus, Orientis imperator, qui an. 726 decretum edidit de abolendo earum cultu. Imperatoris impium consilium probarunt Beser ejus minister apostata, et quidam Episcopi, quos inter emicuit Constantinus Nicoliensis sede sua a dioecesanis pulsus, et in aula imperatoris commorans. Eidem vero, qua potuit constantia, obstitit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, omnemque lapidem movit, ut imperatorem a concepta revocaret impietate; idemque fecerunt Gregorius II R. P., a Germano certior factus, atque Joannes Damascenus, qui Arabum Califae a consiliis fuit. Neque viri tantum singuli, sed integri coetus etiam sacrilegum Leonis ausum sunt detestati Constantinopoli, in insulis Cycladibus, Romae et in Provinciis Italiae, quae Graecis tum parebant. His tamen animus imperatoris adeo parum flexus fuit, quin potius an. 730, edito novo decreto, sub poena mortis omnes sacras imagines, veluti idola, per totum imperium auferri, deleri, dealbari ac comburi jusserit. Cum Germanus Patriarcha etiam huic edicto constanter resisteret, eum sua dignitate deposuit, et in ejus locum Anastasium substituit. Porro imperator imaginem Salvatoris a cruce pendentis, quae ad aeneam palatii portam in excelso loco diu steterat, auferri et destrui praecepit, qua occasione mulieres, Jovinum praetorianum, qui imaginem dejiciebat, subtracta scala in terram prostraverunt et foede

(a) Bonifacius ep. 135. (b) Harduin. T. III. p. 1951.

dilaniatum occiderunt; inde ad palatium patriarchale progressae, Anastasium propter consensum in imaginum destructionem conviciis prosciderunt, et propterea a militibus immissis occisae sunt. Eadem crudelitate Monasterium Studitarum una cum bibliotheca flammis absumi jussit. Quare populus regiae urbis praecipiti furore actus ingentem stragem edidit, tantoque tumultu omnia miscuit, ut militum caesareorum opus esset ad pacem conciliandam. Infelix hujus rei fama, cum pene totum circumvolaret orbem, Gregorius II R. P. Synodum Roma celebravit in qua impium Leonis imperatoris consilium, tanquam haereticum perstrinxit. Ita factum est, ut Itali Graecorum imperio subditi tumultuarentur, eorum Exarchos ac praefectos occiderent, et obedientiam imperatori debitam excuterent. Quominus alium sibi eligerent imperatorem Pontifex Gregorius II impedivit. Nihilominus imperator Pontificem, quod ejus decreta reprobasset, per suos belliduces interficere aut saltem comprehendere, sed frustra est conatus. Gregorius III, Gregorii II successor, indicta an. 701 Romae frequenti Synodo, Iconoclastas diris devovit. Quam ob rem Leo irae impatiens, instructa valida classe, bellum movit, omnesque proventus, qui Pontifici ex Calabria et Sicilia quotannis redibant, in suum aerarium retulit *(a)*.

Leonis Isauri vestigia pressit ejus filius Constantinus Copronymus, qui superato et punito Artabasdo, imperium recuperavit. Is ne in re adeo gravi suam aliis auctoritatem obtrudere videretur, an. 754 conciliabulum 338 Episcoporum Constantinopoli congregavit, in quo SS. imaginum cultus tanquam idololatriae actus fuit proscriptus. Cum tamen non deessent avitae fidei tenaciores, qui pro cultu SS. imaginum decertarent, eosdem imperator variis cruciatibus sustulit, in primis monachos delatos, quod sanctis coram imaginibus supplicassent, publica ignominia, dirisque suppliciis affecit, eorum domos, suppellectilem, libros divendidit, monasticum ordinem prorsus excindere satagens. Hisce auditis Stephanus III an. 769 Romae concilium indixit, in quo non solum acta conciliabuli Constantinopolitani rescidit; verum etiam et usum et cultum SS. imaginum approbavit.

Mortuo an. 775 Constantino Copronymo, Leo IV ejus filius regimen suscepit, qui, licet imaginum cultum adversaretur, primis tamen imperii annis, clementiorem se in iconodulos et monachos praebuit. Sed furorem postea prodidit in sacrarum imaginum cultores, cum in Irenes uxoris suae pul-

(a) S. Joannes Damasc.

vinari duas imagines deprebendisset. Jam enim irae habenas permittens, imperatricem repudiavit, plures aulicos de iconodulia suspectos in carcerem conjici, variisque poenis affligi jussit, in imaginum cultores atrociora forsan moliturus adhuc, nisi ardenti correptus febri, inter gravissimos dolores consumptus fuisset an. 780 (a).

§. 40. *Concilium Nicaenum II. Generale VII.*

Leone a viris sublato, imperatrix Irenes ejus uxor, quae Constantini VI impuberis filii regimen suscepit imperii, honorem sacris imaginibus restituit. Illa nimirum Paulo Patriarcha Constantinopolitano, qui se abdicaverat, substituit Tharasium, eximium imaginum cultorem, qui imperatori a consiliis fuerat, quo hortante imperatrix suo, et filii nomine literas dedit ad Adrianum I R. P., rogans, ut Constantinopolim venire dignaretur, Concilio praefuturus, aut Legatos mitteret, qui vices illius obirent. Adrianus Constantinopolim misit Petrum Archipresbyterum Ecclesiae S. Petri et Petrum Abbatem S. Sabae. Cum Synodus an. 786 Constantinopoli in Basilica Apostolorum collecta esset, praetoriani milites iconomachi seditionem excitarunt, quare eos imperatrix, praetextu suscipiendae in hostes expeditionis, ex urbe eductos exauctoravit, et Synodum Nicaenam in Bithynia transtulit, ad quam convenerunt 350 Episcopi, et orientalium sedium Legati una cum Tharasio regiae urbis Patriarcha. Aderant quoque Abbates et Monachi, atque Proceres ab imperatore missi. In hoc concilio, quod octo sessionibus absolutum fuit, Patres, perlectis Adriani Papae epistolis, Episcopos veniam petentes absolverunt, testimoniis Scripturae sacrae et Patrum SS. imaginum cultum et usum comprobarunt, acta conciliabuli sub Constantino Copronymo celebrati irrita et nulla declararunt, ac tandem definiverunt, sacris imaginibus honorem et venerationis cultum exhibendum esse. Qui vero huic decisioni subscribere recusarunt, anathemate fuere percussi. Quibus rite peractis, Tharasius Patriarcha, Missis ad Adrianum litteris, rerum in Synodo gestarum rationem reddidit; ejusque ratihabitionem petiit. Acta hujus Synodi Episcoporum Franciae acerbam contradictionem experta sunt. Carolus M. anno circiter 790 Episcoporum suae ditionis ea de re suffragia exquiri, colligi, litterisque mandari jussit. In lucem prodierunt quatuor libri Carolini, qui sententiam de imaginibus colendis repudiare videntur. Huic contrariae de-

(a) Theophanes, et Cedrenus. Hist.

cisioni probabilius ansam dedit aequivocum adorationis nomen a Nicaena Synodo usurpatum, quo Galli et Germani offensi facile sibi persuaserunt, a Nicaenis Patribus exigi latriae cultum soli Deo debitum. Ita etiam Concilium Francofordiense a Carolo M. an. 794 convocatum, canone secundo decreta concilii Nicaeni impugnavit, verum interveniente errore facti. Hadrianus certior factus, datis litteris, Carolo M. sensum illius aequivocae vocis exposuit, atque ita etiam in Francogallia decreta Synodi Nicaenae admissa fuere (a).

§. 41. *Schisma Meletianum.*

Non solum haereses, sed etiam schismata hac periodo Ecclesiae Catholicae multum nocuerunt. Anno circiter 306 Meletius Lycopolitanus in Thebaide Episcopus, cum in persecutione Diocletiani idolis sacrificasset, in Synodo a Petro Metropolita Alexandrino habita sua sede fuit depositus; quare ab obedientia sui Metropolitae se substraxit, et schisma fecit, quod ab auctore Meletianum dictum est. Synodus Nicaena, ut Meletianos ad Ecclesiae unitatem perduceret, lenissimo usa medio, statuit: ut Meletius in propria civitate maneret, nullamque haberet potestatem, vel cuiquam imponendi manus, vel quemquam ad munus ecclesiasticum deligendi, Episcopi tamen honorem retineret, qui vero a Meletio ordinati fuerant, in Ecclesiae communionem, et ad ministerii gradum admitterentur, ea tamen lege, ut inferiores essent ordinatis ab Episcopo Alexandrino; Clerus denique et populus, post mortem Episcopi legitime ordinati, illos Episcopos eligere posset, modo idonei viderentur, haecque electio Metropolita Alexandrino probata esset. Meletio Arius, ejusque fautores jungebantur; quibus cooperantibus Ecclesiae Agyptiacae unitas magis, magisque scissa fuit, donec tandem Meletianismus ab Arianismo potentiori absorberetur (b).

§. 42. *Schisma Antiochenum.*

Schisma, de quo sermo est, dictum fuit Antiochenum, quia Antiochiae originem suam habuit sequenti modo: Ariani S. Eustatium Praesulem Antiochenum Sabellianismi et adulterii falso accusatum deponi, et a Constantino M. in exilium mandari curarunt an. 330. Quo relegato Eudoxius, homo Arianorum sectae addictissimus, in ejus locum substitutus fuit. Translato autem ad sedem Constantinopolitanam Eudoxio,

(a) Harduin. T. IV. p. 1. (b) S. Athanasius ep. 2., Socrates l. 1. H. E. c. 7.

Meletius communi plurium ortodoxorum et Arianorum consensu anno 360 Ecclesiae Antiochenae Praesul eligitur, qui paulo post propter veritatis studium, duplici exilio mulctatus est, Ariani vero eidem suffecerunt Euzojum Arii discipulum. Hoc pacto Ecclesia Antiochena in tres partes scissa est, videlicet *Eustatianorum*, qui Eustatio constanter adhaeserunt, et Meletium respuerunt, quia in ejus electionem etiam Ariani votum dederant, *Meletianorum*, qui Catholici licet, Meletii partes tuiti sunt, denique *Arianorum*, qui pulso Meletio, Euzojum sequebantur. Exasperavit hoc malum, durante Meletii exilio, per mortem Constantii finito, praecipuus fervor Luciferi, Calaritani Episcopi. Qui an. 362 Antiochiam veniens, Paulinum Presbyterum e factione Eustatianorum intempestive ordinavit Episcopum, invitis caeteris, qui Meletio adhaerebant. Sepitum denique fuit ad tempus Ecclesiae hujus schisma, mutua Meletii et Paulini conventione, quae talis erat: ut alterutro defuncto, superstes cathedram Antiochenam occupet. Mortuo Meletio an. 381 poterat jam penitus tolli schisma, Paulino retento; sed Concilio Constantinopolitano I e re visum est, ordinare Flavianum, cui moriens Paulinus opposuit Evagrium a se ad Episcopi dignitatem an. 389 elevatum. Verum mortuo Evagrio, interventu S. Joannis Chrysostomi et Theophili Alexandrini composita tandem est controversia, atque ita factum, ut Flavianus Ecclesiae Antiochenae solus praeesset *(a)*.

§. 43. *Schisma Luciferi Calaritani.*

Novi Schismatis auctor et promotor fuit Lucifer Calaritanus in Sardinia Episcopus, qui cum videret ordinationem Paulini a se factam ab Episcopo Vercellensi improbari, et Synodi Alexandrinae (362) decretum de recipiendis Episcopis Arianis et Semiarianis ad Catholicam Ecclesiam reversis acerbissime ferret, in insulam Sardiniam secessit, et a Catholicorum communione se separavit. Schisma hoc, post auctoris mortem, longe lateque est grassatum per Italiam, Sardiniam, Hispaniam, Syriam et Aegyptum. Hilarius Romanae Ecclesiae Diaconus huic schismati haeresim addidit, docens, contra Luciferi sententiam, Arianos, ceterosque haereticos rebaptizandos esse *(b)*.

(a) Socrates l. 2. c. c. 34., Theodoretus l. 3. c. 4. 5. l. 5. c., 3. S. Epiphan. haer. 73., S. Hier. in Chron. ad an. 364., Tillemont. (b) Rufinus l. 1. c. 30, S. Hieron. in Chron.

§. 44. *Schisma Donatistarum.*

Viri quidam docti statuunt, quosdam a Mensurio Episcopo Carthaginensi se separasse, praetextu traditae ab eo in persecutione Diocletiani Scripturae sacrae. Exigua tamen et occulta fere initia fuisse oportet, secus enim majorem excitassent strepitum. Occasio proxima erat sine dubio electio Caeciliani in Episcopum Carthaginensem. Mortuo quippe an. 311 Mensurio Episcopo Carthaginensi, cum Caecilianus ejusdem Ecclesiae Archidiaconus in ejus locum eligeretur, et a Felice Aptungitano ordinaretur, Episcopi Numidiae conquesti, quod ad electionem non fuerint expectati, quidam Ecclesiae seniores, sacra vasa a Mensurio sibi concredita reddere nolentes, Botrus et Caelesius Presbyteri, qui eundem Episcopatum ambiebant, et spe sua frustrati fuerant, et potentissima matrona Lucilla Caeciliano infesta, communionem ejus aversabantur. Hi, ut schismati suo colorem aliquem oblinirent, Caeciliani electionem vitiosam esse confinxerunt, asserentes, Felicem Aptungitanum ejus ordinatorem fuisse librorum sacrorum traditorem, et Caecilianum qua Archidiaconum Confessoribus in carcere detentis alimenta denegasse. Has ob causas, convocatis an. 311 Carthaginem 70 Episcopis, qui traditionis crimine polluti, et a Lucilla argento corrupti erant, ordinationem Caeciliani irritam declararunt, et Majorinum Clericum Lucillae domesticum in sedem Carthaginensem intruserunt. Hoc pacto Ecclesia Africana bifariam scissa fuit, ita quidem, ut alii Caeciliani, alii Majorini partes sequerentur. Praecipuus hujus schismatis incensor fuit Donatus a Casis Nigris Episcopus, diversus tamen ab altero Donato, Majorini in Episcopatu successore, a quo secta appellari postea maluit. Cum autem Constantinus M. Caeciliano faveret, Schismatici per Anulinum Africae Proconsulem libellum supplicem ad imperatorem miserunt, petentes, ut judices ex Gallia a partium studio alienos ipsis daret. Constantinus rescripsit, ut decem Episcopi ex parte Caeciliani, et decem ex parte Donati Romam venirent, quibus Imperator tres Episcopos ex Gallia adjunxit. Anno igitur 313 in Synodo Romana, jussu Constantini M. celebrata, ad quam praeter supradictos etiam 15 Episcopi Italiae comparuerunt praeside Melchiade Pontifice, Donatus a Casis Nigris damnatus, Caecilianus vero ceu innocens absolutus fuit. Quam Synodi sententiam, quum sectatores detrectarent, de paucitate Episcoporum, de se haud plene auditis, de nulla facta inquisitione in delictum Felicis Aptungitani conquesti, imperator an. 314 Arelate novam Synodum indixit, cui interfuerunt Legati Romani Pontificis

et 200 Episcopi ex Italia, Gallia et Hispania, in qua Synodi Romanae sententia fuit confirmata. Verum Donatistae decisioni huic non acquieverunt; quam ob rem Constantinus anno 316 eosdem ad Synodum Mediolanensem venire jussit, in qua postremo damnati sunt, Caecilianus vero absolutus. Cum tot judiciis jam essent convicti et superati, Constantinus sententiam capitis in refractarios tulit; quam tamen poenam exilio et Basilicarum privatione postea commutavit; imo tardius etiam ab exilio eos revocavit. Constantini M. indulgentia abusi Donatistae, inita cum Circumcellionibus, qui eorum quasi milites erant, societate, universam Africam rapinis, incendiis, caedibusque depopulati sunt. Mortuo Constantino M., Constans ejus filius, cui Africa obtigerat, anno 348 Paulum et Macharium in Africam legatos misit, ut dissidentes ad concordiam revocarent. Cum vero Schismatici, duce Donato, ad saniorem mentem redire nollent, Constantis Legati eos armata manu aggressi sunt ita, ut ferventibus praeliis ingens Donatistarum strages edita fuerit, superstites vero ex illis, qui pacem repudiabant, exilio mulctarentur. Verum imperante Juliano Apostata, multo tolerabilior erat Donatistarum conditio. Hujus quippe imperatoris edicto an. 362 ab exilio revocati, et plenissima libertate donati sunt, ita quidem, ut brevi temporis spatio potiorem Africae partem ad sectam suam pellicerent, et in Catholicos Basilicas extradere recusantes facta violentissima exercerent, quo pertinent, teste Optato Milevitano, objecta canibus Eucharistia, Chrisma per fenestras projectum, fusi calices, abluti templorum parietes, quasi per Catholicos polluti Clerici ad eos transeuntes nonnisi in laicorum ordinem recepti, etc. Legem satis severam adversus Donatistas rebaptizantes tulit Valentinianus Augustus Treviris agens an. 373, eosque lege lata compescuit Gratianus an. 377, Ecclesias ab ipsis usurpatas Catholicis restitui jubens; imo mulctam decem librarum auri iisdem indixit Theodosius M.; has tamen leges Donatistae virorum opulentum et potentum tutela freti, spreverunt, numero et viribus jam adeo aucti, ut ultra 400 sectae suae Episcopos in Africa numerarent. (a)

§. 45. *Collatio Carthaginensis.*

Mortuo an. 392 Parmeniano Donati in Episcopatu Carthaginensi successore, cum Primianus ejusdem Ecclesiae Epi-

(a) S. Aug. Collat. 3., L. de haeres. c. 69. et ep. 162., S. Optat. Milev. l. 1. cont. Permen. et de Schism. Donat. l. 3. c. 4.

scopus eligeretur, Maximianus Diaconus Donati M. propinquus, illum atrocissimorum criminum accusatum deposuit, nec prius quievit, quam in pluribus Africae Synodis ipse substitueretur. Hoc modo ortae sunt duae factiones Primianistarum, et Maximianistarum, qui capitali odio invicem se persequebantur, ita tamen, ut victoria mox ad Primianistas rediret. Videns haec illarum certamina S. Augustinus, scriptis litteris, eorum ministros ad publicam disputationem provocavit, qui vero Augustinum veriti, eandem declinabant. Post plures ejusmodi conatus frustraneos, Donatistas ad unitatem Ecclesiae Catholicae revocandi, anno demum 411 Collationem Carthaginensem indixit Honorius imperator, ejusque cogendae et dirigendae provinciam demandavit illustrissimo viro Marcellino. Convenerunt ad hanc disputationem 286 Episcopi Catholici, et 159 Donatistae. Inter Catholicos celebriores erant: Aurelius Carthaginensis, Alypius Tagastensis, et Augustinus Hipponensis. Quoad modum Collationis decrevit Marcellinus praeses, ut ad omnem vitandum tumultum, decem et octo ex qualibet parte Episcopi admittantur, quorum alii disputationi, alii consultationi, alii denique actis collationi conscribendis operam darent. Actum est in ea collatione tribus de causis, 1. Utrum in vera Christi Ecclesia notorii peccatores tolerari possint: quod Catholici affirmabant, evidentissimis S. Scripturae testimoniis veritatem ostendentes; 2. Utrum Sacramenta ab haereticis vel peccatoribus collata sint valida: quod Donatistae negabant, Catholici vero demonstrabant, Sacramenti vim non pendere ab opere operantis, sed ab opere operato; 3. Tandem actum est de criminationibus Caeciliani, ejusque ordinatione, qua in causa Catholici criminatores Donatistas variis actis et instrumentis publicis confuderunt. Omnibus denique ultro citroque auditis et ponderatis, Marcellinus sententiam tulit, qua Caecilianum omni crimine absolvit, Donatistas condemnavit. Marcellini sententiam ratihabuit Honorius imperator, cui qui noluerunt subscribere fuerunt bonis privati si laici, in exilium missi si Clerici. A quo tempore multi Donatistae in gremium Ecclesiae Catholicae redierunt, multi patriis excesserunt terris, aliqui violentas sibimet manus intulerunt, alii in schismate perseverarunt. Cum Vandali Africa potirentur, in primis regnante Genserico, Donatistae vires suas receperunt. Everso an. 534 Vandalorum in Africa regno, veteres redierunt persecutiones; quin tamen radicitus extirpari potuerint. Gregorii M. temporibus multos adhuc superstites fuisse Donatistas, fidem faciunt ejus epistolae. Extremam denique perniciem saeculo VII iisdem attulerunt Arabum in Africa victoriae.

§. 46. *Donatistarum haeresis.*

Donatistae docuerunt 1. Ecclesiam propter communionem cum Caeciliano contaminatam, in toto terrarum orbe periisse ot in sola Africa penes Donati partem remausisse. 2. Solam Donati Ecclesiam esse puram, sanctam et veram. 3. Sacramenta extra suam Ecclesiam collata nulla et irrita esse. 4. Catholicos omnes ad suas partes transeuntes rebaptizandos, in confirmationis Sacramentum Chrismate iterum ungendos, Clericos vero vel denuo ordinandos vel in perpetuum ab ordinibus arcendos (*a*).

CAPUT VII.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS, MORIBUS CHRISTIANORUM, ET DISCIPLINA ECCLESIAE.

§. 1. *Ritus aucti.*

Inde a temporibus Constantini M. cum Ecclesia pace et libertate frui coepisset, cultus Dei externus splendidior redditus est, institutis pluribus ritibus, quos S. Augustinus sensibilia fidei testimonia appellabat. Ad cultum divinum digne et decenter celebrandum, jam undique magnifica aedificabantur templa, quae martyria, tituli, Basilicae vocabantur. Sic Constantini M. matrisque Helenae nutu et munificentia templum surrexit Hierosolymitanum ad sepulchrum Domini, Bethlehemiticum memoriae nativitatis Christi sacrum, aliudque in monte Oliveti in memoriam Christi ascensionis in coelum. Porro Constantinus splendidum Nicomediao templum in honorem Salvatoris, et aliud in regia urbe in Apostolorum memoriam excitavit. Constantini M. exemplum plures viri opulentiores sunt secuti, praesertim Episcopi. Sic Paulinus Nolanus Episcopus novam Basilicam a se extructam S. Felicis honoribus dedicavit, et Justinianus imperator templum S. Sophiae Constantinopoli condidit. Ut autem opulentiores ad Ecclesias extruendas, dotandasque incitarentur, Jus Patronatus est inventum. Altaria hactenus lignea marmore fulgebant; calices et patenae auro vel argento renidebant. Ecclesiae decenter ornatae precibus, variisque ritibus peculiaribus cultui divino destinabantur, isque actus solemnis appellabatur Consecratio. Constantinus M. Ecclesiam

(*a*) S. Aug. de haeres. c. 69, et lib. de Bapt.

Martyrum in monte Golgotha extructam Hierosolymis consecrari curavit (*a*).

§. 2. *Dies festi, eorumque celebratio.*

Praeter diem dominicum, quem Constantinus peculiari lege sanctius, quam antea, obire jussit, et annua festa Paschatis et Pentecostes a saeculo IV plura nova festa Domini, B. M. V., et quorundam Sanctorum celebrari coeperunt. Primo loco occurrit festum Christi natalitium apud plerosque Orientales sexta Januarii celebratum, festumque Epiphaniae, seu apparitionis Christi in carne, dictum; etsi Occidentales memoriam Nativitatis Salvatoris 25 Decembris, Baptismi vero sexta Jannarii recolerent. Exeunte saeculo IV et ineunte V Orientales morem Occidentalium adoptarunt. Saeculo V dies Rogationum accesserunt, seu tres dies ante festum Ascensionis Christi, publicis precibus, jejuniis et abstinentiis consecrati a S. Mamerto Episcopo Viennensi in Gallia. Has dies ad universam Ecclesiam extendit Leo III. Saeculo VI Festa Purificationis, Annuntiationis B. M. V. atque Nativitatis S. Joannis Baptistae fuere instituta. Saeculo VII Pontifex Bonifacius IV permittente imperatore Phoca, Pantheon in Basilicam christianam convertit, Reginae Martyrum et Sanctis Martyribus dedicavit; nec non omnium Sanctorum festum instituit. Accessit praeterea festum exaltationis S. Crucis anno 631 ab imperatore Heraclio institutum in memoriam victoriae, qua Persae crucem Christi a Rege Cosrhoe captam et 14 annorum spatio retentam restituere sunt coacti. Honorius I hoc festum approbavit, et ad universam Ecclesiam extendit. Saeculo demum VIII festa Assumptionis et Repraesentationis Mariae, nec non Transfigurationis Christi addita fuisse, rerum antiquarum periti non dubitant (*b*).

§. 3. *Sacrorum conventuum ratio.*

Sacrorum conventuum hac aetate eadem fere ac prioribus saeculis ratio fuit. Consueta nimirum Liturgiae hora populus Ecclesiam ingrediebatur, et Chorus Antiphonam cum Psalmo canebat, unde hodiernus *Missae Introitus* derivatur. Deinde Episcopus populum per Diaconos et Subdiaconos in classes distributum salutabat omniumque praesentium no-

(*a*) Euseb. de vita Const. l. 3, Socrates H. E. l. 1. c. 16., S. Paulini ep. 32., Procopius. (*b*) Assemani Bibl. orient. t. 3. p. I. p. 84. 96.

mine clara voce recitabat orationem, inde *collectam* dictam, quod fidelium vota ab eo quasi colligerentur. Considente in suo throno Episcopo, lector ambonem conscendens, partem scripturae sacrae lingua populi vulgari praelegebat. Postea Praesul sermonem ad populum habebat, quo finito Diaconi infideles, Catechumenos, Energumenos ac poenitentes dimittebant, populusque preces pro omnibus persolvebat. Paratis omnibus ad sacrificium, Diaconi oblata super altare collocabant, et Episcopus panem et vinum offerebat, odoribus sufficiebat, choro interim canente Psalmum. Haec omnia clausis fiebant janais, ut profani a mysteriorum divinorum celebratione arcerentur. Offertorium excipiebant *Praefatio* et *Actio,* quae hodie Canon vocatur. Peracta consecratione Episcopus omnes, servato ordine, sacro epulo reficiebat (*a*).

Jam etiam in Liturgia magis invaluit, candelarum et lampadarum ardentium usus. Neque dubitandum, jam mature etiam instrumenta musicalia nostris organis haud dissimilia, adhibita fuisse. In convocando autem ad sacra mysteria populo inde a saeculo VII utebantur campanis, in Campania primum fusis, quas dein saeculo sequenti per unctionem sacram, et impositionem nominis alicujus Sancti usui ecclesiastico consecrarunt. Hic ritus campanarum Baptismus vocari consuevit. Cantus ecclesiasticus, quoque in usu erat, ad quem perficiendum S. Gregorius M. Romae scholam cantorum instituit, inde nomen cantoris in Ecclesia ortum est.

§. 4. *Baptismus et Confirmatio.*

Ad commodiorem Baptismi administrationem in vestibulis templorum sacri fontes, vel baptisteria constituta erant. In medio baptisterii erat *piscina* seu *concha* tribus gradibus instructa, quibus Episcopus insistens ter Catechumenum aquis immergebat. Baptismus extra casum necessitatis conferebatur in pervigilio Paschatis et Pentecostes, et quidem cereis accensis, ab Episcopis, vel a Presbyteris et Diaconis, per Episcopos eum in finem delegatis (*b*). Aliquibus in locis baptizatorum ori lac et mel in signum misericordiae, regenerantis gratiae et suavitatis evangelicae immittebatur, eorum capiti sertum imponebatur, iisdem decem nummuli in recordationem Decalogi dabantur (*c*).Ubique vero oleo ca-

(*a*) S. Gregor. Nazianz. orat. 20. et 23. (*b*) Siricius ep. ad Himerium M., Leo M. ep. 6. (*c*) S. Hieronymus adv. Lucifer.,Gregorius Nazian., Isidorus Hisp.

pita Catechumenorum in vertice injungebantur, in signum invisibilis unctionis per gratiam (a).

Lavacro egressi, albis induebantur vestibus, quas usque ad primam Dominicam post Pascha portabant, unde Dominica in Albis dicta. Demum ardentes candelae in neophitorum manus tradebantur, ut haberent illuminationis spiritualis symbolum. Cum Episcopi baptizabant, sacro regenerationis lavacro jungebatur Confirmationis Sacramentum; inde duplex olim in baptismo unctio, videlicet unctio olei catechumenorum a Presbyteris vertici, et unctio S.Chrismatis ab Episcopis de regula, et ex illorum delegatione, ac consensu interim a Presbyteris fronti applicata (b). Posterioribus saeculis in Ecclesia saltem latina collatio Confirmationis a Baptismo penitus separata fuit.

§. 5. *Sacra Coena.*

Ut sacra Coena solemnius celebraretur, multae coeremoniae sunt superadditae, auctore praecipue Gregorio M., qui veterem Canonem Missae auxit (c). Jam etiam celebratio Eucharistiae a reliquis divini cultus partibus, variis distincta nominibus a saeculo IV in primis Missae nomen traxit (d). De regula Episcopus Missam celebrabat, et Presbyteri tantum, Episcopo impedito, vel de ejus mandato, ad sacra mysteria peragenda admittebantur (e). Antiquitus die dominica unica celebrabatur Missa; idcirco in qualibet Civitate una tantum Ecclesia, et nonnisi unum altare fuit. Verum augescente Christianorum multitudine, in majoribus urbibus v. g. Romae plura exstruebantur Oratoria seu Tituli, quibus peculiares Presbyteri praeficiebantur, qui sacris operarentur. Nec minori cura oppidorum et pagorum necessitati prospectum erat. Ortis sic et multiplicatis sensim Parochiis, mos obtinuit, ut saepius per hebdomadam, et in Ecclesia latina quotidie Missa celebraretur (f). Accedebant praeterea aliae causae, ob quas Missae multiplicabantur. Alii quippe solo pietatis ductu singulis diebus Missam celebrabant, alii vero, ut desideriis fidelium satisfacerent, quae Missae privatae dicebantur, cum oblatio panis, vini etc. non a toto populo, sed a privatis fieret, et Sacerdos celebrans specialem intentionem ad mentem offerentis faceret. Saeculo circiter VIII loco panis et vini nummorum oblatio, seu Mis-

(a) Cyrill. chat. 2. (b) Ambros.l. 7. de mysteriis c. 7., Innocentius I. ad Episcopos Eng. (c) Joannes Diaconus in vita Gregor. M. (d) S.Ambros. ep. 20. (e) S. Ignatius ad Smirn.c.8. (f) Siricus ep. ad Himerium.

sae stipendium substituebatur. In Missa solemniter celebrata, omnes praesentes cnm sacrificante offerebant, et communionem percipiebant. Post Missam celebrabantur Agapae, quae arctissimum olim mutuae christianorum concordia et charitatis extiterat vinculum, et ob varios abusus jam saeculo IV fuerunt sublatae.

§. 6. *Jejunium.*

Jejunia sancta custodiebantur. Inter Jejunia autem solemnissimum fuit jejunium quadragesimale, ut constat ex Concilio Laodicaeno anno circiter 335 celebrato, item S. Augustinus ait :«Ecclesiam per consuetudinem induxisse, ut 40 diebus ante Pascha jejunetur;» imo ex Concilio Aurelianensi I de anno 511 aliisque constat, nonnullos christianos, potissimum Clericos 70 diebus ante Pascha jejnnare coepisse, inde Dominica nomen septuagesimae accepit. Quae jejunii septnagesimalis ratio fuerit non liquet, quidquid sit, hoc certum est Ecclesiam Dominica Septuagesimae deponere gandiosum Alleluja, lnctum suum inchoare, et fideles ad jejunium praeparare. Alii christiani jejunabant 60, alii 50 diebns ante Pascha; inde Dominicae sexagesimae et quinquagesimae nomina descendunt. Praeter jejunium antepaschale in Ecclesia latina christiani etiam feria quarta et sexta cujusvis hebdomadae jejunabant; sub initium tamen hujns periodi Latini, Hispani, et Romani, non adstipulantibus Graecis, jejunium feriae quartae in Sabatbnm transtulerunt *(a)*. Viguit quoque jam saeculo V in Ecclesia saltem Romana jejunium quatuor temporum, cnjus mentionem facit S. Leo M. in suis sermonibus. Qnoad attinet jejunandi modum, christiani hujns aevi, ad solis occasnm sobria utebantur coena et a carnibus, a vino, aliisque delitiosis cibis et potibus abstinebant. Ex quo Apostolorum canones et constitntiones, uti vulgo vocantur, observari coeperunt, in Oriente etiam ab ovis et caseo, et qnidem Clericis sub poena depositionis, laicis vero sub poena excommunicationis abstineri injunctnm est. Ab hoc tempore jejunii observantia, nec non abstinentia a certis ciborum generibus, et conciliorum decretis, et regum legibus passim munita cernitur *(b)*.

(a) S. Augustinus ep. 86. ad Casulanum, S. Hieron. ad Lucilium Boet.
(b) Conc. Toletano VIII de an. 655. can. 9. Cap. Reg. Franc. T.1. l. 6.

§. 7. *Coelibatus Clericorum.*

Christus quidem neminem ad vitam coelibem perpetuo agendam obligavit, consilium tamen dedit, quod Apostoli ad apicem executi sunt. Exemplum Apostolorum tribus primis Ecclesiae saeculis non tantum plerique Clerici, verum etiam multi Laici Ascetae dicti imitabantur. Saeculo IV Concilia quaedam particularia, veluti Illibaritanum a. 305 Neoeaesariense eodem anno et Ancyranum a. 314 celebrata, Clericis majoribus, i. e. Episcopis, Presbyteris et Diaconis matrimonii usum interdixerunt, eosque ad servandam perpetuam continentiam obligare coeperunt. Verum haec decreta, ceu a Conciliis particularibus lata vim obligandi universalem non habuerunt. Anno 325 celebratum fuit Concilium Nicaenum I et Patres jam in eo erant, ut Clericos majores suas uxores ante susceptos ordines ductas a se dimittere juberent; verum S. Paphnutius Episcopus Ægyptiacus, teste Socrate *(a)*, continentiam servans, gravi oratione Patres Nicaenos ab exequendo illo consilio avertit, satis esse declarans, ut Clerici adscripti, juxta veterem Ecclesiae traditionem, jam non amplius uxores ducerent. Hujus autem suggestionis is erat effectus, ut Patres sancirent, ne in posterum eligerentur Episcopi, Presbyteri et Diaconi, qui non essent coelibes, aut vidui, aut continentes. Demum saeculo IV Siricius Pontifex Clericis majoribus universim matrimonium interdixit, et conjugatis separationem a suis uxoribus imperavit. Occasionem dedit ei Himerius Tarraconensis Episcopus, qui datis ad Siricium litteris conquestus est, plurimos adhuc Sacerdotes ac Levitas in matrimonio vivere et veteris testamenti lege niti. Papa Siricius in summa haec rescripsit: ipsa lege Mosaica Sacerdotes veteris Testamenti jussi sunt tempore vicis suae procul a domibus suis in cellulis penes Templum habitare; expleto autem sui ministerii tempore ad uxores suas conversi sunt, et uxoribus cohabitare licuit ad propagandam tribum Levi, quae erat Sacerdotii Seminarium; Novi autem Foederis sacerdotes quotidie sacrum ministerium obeunt; ergo nunquam uxoribus cohabitare licet. Itaque qui ad retinendas uxores veteris testamenti privilegia praetexunt, noverint se ab omni ecclesiastico honore Sedis Apostolicae auctoritate esse dejectos, nec unquam posse veneranda administrare mysteria. Exemplum Siricii imitati deinceps RR. Pontifices, eamdem disciplinam severe inculcarunt, veluti Innocentius I data anno 405 ad Exuperium Episcopum Tolosanum epistola, Leo M. epist. ad

(a) L. 1. H. E.

Anastasium Thessalonicensem et ad Rusticum Narbonensem, qui legem coelibatus ad Subdiaconos quoque extendit. Verum cum Subdiaconi in Suburbicariis et potissimum in Sicilia novae huic legi refragarentur, Pelagius II eandem repetiit. Gregorius M. constitutionem Pelagii II duriorem existimans decrevit, ut Subdiaconi jam conjugati in matrimonio permanerent, et in posterum nonnisi coelibes ordinarentur. Alia vero disciplina apud Graecos sancita legitur in Synodo Trullana a. 692 celebrata, quae relicta Presbyteris et Diaconis potestate suis cobabitandi uxoribus, ante ordinationem legitime ductis, dummodo ad sacra mysteria peragenda accessuri ab uxoribus abstinerent, eos solum Clericos ad Episcopatum promovendos esse statuit, qui neque filios, neque nepotes, neque uxorem haberent, aut illi saltem non adhaererent *(a)*. Haec disciplina in hodiernam usque diem apud Graecos obtinet.

§. 8. *Mores Christianorum.*

Tota hac periodo erant Doctores, qui non solum veritatem dogmatum et sanctimoniam sedulo sectabantur, verum etiam alios praeceptis, sanctiorisque vitae exemplis ad veritatis et virtutis studium impellebant *(b)*. Neque deerant in populo, qui magistrorum exempla imitantes, virtuti studerent. Nihilominus fateri oportet, bonos cum malis conjunctos fuisse, ita tamen, ut numerus eorum, qui Christi vere essent sectatores, sensim atque sensim decresceret. Multi erant nomine potius quam re christiani. Res erat maxime tristis et deploranda, quod morum corruptela etiam Episcopos aliosque Clericos infecerit. Hinc Patrum, aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum quaerelae de quorundam Episcoporum ac inferiorum ministrorum ambitione, avaritia, luxu, incontinentia, simonia, rixandi libidine, aliisque maculis Doctorum ordinem contaminantibus *(c)*. Hinc porro tot Synodorum ac principum leges, ad mores Clericorum emendandos, et disciplinam Ecclesiae instaurandam in primis comparatae *(d)*. Praecipua hujus rei causa fuit pax a Constantino M. Ecclesiae Dei concessa, qua durante Christiani, omni cura ac formidine vacui, negligentes et desides evaserunt, initoque passim cum Romanis ethnicis familiari commercio, eorum impietati ac sceleribus sensim assuefiebant *(e)*. In Oriente non mediocre moralitati vulnus inflixit principum christianorum auctoritas in rebus theologicis, ultro justi fines extensa, quo fiebat, ut pastores adversus

(a) Can. 12. et 13. (b) Rufinus l. 3. H. E. c. 9. (c) S. Hieron. (d) Cap. Caroli M. (e) S. Hier. in ep. ad Galat. 4. 12., Greg. Nazianz.

pastores, populi in populos colligi, jurgia et tumultus agitarent, Episcoporum labefactaretur auctoritas, et plurima inter christianos vitia grassarentur (*a*). Malorum cumulum in orientali Ecclesia auxerunt subtiles et temerariae de mysteriis fidei disputationes. Huc porro accedebat initio saeculi sexti permixtio christianorum indigenarum cum victoribus barbaris, nunc recens conversis, et inde secuta quaedam morum ferocia, scientiarumque contemptus. Caeterum quantacumque etiam fuerat hac aetate morum corruptio, iniquus tamen in christianam religionem foret, qui eandem omni vi salutari in barbaros praesertim populos recens conversos caruisse contenderet.

§. 9. *Origo Monachorum in Oriente.*

Hac periodo vitae sanctitas in eremis et coenobiis praecipuam sedem habuit. Nam, teste historia, sanctissimi doctissimique viri e solitudine ad Episcopatum vocati fuere, veluti S. Chrysostomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius M. aliique; itaque Monachorum origo et propagatio nunc describenda est. Communis sententia est, SS. Antonium et Paulum Thebaeum, primos extitisse vitae monasticae institutores. Hoc saltem liquet, S. Antonium fuisse primum, qui anachoretas in eremo huc illuc sparsos, ad vitae societatem revocaret, stabilem illis vivendi legem dictaret, eosque superiorum regimini subjiceret (*b*).

In Palaestina et Syria hoc vivendi genus aliis primum commendavit S. Hilarion, S. Antonii discipulus, qui in Insula Cypro jamjam octogenarius vitam laboris ac poenitentiae plenam clausit anno circiter 371 (*c*). In arctiorem societatem Monachos redegit S. Pachomius, prius ethnicus et miles, deinde post suam conversionem S. Antonii discipulus, qui in insula Thebaidis, *Tabenna*, quaedam monasteria aedificavit, eorumque incolas vitae communi, ac certis regulis adstrinxit. Si Palladio fides est, Monachi illi Tabennenses ad septem usque hominum millia excreverunt, et primum monasterium, cui praefuit S. Pachomius, numerum circiter mille quadringentorum virorum continuit. Regula monachorum Tabennensium quam Pachomius ab Angelo accepisse fertur, valde moderata erat (*d*).

Haud parum eodem tempore coenobiticam vitam alii propagarunt in Oriente et Ægypto, veluti Amon Ægyptius, Monachorum Nitriensium parens, Macharius Senior et Junior,

(*a*) Euseb. l. 8. H. E. c. 1. (*b*) Apud Pagium crit. Baron. ad an. 316. n. 12., S. Athanasius in vita S. Antonii. (*c*) S. Hieron. in vita S. Hilar. (*d*) Gennadius de vir. illust. c. 7., Tillemont. l. 7. p. 167.

S. Antonii discipuli, qui in desertis Ægypti, in primis in montibus Sutis vitam austeram agebant, Eustachius Sebastenus Episcopus, qui vitae monasticae in Armenia, Paphlagonia et Ponto auctor extitit etc. *(a)*. Neque deerant celebres Ecclesiae doctores, uti Athanasius, Ephremus Syrus, Basilius M., Gregorius Nazianzenus, aliique plures, qui hoc vitae genus eximiis celebrarent laudibus, aliisque impense commendarent.

§. 10. *In Occidente.*

Ex Oriente mox in Occidentem transiit vitae monasticae institutum. Narrat S. Hieronymus ep. 16 S. Athanasium circa annum 340 persecutionis Arianorum declinandae causa Romam confugisse, vitam S. Antonii a se conscriptam secum tulisse, Eremitas ad exemplum Monachorum Ægyptiorum conjunxisse, et sanctum vitae coenobiticae propositum ita suscitasse etiam in urbe Orbis domina, ut plura Monasteria aedificarentur, et Marcella primariae nobilitatis foemina vitae monasticae nomen daret *(b)*.

In Gallia deinde vitam coenobiticam mirifice promovit S. Martinus, Turonensium Episcopus, qui extra urbem monasterium erexit in deserto, asperis undique et inaccessis rupibus cincto, et cum octoginta discipulis delituit, Domino militaturus. Teste Sulpicio Severo de vita S. Martini, juniores codices conscribebant, seniores orationi vacabant, omnes rigida servabant jejunia, quibus finitis coenam in communi agebant, a vino abstinentes, extra corporis infirmitatem, vesteque pilosa corpus tegebant. Tanti viri exemplum brevi tot imitatores invenit, ut teste eodem Severo, jam duo millia Monachorum ad justa illius funebria convenirent. A quo tempore haec vivendi ratio sanctorum virorum consiliis et laboribus per alias quoque Europae Provincias propagata, et ad majorem in diem auctoritatem perducta est. In suburbiis Mediolani S. Ambrosius monasterium fundavit, bonis fratribus plenum.

Ad propagationem monachorum et virginum haud parum contulit S. Hieronymus, qui non tantum exemplo, verum etiam scriptis ex Oriente litteris alios ad vitam solitariam excitavit. Simili conatu Joannes Cassianus monasticae vitae a teneris innutritus, Massiliae in Gallia duo coenobia instituit, et S. Columbanus, multorum monasteriorum in Italia, Gallia, Germania, Helvetia, in primis Luxoviensis in Burgundia et Bobiensis in Italia fundamenta jecit (*c*).

(*a*) Tillemont. mem. t. 8. p. 243., Sozomenus lib. 3. c. 14. (*b*) Baronius annal. ad an. 340. n. 7. (*c*) S. August. l. 8. conf. c.6., S. Hieronymus in epist. ad Pamach., Gregor. Turon. l. 10. H. c. 29., Cassianus de coenob. instit. t. 12.

§. 11. *Monachorum incrementum.*

In Occidente novam, et egregiam vitae monasticae formam indidit S. Benedictus natione Italus, patria Nursinus, nobilibus parentibus prognatus an. circiter 480, a puero virtutis et solitudinis amantissimo, qui a parentibus studiorum causa Romam missus, mox urbem ejusque strepitum, nec non suorum commilitonum corruptelam pertaesus, anno aetatis suae 14 in solitudinem Sublacensem secessit, virtutis et sanctitatis fama brevi adeo illustris evasit, ut haud pauci discipuli ad eum confugerent. Aversationem Florentini Presbyteri expertus, e regione Sublacensi a. 528 ad montem Cassinum in territorio Neapolitano situm secessit, ibidemque celeberrimum monasterinm Cassinense excitavit, et collectis sociis regulam 73 capita complectentem tradidit, qua praescripsit, quid singulis diei horis Monachi agere debeant. Monachi isti a S. Benedicto Benedictini dicti, vi primitivae suae institutionis laici erant, et quotidiano manuum labori, quotidianae item lectioni, contemplationi et orationi vacabant. Dici non potest, quanta celeritate ordo S. Benedicti in toto Occidente fuerit receptus, et erant sane plures rei hujus causae. Siquidem 1. regula S. Benedicti accommodata erat indoli et climati Europaeorum; 2. viri hujus ordinis in media hujus aevi barbarie reliquias scientiarum, artiumque liberalium ab interitu vindicabant, antiquos describebant codices, prima bibliothecarum monasticarum jacientes fundamenta, scholasque claustrales aperientes, praedicationis porro evangelicae munere in rudioribus Hispaniae, Angliae, Germaniae terris egregie fungebantur, in asperrimis Europae regionibus, coenosas exsiccando paludes, horridasque extirpando sylvas, rem pecuniariam et agricolturam promovebant, primaque artium mechanicarum elementa inveniebant; 3. praeclarus hic Ordo Ecclesiae catholicae plurimos Sacerdotes, animarum curatores, Cardinales et Pontifices Romanos dabat saeculo VIII et IX; quo saecularis Clerus turpi adhuc ignavia et luxuria passim languebat *(a)*.

Ita factum ut Benedictini principum aeque ac Pontificum summam fiduciam ad benevolentiam inirent, amplissimisque sensim donationibus ac privilegiis potirentur, verum et simul monasticae disciplinae vincula relaxarent, variisque reformationibus ansam praeberent. Nec deerant alii insignes vitae monasticae in Occidente propagatores, qui novas conderent regulas, veluti; Caesarius Arelatensis, Isidorus Hispa-

(a) Joan. Mabillonii SS. Bened. saec. I. VI.

lensis, Fructuosus Braccarensis et plures alii, quorum tamen instituta angustioribus tantum finibus inclusa, nec diuturna erant *(a)*.

§. 12. *Varia Monachorum genera.*

Nomina sna veteres Monachi sortiebantur, vel a locis, qnae incolebant, uti e. g. Nitrienses, Tabennenses etc., vel a vitae ratione. Qui in solitariis cellulis vivebant, *Anachoretae* vocabantur. Ab Anachoretis multum distinguebantnr *Coenobitae* (*κοινος* communis et *Βαιω* vivo) vel Synoditae, sic dicti a communi habitaculo, seu coenobio, ubi in societate vivebant, omniaque habebant communia, unius senioris judicio gubernati. Aliud Monachorum genus erant Sarabaytae, qni bini vel trini habitabant, nulli superiori subditi, nullaque regula adstricti. His nequiores erant Girovagi, qui nullibi longo tempore consistebant. In Syriae ac Mesopotamiae regionibus erant Monachi, qui herbis vescebantur, *pascentes* propterea dicti. Praeter hos alii porro erant Monachi, saeculo V a Patriarcha Alexandro Constantinopoli institnti, qui vulgo *ακοιμυτοι* hoc est *insomnes* nuncupabantur, quod in tres distributi coetus, sicque alii aliis stata hora succedentes, divina officia noctes atque dies sine ulla intermissione continuarent. Celebre erat Constantinopoli eorum Monasterium Stndiense dictum a Studio, viro praeclaro, et consularis dignitatis, qui Roma Constantinopolim delatus, non tantum huic Ordini nomen dabat, verum etiam illud erexit (*b*). Neque hic silentio praeterenndi *Stylitae* seu *Columnares*, ita dicti a peculiari vivendi ratione super columna. Primus hanc vitae rationem invexit Simeon, cognominatus Stylita, e Syria oriundus, qni saeculo V duas successive conscendit columnas praealtas, et undique liberas, ubi poenitentem egit vitam quadraginta sex annis, coelum inter et terram pendens; imbribus, nivi, frigori et calori, ventis ac tempestatibus obnoxius. Haec vivendi ratio tantam illi conciliavit venerationem, ut ipse Theodosius II Imperator ejus consilia exquisierit, et cives Antiocheni sacras ejus exuvias in suam urbem transferri, ejusque columnam templo includi curarunt *(c)*. Eamdem vivendi rationem imitati sunt Simeonis discipulus Daniel, vivens aliquandiu super colnmna in suburbiis Constantinopoleos a se erecta, aliique pauci in Syria et Palae-

(a) Holsteinus cod. regular. monast. l. 1. p. 186. seqq. (b) Chrysost. h. 17. l. 1. cap. 14., Cassian. collect. 18. c. 4., Hieron. ep. 22. ad Eustoch., Sozomen. l. 6. c. 33., Niceph. l. 15. Hist. c. 21. (c) Acta S. Theodoreti in Philotheo c. 26.

stina (*a*). In Occidente vix ullus alius invenitur in vetustis monumentis praeter Wulfilaicum qui cum in vicinia Augustae Trevirorum talem erexisset columnam, gallicani Episcopi eam protinus destrui jusserunt (*b*).

§. 13. *Virgines Sacrae.*

Jam antiquissimis Ecclesiae saeculis non defuisse virgines aut viduas, quae continuis abstinentiae, pietatis ac poenitentiae exercitiis vacarent, seque totas Christo devoverent, e veterum monumentis liquido patet (*c*), Virgines heae vel a matricula Ecclesiae, cui inserebantur, *canonicae*, *ecclesiasticae*, vel ab exercitiis pietatis, quibus vacabant, *asceticae*, *sanctimoniales*, *virgines sacrae*, imo in Ægypto et a S.Hieronymo *Nonnae*, seu matres venerabiles appellabantur (*d*). Hae virgines publice virginitatem coram Episcopo, aut Presbytero ab Episcopo delegato in Ecclesia profitebantur, et consuetum habitum, cujus una pars sacrum erat velamen, accipiebant (*e*), sacrarum virginum monasteria sat mature edificata fuisse, historica monumenta testantur. Sic, teste Sancto Athanasio, Antonius tale virginum erexit monasterium, cui soror illius praefuit Abbatissa. In Palaestina Pachomius per monachos suos mulierum monasterium excitari curavit, ut soror illius haberet pietatis asylum. In Cappadocia et Ponto agente potissimum S. Basilio, plura mulierum monasteria exstructa fuere. Aevo S. Hieronymi etiam in Italia Sanctimonialium extruebantur monasteria, omniumque prima erat Marcella, quae monasticam vitam Romae amplecteretur. A quo tempore mulierum ad vitam monasticam proclivitas adeo crevit, ut Mediolani sub S. Ambrosio, et in Gallia sub S. Martino Toronensi, plura virginum aedificarentur monasteria. A saeculo VI omnes fere Occidentis Sanctimoniales regulam S. Benedicti profitebantur, in propriis Ecclesiis rei divinae vacabant et Episcoporum jurisdictioni suberant, ita tamen, ut in puncto monasticae disciplinae essent sub directione vicini Abbatis (*f*).

§. 14. *Canonici*

In Ecclesia saltem graeca omnes Clerici antiquitus dicti sunt *Canonici*, quod nomina eorum in matriculam Ecclesiae,

(*a*) Theodor. Lector l. 1. p. 354., Evagrius l. 6. c. 24. (*b*) S. Gregorius Turon. Hist. Franc. lib. 8. c. 25. (*c*) S. Cyprian. de habit. Virg., Tertul. lib. 1. adv. uxorem, S. Athanas. apolog. 1. (*d*) S. Hieron ep. 22. ad Eustoch. c. 6. (*e*) S. August. de bono viduit. c. 8. 9. 10., S. Ambros. de virg. l. 3. (*f*) In vita S. Antonii c. 39. (*g*) Vita Pachomii C. 1., Theodoretus Hist. Relig. c. 20., S. Hieron. ep. 16., S. Ambros. l. 1. de virg. c. 10., Sulpitius Severus ep. 3. de vit. Martini, Mabillonius annal. Ord. Bened.

canonem dictam, essent relata. Quia vero canon etiam denotabat regulam, in Occidentali Ecclesia Canonicorum nomen illis omnibus per eminentiam est inditum, qui stabilem quidem vivendi regulam sequebantur, a Monachis tamen differebant. Erant enim Episcopi, qui vitae monasticae veneratione ducti, Clericos suarum Ecclesiarum ad vitae societatem, monasticae haud absimilem vocarent, ut majori decentia et ordine cultum publicum peragerent, nec non se invicem verbo et exemplo ad virtutis studium excitarent. Eorum primus fuisse perhibetur Eusebius Vercellensis, qui hanc vivendi rationem in Ecclesiam Occidentalem inveheret *(a)*. Idem vitae communis institutum inter Clericos Hipponenses introduxit S. Augustinus *(b)*.

Prae aliis autem institutum hoc promovit S. Chrodegangus Metensis Episcopus, qui Clericorum congregationi a se institutae primus anno 742 regulam 34 capitibus constantem praescripsit. Vi hujus regulae in communi vivebant, statisque temporibus in conclavi conveniebant, cui congregationi a sacra lectione capitis sacrae Scripturae, vel SS. Patrum ibidem fieri solita, *Capituli* nomen fuit inditum. Hujus Sancti exemplo permoti Episcopi Galliae, Angliae et Germaniae similia Canonicorum collegia instituebant, imo Carolus M. peculiari eos favore prosequebatur *(c)*.

§. 15. *Disciplina poenitentialis.*

Disciplina publicae poenitentiae initio vigebat adhuc, uti periodo elapsa: in primis quatuor illae poenitentium classes diligentius determinabantur, et personarum, temporum ac locorum circumstantiis magis adtemperabantur. Synodorum canones jam accuratius praescribebant, quandiu poenitentes, pro ratione delicti admissi, in uno alterove gradu persistere debebant. Sic Concilium Nicaenum can. 11 statuit, ut qui citra grave periculum aut ex levi causa a fide defecerunt, tribus annis in audientium, septem in substratorum et duobus in consistentium classe manerent. Passim etiam Episcopi, editis canonibus poenitentialibus, pro peccatorum varietate variam constituebant poenitentiam. Eorum facile princeps erat Basilius M., qui tres ad Amphilochium scripsit epistolas, regulas poenitentiae amplectentes. Nec praetereunda Gregorii Nysseni epistola canonica ad Latejum Episcopum Mitilenes. Ex his omnibus orti sunt libri poenitentiales.

(a) S. Ambros. ep. 82. (b) S. August. serm. 49. de diversis. (c) Natalis Alex. H. E. ad saec. 8. Cap. Caroli M.

Quantus etiamnum fuerit poenitentiae publicae rigor, inde satis intelligitur, quod reprehensione digni viderentur, qui relapsis secundam poenitentiam concedebant. « Merito reprehendi, scribit S. Ambrosius *(a)*, qui saepius agendam poenitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. » Hoc idem patet ex facto, quum S. D. Theodosium M. Mediolani commorantem poenitentiae publicae subjecit, ob caedem Thessalonicae admissam sub Butherico militum Magistro. Plurium quoque Conciliorum canonibus statutum fuit, ne certorum criminum reis reconciliatio ante horam mortis impertiretur *(b)*. Qui vero in mortis periculo reconciliati sunt, si convaluissent, poenitentiam complere tenebantur, ut constat ex canonibus Concilii Carthaginensis IV. Illa vero severitas, vi cujus nonnullis peccatoribus in ipso mortis articulo reconciliatio ecclesiastica olim negabatur, mature mitigata fuit, et communio illis quoque concessa, qui eam infirmitate correpti primum peterent, suamque conversionem ad illas usque angustias differrent *(c)*. Tandem ex Conciliorum canonibus, et Patrum testimoniis discimus, hac quoque periodo, Episcopis amplam relictam fuisse potestatem modum, et tempus Poenitentiae, habita circumstantiarum ratione, determinandi, atque ita indulgentiam concedendi *(d)*.

§. 16. *Relaxatio disciplinae poenitentialis.*

Quamvis primaevae disciplinae rigor saluberrimus fuerit, is tamen conservari non potuit. Cum enim a tempore Constantini M. Ecclesia stabili pace frueretur, peccatorum numerus auctus est, et Episcopi rigorem deponere coeperunt. Huc praeterea accesserunt conversiones populorum barbarorum, qui in fidei professione non illico pristinos mores exuerunt: plerique enim superstitiosi, leves, mutabiles, pravis affectibus capti permanebant, magisque impetu quam ratione et Religione movebantur, suorum majorum more litteras contemnebant. Horum populorum dominantium vitia in subditos transiisse nemo mirabitur, cum subditi gentis sibi dominantis mores facile accipiant. Ecclesia, quae Spiritu Dei ducitur, cujus spiritus est spiritus lenitatis, charitatisque gemebat quidem, sed tanquam mater piissima novos filios suos, licet adeo imperfectos a se non repellebat, cavebatque prudenter, ne si pri-

(a) L. de poenit. c. 40. (b) Conc. Neocaesar. c. 2., Conc. Aretal. I. can. 14. (c) Conc. Nicaen I. can. 10., S. Coelestinus I. ep. ad Episcopos Galliae. (d) Conc. Ancyranum c. 5., Con. Nic. I. c. 12., S. Basilius can. 74., Chrysostomus hom. 14. in 2. Corinth.

stino rigori insisteret in fide adhuc debilibus ansam ad defectionem praeberet, et emendationem perfectionemque suorum filiorum expectabat. Hisce ex causis Ecclesia multum de suo rigore remisit (a). Nutantem autem disciplinam rastaurare laboravit Theodorus, natione Graecus, ex Monacho Cantuariensis Archiepiscopus, linguae latinae peritus, qui sub exitum saeculi VII librum poenitentialem edidit, graviora peccata a levioribus, notoria a clandestinis sollicite distinxit, singulisque peccatorum generibus debitas poenas praescripsit v. g. jejunium, eleemosynam, psalmorum recitationem etc. (b). Ast severitas disciplinae a Theodoro stabilitae et in aliis passim Ecclesiis inductae haud diu stetit in rigore. Mox quippe in insulis Britannicis novi inventi sunt modi, peccata et poenitentias redimendi; alind enim poenae genus pro alio substituebatur, pro jejuniis v. g. genuflexiones ant psalmorum recitationes, pro genuflexionibus eleemosynae. Divites poenitentias plerumque redimebant eleemosynis, quae vel reficiendis pauperibus, vel substentandis Clericis et Monachis, vel aedificandis, instaurandis, conservandisque sacris aedibus impendebantur. Qui pecunia carebant, fundos et praedia in peccatorum redemptionem Ecclesiis ac Monasteriis legabant reservato sibi ad vitae dies utili dominio. Heae substitutiones latissimum aperiebant ostium noxio praejudicio: ac si peccandi libertas pretio emi posset. Quo in abusu castigando, extirpandoque certatim laborarunt hujus aevi Concilia (c).

§. 17. *Peccata publicae poenitentiae obnoxia.*

Publicae poenitentiae legibus obnoxia fuere peccata canonica, v. g. *idololatria, homicidium, moechia* et peccata publice perpetrata, adeoque cum scandalo conjuncta. Caeterum negari non potest, fuisse hinc inde delictorum occultorum reos, qui pietatis et humilitatis causa publicam poenitentiam sponte subirent, ut tanto efficacius Deo satisfacerent (d).

Discrimen etiam fieri coepit, habita ratione personarum. Clerici enim majores, qui canonica delicta admiserunt, vel in perpetuo officio suo amovebantur vel muneris sui parte quadam privabantur, interdum ab altiori gradu ad inferiorem dejiciebantur, aut ab Eucharistiae perceptione ad tempus prohibebantur, aut in Monasterium relegabantur, ut ibi in pri-

(a) Fleury de morib. Christ. (b) Beda l. 5. H. e. 8. (c) Muratori dissertat de redempt. peccat. l. 5. Antiquit. Ital. med. aevi p. 712. seqq. (d) S. Leo M. ep. 86., S.Aug. serm. 82. de verbo Apost., S. Greg. Nyssen. ep. ad Letoj., Innocentius I. ep. ad Exuperium Ep. Tolos., Conc. Tolet. XII. can. I.

vatae poenitentiae actibus se exercerent *(a)*. Majoribus Clericis poenitentiam secreto in loco fuisse subeundam, haud obscure innuunt S. Hieronymus *(b)*, et S. Leo M. *(d)*, idemque probant plura hujus aevi Concilia. Quandoque Clerici delinquentes ad communionem *laicam*, imo et *peregrinam* reducebantur, de quarum tamen poenarum natura ultro, citroque disputari solet.

§. 18. *Confessio.*

Confessionem peccatorum in usu fuisse plurima probant antiquorum testimonia. S. Augustinus *(e)* dicit: « Non te pudeat id homini confiteri, quod coram uno aut pluribus hominibus committere non erubuisti.» Imo pravam consuetudinem, peccata publice declarandi, et in congregatione de libello recitandi, quae per Campaniam, Samnium et Picenum invaluerat, totis viribus submovere est conatus S. Leo M. *(f)*. Duplicem autem fuisse confessionem, nimirum *publicam* pro peccatis publicae poenitentiae subjectis, et *privatam* pro aliis ex bujus aevi Doctoribus patet. S. Basilius scribit: « Ut vitia corporis nequaquam quibusvis temere hominibus aperiant; sed iis tantummodo, qui rationem, ea curandi teneant, eodem modo etiam peccatorum revelatio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare.» Nihil porro pro confessionis Sacramentalis usu et necessitate proferri potest luculentius, Gregorii M. testimonio, occultorum peccatorum confessionem, non solum publicis poenitentibus, sed cuilibet in culpa mortuo necessariam agnoscentis, ut ab Ecclesiae pastoribus solvatur *(g)*.

Quemadmodum vero antiquitus totum publicae poenitentiae moderamen ab Episcoporum auctoritate dependit, sic etiam peccatorum publicae poenitentiae subditorum confessio coram loci Episcopo edenda erat. Aucto peccatorum numero, presbyter poenitentiarius institutus fuit, cujus erat poenitentium confessionem excipere, et poenitentiam publicam dirigere.

(a) Conc. Ancyr. c. 1., Nicaen. 10., Neocaes. c. 9. *(b)* Ep. 48. ad Sabinianum Diacon. *(c)* Ep. 92. ad Rusticum Narbon. Episcopum. *(d)* Conc. Agathense c. 50., Concil. Epaonense c. 22., Conc. Carthag. *(e)* Hom. 50. c. 4. *(f)* Ep. 80. ad Episcopos Campaniae. *(g)* S. Basil. Regul. brev. resp. 229., S. August. l. c., S. Gregor. M. hom. 26. in Evangel.

PERIODUS TERTIA

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

NOVI TESTAMENTI

A CAROLO M. USQUE AD S. GREGORIUM VII.

H. E.

AB ANNO 800. USQUE AD ANNUM 1070.

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. *Status Imperii Romani.*

Carolus M. a. 814 moriens amplissimum imperium ab Ibero in Hispania usque ad Arabonem in Hungaria extensum reliquit filio suo Ludovico Pio, qui Patre prudentia et constantia inferior a. 817 suos filios Lotharium, Pipinum, et Ludovicum in regiminis consortium admisit. Lotharium natu maximum Italiae regem et imperii consortem nuncupavit, Pipinum Aquitaniae regem constituit, et Ludovico Bojoariae regnum contulit. Intempestiva haec imperii divisio Ludovico gravissimas molestias creavit. Defuncta enim a. 819 Irmengarda Juditham Welfi ducis ex Bavarorum stirpe filiam uxorem duxit, ex qua quartum suscepit filium Carolum Calvum. Juditha instigavit Ludovicum Pium, ut Carolo filio partem regni sponderet, qua sponsione filii ex primo matrimonio adeo offensi fuerunt, ut captis armis patrem in campo Argentoratum inter et Basileam sito, qui mendacii campus dicitur, interciperent, et Juditham novercam in monasterium detruderent. Ast comitia Aquisgranensia a. 831 celebrata tum Ludovico pristinam auctoritatem, tum Judithae libertatem restituerunt. Cum a. 833 Ludovicus Pius Aquitaniam Pipino ob contumaciam et morum insolentiam ademptam Carolo dedisset, reliqui tres filii contra Patrem insur-

rexerunt, eumque abdicare coëgerunt; at rursus anno sequenti in integrum restitutus est *(a)*. Post haec Lothario plene conciliatus ea lege, ut nihil contra Carolum moliretur, cum Pipinus exeunte a. 838, mortuus esset, ita regnum a. 809 inter filios divisit, ut Lotharius, praeter Italiam, ea, quae ad ortum Mosae, Carolus, quae ad occasum sunt haberet, sola Bojoaria Ludovico assignata. Neque ita diu post represso Ludovico, qui ob iniquam regni partitionem bellum paraverat, obiit Ludovicus Pius a. 840. Quo defuncto, inter filios ejus acerrima de regno orta est contentio. Cum enim Lotharius natu maximus omnia ad se trahere, fratresque sibi subjicere moliretur, Ludovicus et Carolus conjunctis viribus ei restitere, victumque duplici praelio in hanc pacis legem compulere, ut praeter Romam et Lombardiam, Bojoariam et Aquitaniam, reliquum imperii Francici in tres partes aequales divideretur, optione Lothario relicta. Atque ita ex pacto Verodunensi a. 843, unum quod fuerat, imperium Francicum in tria regna divisum, Italicum nempe, Franco-Gallicum et Germanicum. Lotharius praeter Italiam et Imperatoris titulum accepit provincias a mari Germanico usque ad mare Mediterraneum: Ludovico cessit Germania Cisrhenana, Moguntia, Vormatia et Spira; Carolo Calvo autem obtigit Francia seu provinciae inter mare Britannicum et Mosam sitae. Cum regno Germanico Italiam et imperium Romanum conjunxit Otho M. a. 960, tenueruntque illud hoc aevo, deleta in Ludovico Infante stirpe Carolingica, Duces Saxonici et Franconici, atque ex illis anno 1056 Henricus IV.

Imperium vero Orientale, seu Graeco-Constantinopolitanum, etsi subsisteret adhuc, in dies tamen magis defecit, viribusque fractum ad exitium properavit. Ut enim taceamus domestica circa Religionem dissidia, et improba partium studia, queis civium corda ab invicem abalienabantur, malorum publicorum cumulus praesertim inde auctus est, quod principes partim essent regnandi incurii, partim consilii inopes, partim etiam in thronis suis vacillantes, imperiique limites Arabum seu Saracenorum armis undique infestarentur. Tristem Italiae jacturam aliae mox exceperunt calamitates, resque tandem eo devenit, ut anterior Asia et Africa legi Mohamedanae fasces submitterent, Graecorumque imperio eriperentur. A quo tempore eorum vires adeo debilitatae sunt, ut cruciatis occidentalium expeditionibus opus esset ad qualemcunque sui conservationem *(b)*.

(a) Annal. Bert. a. 830., Theganus c. 42-45. etc. (b) Sigebertus Gembl. a. 843., Ditmarus l. 2. p. 333., Luitprandus Append. c.1., Otho Frising. l. 6. c. 22., Horosvita de gestis Othonis c. 24.

In Oriente eximia quorundam imperatorum munificentia, et Patriarcharum sollicitudo fugientes litteras quodammodo remorabantur. Sub imperatore Theophilo, hujusque filio Michaële III philosophia cum scientiis, artibusque liberalibus in vitam est revocata, agente potissimum Barda imperii collega, qui suasu probabilius Photii, quo amicissimo usus est, publicas passim scholas erexit, viros undique doctos accersivit, totamque rem litterariam Leoni sapienti, viro litterarum peritissimo, et postea Thessalonicensi Episcopo moderandam tradidit. De philosophia Aristotelica, tum adhuc in scholis vigente, non male meruerunt Photius Categoriarum Aristotelis interpres, Michaël Psallus, aliique. Initio saeculi X imperator Leo VI, Sapiens vulgo et Philosophus cognominatus, non tantum ipse Musis litavit, sed etiam aliis earum amorem instillavit. Patris, vestigiis insistens filius Constantinus Porphyrogenitus, pollicitationibus, praemiisque torpentia suorum ingenia ad studia incitavit, veterum scripta curiose conquisivit, ex iisque excepta fieri, et ad certa capita justo ordine revocari curavit. Fatendum tamen, quod Scriptores ipsos fontes non adierint (*a*).

In Aegypto, etsi gravi tunc premeretur servitutis jugo, nonnullos tamen fuisse viros doctos, vel probat exemplum Eutychii, Patriarchae Alexandrini, qui medicinam et Theologiam variis scriptis locupletavit, aliorumque, quos enumerare nimis longum foret. Multo latiores in litteris progressus fecerunt Arabes, quorum ingenia ad mansuetiores et severiores Musas transtulit Almanon, Babylonis et Aegypti Princeps (obiit a. 803). Is enim celebres erexit scholas Bagdadi, Cusae, Baesoreae aliisque locis, insigni munificentia suos ad studia pellexit, copiosas instruxit bibliothecas, optimos Graecorum libros in Arabicum verti curavit, magnisque stipendiis viros eruditos in aulam suam contraxit. Hinc per plura saecula longa ducitur philosophorum, medicorum, astronomorum, et mathematicorum hujus gentis series. A barbara hac natione litterarum splendor ad omnes prope alios populos transfusus est (*b*).

In Occidente meliores literas liberaliter fovit Carolus M. Is enim, ut ingeniorum barbariem excuteret, undique conscivit doctos viros, eosdem familiaritate, magnisque stipendiis sibi devinxit, et scholas passim cathedrales ac claustrales

(*a*) Joan. Fabricius. (*b*) Georgius Elmacinus Hist. Sarac. l. 2. p. 109., Joan. Fabricius in Biblioth. graec. Vol. 12. p. 250.

aperuit. Patris vestigia pressit Ludovicus Pius, et hujus filii Carolus Calvus et Lotharius, qui in Italia in octo celebrioribus civitatibus scholas instituit (a).

In Anglia literis et artibus benignior lux effulgere coepit egregiis studiis Alfredi regis, qui repressis Danorum incursionibus et compositis regni turbis, Religioni, justitiae et scientiis magna felicitate et sagacitate consuluit. Quod ut ex voto consequeretur, non tantum ipse Musis litavit, verum etiam viros eruditos e longinquo accersivit, publica docendi munera ornavit, amplis honoribus et redditibus auxit, triaque collegia Oxoniensia instituit, quae cum ipsa Parisiorum schola mox de primatu contendebant (b).

Inter Pontifices Romanos promovendae eruditioni adlaboravit Silvester II, antea Gerbertus dictus, Auriliacensis prius monachus, deinde Bobiensis Abbas, Othonis III et Roberti Francorum regis praeceptor, Archiepiscopus Rhemensis, postea Ravennatensis, demum anno 999 Othonis imperatoris favore in sedem Apostolicam erectus, qui a summa celebratur in mathematicis peritia, ab acerrimis in novis machinis excogitandis ingenio, in perficiendis industria, quae rudibus hujus aevi hominibus sine familiari genio ac daemonis ope fieri posse haud videbantur. Praeclaro illius exemplo multorum Gallorum, Italorum et Germanorum ingenia ad philosophiam, mathesim, medicinam etc. pro temporis modulo excolendam excitabantur (c).

In scholis cathedralibus et claustralibus, septem artes liberales dictae tradebantur, videlicet: *grammatica, rhetorica, dialectica, arithmetica, musica, geometria et astronomia.* Philosophia Latinorum de regula tantum dialectica, i. e. logica, ac disputandi arte absolvebatur, ita quidem, ut in Occidente plerumque philosophia Aristotelica fundamenti loco poneretur, Stagyritae theoremata circa naturam, ortum et finem hujus rerum universitatis disquirerentur, ejusdem regulae utramque in partem disputandi pro norma sumerentur, ac methodus syllogistica in communem scholarum usum abiret. Inde ortus est disputandi pruritus. Non deerant viri acutiores, potissimum inter Hibernos, qui profundioribus philosophiae recessibus se immergerent. Eorum facile princeps erat Joannes Erigena Scotus, Caroli Calvi familiaris, qui non tantum Aristotelis more, sed etiam proprio marte philosophabatur et primus Theologiam scholasticam cum mystica conjungebat. Ut taceamus Dungalum Scotum et Henricum Antisiodorensem,

(a) Hist. litteraire de la France t. 4. (b) Ant. Wood. Hist. Academ., Oxon. Boulay Hist. Academ. Paris t. 1. p. 204. (c) Hist. lit. Franc. l. 6. p. 558.

monachos perspicacissimos, quorum posterior jam more Cartesii verum indagasse perbibetur (*a*).

§. 3. *Propagatio Religionis Christianae.*

Etsi Religio Christiana per octo saecula in notioribus Europae regionibus diffusa fuerit, non tamen deerant regiones, et armis et missionariis hucusque inaccessae; erant etiam regiones, in quibus christiana Religio per novos incolas barbaros misere suppressa restauranda erat. E prioribus erant sine dubio extremae Germaniae septemtrionales orae, et regiones Daniae, Sueciae, Norvegiae, finitimarumque insularum, in quas nulli patebant aditus, nisi postquam Carolus M. Saxones ad incitas redegerat. Primus Evangelii illis in regionibus praeco fuit Ebbo Rhemensis Archiepiscopus, natione Germanus ac Ludovici Pii olim condiscipulus. Orto siquidem a. 811 post mortem regis Tutiae inter filios illius de jure successionis bello, quum eorum unus, nomine Haraldus, paterno regno pulsus anno 814 in Ludovici Pii tutelam confugisset, a christiana Religione amplectenda se haud alienum significans, imperator non tantum auxiliatricem illi manum porrexit, verum etiam legatos illuc misit, qui populares ibi motus sedarent, iisque, consentiente Paschali Papa, addidit Ebbonem Archiepiscopum, et Halitgarum Episcopum, quorum labore et studio multi hujus plagae Ethnici ad Christum conversi sunt (*b*). Anno 826 ipse Haraldus, ut promissi sui fidem exsolveret, cum uxore et filiis Moguntiae baptismum suscepit. Coeptum ab Ebbone laborem deinde prosequutus est Ansgarius Corbejensis Monachus, qui cum rege Haraldo in Daniam profectus, comite Autberto, christianam Religionem in Tutia praedicavit. Ast defuncto mox socio, anno 830 solus Sueciae regnum asperrimum visitans, multos ad Christum convertit. Rediens anno sequenti ad suos, favore Ludovici Pii neo-erecto Episcopatui Hamburgensi Antistes praefectus est a. 835, quocum in illius gratiam etiam Episcopatus Bremensis coaluit. Verum devastato a. 845 per Danos hostiliter incurrente Hamburgo, Ansgarius dehinc sedem suam fixit Bremae, indeque christianae Religioni in maritimis Germaniae regionibus stabiliendae per 40 annos adlaboravit. Saeculo X Henrici Aucupis et Othonis I victoriae missionariis securiorem in Daniam et Sueciam pararunt viam, ita, ut Canutus

(*a*) Boulay, Hist. Academ. Paris t. 1. p. 288., Muratori Antiq. Ital. med. Aevi t. 3. p. 831., Hist. lit. de la France t. 4. p. 493., Le Beuf. Memoires t. 2. p. 481. (*b*) Acta SS. Ant. 3. Feb., Mabillon. Ann.

M. Daniae rex (ab a. 1014-1035) et Enricus Skautkonung, Sueciae rex anno circiter 1008 Christo nomen darent. In Norvegia a. 935 sub rege Hakone, qui baptismum in Anglia receperat, christiana Religio egregie promota, indeque mox in Islandiam, Groelandiam et Orcadas insulas translata est (a).

Dimidio circiter saeculi IX Religio Jesu Christi etiam inter Slavicas nationes in Bulgaria, Moravia et Bohemia stabilem pedem figere coepit. Bulgarorum certe ad Christum conversio non illico, sed paulatim et per quosdam veluti gradus peracta est. Quum nimirum a. 811 Nicephorum Orientis imperatorem armis edomuissent, Christianis captivis, qui in Bulgariam abducebantur, in primis Manueli Episcopo contigit, ut plures Bulgaros Christo lucrarentur. Rem christianam multum promovit Theodorus Kuphara monachus captivus. Tandem dira saeviente fame, inter an. 861 et 864, Bulgarorum rex Bogoris a Photio Constantinopoli baptizatus, et ex baptismo Michaël dictus est, stimulum insuper adjiciente imagine, qua extremus judicii dies praesentabatur. Nec satis, duos quoque fratres, Methodium et Cyrillum, monachos Thessalonicenses toto celeberrimos orbe ad se venire jussit, qui salutarem Evangelii doctrinam ad totam Bulgarorum gentem et propagarunt, et ita stabiliverunt, ut jam non amplius extirpari posse videretur (b). Dicunt, Cyrillum ad Dalmatiae et Croatiae incolas profectum, eorum regem Badimirum sacro fonte abluisse.

In magna Moravia, ineunte saeculo IX, catholicam religionem non sine magnis curis et laboribus promovit Urolchus, Laureacensis Episcopus, baptizans cum multis proceribus regem Moyncirum, et intra Hunnorum et Moravorum confinia quatuor instituens Episcopatus. Hinc commode explicatur, cur jurisdictionem in Magna Moravia Urolchus exercuerit, ritusque ibi latinus primitus viguerit. In hujus deinde locum successit ritus Slavo-Graecus, ex quo Ratislaus Moraviae dux, hostili in Ludovicum Germanorum regem animo succensus, suadente Suatopluco ex fratre nepote, qui ad Bulgarorum regem negotiorum causa venerat, a Michaële III, Graecorum imperatore, et patriarcha Constantinopolitano Sacerdotes graeci ritus petiit, duosque obtinuit nobiles missionarios, nimirum Cyrillum et Methodium, quorum labore ac studio non tantum Christiana Religio profundiores ibi radices egit, verum etiam pluribus locis, in primis Olmutii et Brunae Ecclesiae surrexerunt, ut Liturgia Slavica dominans fa-

(a) Rembertus vita Ansgarii, Wolleri Cimbria lit. (b) Fabricii lux Evang. p. 480.

cta est. Cum autem huic novitati totis sese viribus opponerent Praesul Salisburgensis, aliique Germaniae Episcopi, Joannes VIII summus Pontifex, Moravis linguae veniam dedit, ea conditione, ut Evangelium posthac lingua latina praelegeretur, et in vernacula declararetnr in Missae sacrificio (*a*).

Eodem fere tempore etiam Bohemi Religionem christianam susceperunt. Referunt annales Fuldenses, jam anno 845 snb Ludovico Germano qnatnordecim Bohemiae duces cum suis subditis Christo nomen dedisse. Ad viscera Bohemiae catholica Religio inter annum 880, et 890, penetravit, praeeunte reliquis Barzivojo Bohemiae Duce, qui in aula Suatopluci Moraviae Dncis, suasu S. Methodii baptizatus, inde Caichum Presbyterum secum in Bohemiam addnxit, nec antea conquievit, quam conjux Ludmilla vestigia illius sequeretur, quin tamen vel ipse, vel illins nepos S. Wenceslaus christianam Religionem ea in ditione dominantem reddere potuerint. Plenam demum victoriam vera ibidem fides retulit sub Boleslao II, qui a. 965 consentiente Episcopo Ratisbonensi, cujus jurisdictioni ab anno 845 Bohemia ad hoc usque tempus paruit, primum Episcopatum Pragae erexit (*b*).

Rntheni, seu Russi, hortante Basilio Graecorum imperatore, jam saeculo IX praecones Evangelii a Patriarcha Ignatio missos receperunt; ast parum solide instrncti, ad patrias mox superstitiones sunt relapsi anno 955. Olga vel Elga, quae defuncto marito Igore, impuberis filii loco clavum regiminis tenebat, Baptismum Constantinopoli suscepit, quin tamen subditorum animi ejus exemplo traherentnr. Tandem anno 988 Valdemirus I seu Magnus, a conjuge Anna, Basilii II imperatoris sorore persuasus, Chersone sacro regenerationis lavacro fuit ablutus, suoque exemplo brevi Russorum gentem ad sacra christiana pellexit, imo, nt Religio durabilem in sua ditione frnctum ferret, duos Kiovii et Novogrodi Archiepiscopatus erexit. Opus a patre coeptum, ad finem perduxit Valdemiri filius Jaroolaus, qui ecclesias et monasteria multa aedificavit, multosque libros ex graeca lingua in Russicam transferri curavit (*c*).

Inter Slavos Poloniam inhabitantes, jam sub Othone M. culturae christianae Religionis latus apertus est campus. Altiores vero radices Christi fides inter eosdem egit sub Micislao Poloniae duce, qui in gratiam uxoris suae Dambrovkae, Boleslai Bohemorum Ducis filiae christianae, polygamiae simul

(*a*) Andreas Regenvolseii syst. hist. chronol.eccl. Slav., Assemani Kalendaria Eccl. Slav. (*b*) Christ. Schmid, Bohner. (*c*) J. S. Semler de primis init. Christ. Rel inter Russos, Jerem. Fr. Reuss de Eccl.Ruth., Cedrenus Zonaras etc.

et idololatriae valedicens anno 965 veris sacris initiari voluit, legemque promulgavit, ut statuta die, nimirum septima Martii, idola per Poloniam delerentur omnia, omnesque et singuli sacra christiana amplecterentur. Quod tanta ab iis alacritate factum, aliis idola confringentibus, aliis in flumen mergentibus, ut in rei hujus memoriam pueri Poloni et Silesii quotannis Dominica *Laetare*, stramineum simulacrum per vias raptarent, in aquas mergerent, hancque consuetudinem longa annorum serie retinerent. Primis quidem ab initiis cultus ritu orientali fuit celebratus; verum immigrantibus postea Germanis Evangelii praeconibus, factum ut in illius locum occidentalis Liturgia substitueretur. Episcopatui Posnaniae, qui unicus hactenus fuerat, mox alii accesserunt, veluti Cracoviensis, Uratislaviensis, Golbergensis, ab anno 1000 Metropolitae Gnesnensi subditi (*a*).

In septentrionali Germania Otho M. non tantum Sorabes, Venedos, aliosque barbaros Albis, Salae, Havelae ac Viadri accolas sub suave Christi jugum misit, verum etiam novos Episcopatus erexit, eosque a. 968 Archiepiscopo Magdeburgensi subjecit. Devicto anno 948 Haraldo Danorum rege, varios Episcopatus instituit, eisque Archiepiscopum Hamburgensem praefecit. Neque contentus multos praesules constituisse, amplissimas quoque donationes iisdem fecit, Duces, Marchiones, Comites illos creavit, aduexo tributa exigendi, monetamque cudendi jure (*b*).

Ad Hungaros et Avaros jam Caroli M. conatibus aliqua saltem penetraverat Religionis Christianae cognitio; attamen adeo parum altis fixa radicibus, ut post imperatoris hujus mortem iterum obliteraretur. Feliciorem cursum inter eosdem habuit Religio saeculo X, cum Duces Turcarum ad Istrum Bulosudes et Gyula vel Gylos sacris christianis Constantinopoli initiarentur, hicque posterior per missionarios Graecos suam gentem erudiri vellet. Ejus filia Sarolta postea in matrimonium collocata est duci Geysae, a qua ille ad christianam Religionem est perductus. Hujus vero animus, etsi ad ethnicismum etiamnum inclinaret, opera tamen Adalberti Pragensis Episcopi in officio retinebatur, qui sub finem saeculi Hungariam ingressus, illius quoque filium Vaik baptizavit, et Stephanum nominavit, cui Gisella Henrici II soror in uxorem data fuit. Merito Stephanus Sancti honore auctus, et Hungariae Apostolus dictus est. Is enim coeptam ab avo, et patre telam praetexens, plures in regno Hungariae Episcopatus in-

(*a*) Jo. Duglossi Hist. Polon. l. 2. p. 91., Godofred. Lengnich de relig. christ. in Polon., Hansel's Hist. Eccl. p.10. (*b*) Ditmorus chron. l. 2.

stituit, amplissimisque redditibus locupletavit, quos inter eminere voluit Metropolitam Strigoniensem, Ecclesias omnibus locis extruxit, pluraque monasteria Ordinis S. Benedicti. Tradunt, eum coronam regiam a Silvestro II Pontifice accepisse. Mortuo anno 1038 Stephano, sub ejus successore Petro ex sorore nepote Hungari ad idololatriam reversi sunt. Verum Andreas, mortuo fratre, an. 1047 idololatriam penitus avertit, omnesque subditos ad Christianam Religionem redire jussit. Etiam Belas ejus successor rusticos, a. 1061 in publicis regni comitiis idololatriam, Sacerdotum necem et ecclesiarum destructionem importune postulantes, armis edomuit (*a*).

Eadem fere aetate etiam Normannis septentrionales Galliae provincias infestantibus fidei Christianae lux illucescere coepit. Quum enim Gallia longo satis tempore eorum depraedationibus fuisset exposita, tandem a. 912 Carolus Simplex Galliarum Rex, iisdem vi repellendis se imparem cernens, amicitiam cum Rollone eorum duce ita pactus est, ut Rollo christiana sacra amplecteretur, filiam Caroli Gislam uxorem duceret, eamque partem Galliae, quae ab Epta et Andella fluvio ad mare patet, incolendam acciperet. Has pacis conditiones acceptans Normannorum Dux non tantum ipse a Francone Rothomagensi Archiepiscopo baptizatus, Roberto a Roberto Lutetiae Comite dictus est, sed cum eo tota Normannorum gens Christi jugo collum submisit. A quo tempore ea pars Neustriae et Britanniae, quam Carolus Simplex suo genero cesserat, de Normannorum nomine Normannia dicta est (*b*).

In magna Tartaria, et in finitimis septentrionalis Asiae regionibus, numerosos extitisse Nestorianorum coetus, certum est. Ab anno 777-820, etiam populi mare Caspium accolentes in Christum crediderunt. Saeculo vero XI ineunte, Religio Christi ingens in Tartaria emolumentum coepit famosi illius Principis conversione, qui sub nomine Presbyteri Joannis Europaeis innotuit, de quo tamen scriptores tam varia retulerunt, tamque discrepantia, ut verum inde eruere sit longe difficillimum (*c*).

(*a*) Jo. Stilling vit. S. Stephani. (*b*) Abb. Floriac l. 2. apud Chesn. l. 2., Iperii Chron. S. Bertini c. 22. p.I., Daniel Hist. Franc. p.3.p.95. (*c*) Assemani Bibl. orient. Vol. III. et IV., Marcus Paulus Venetus de regionibus orient. L. I. c. 58. etc., Eusebius., Renaudot Anciennes relationes des Indes et de la Chine p. 320.

CAPUT II.

FATA CHRISTIANAE RELIGIONI ADVERSA.

§. 1. *Persecutio Saracenorum.*

Prae reliquis persecutoribus atrociores hac periodo erant Saraceni, qui jam sub initium saeculi VIII Asiam pene omnem ad Indorum usque fines, totam Africam, Hispaniam et Sardiniam tenebant, occupatisque Sicilia, ac multis Calabriae urbibus, Romae quoque moeniis imminebant, cunctis, quae ingrediebantur locis, vastitatem ingentem ac cladem afferentes. Ita factum, ut plures Christiani, praesertim in Oriente, rebus suis consulturi, a vera fide desciscerent, alii ad incitas redacti in quandam pedetentim ingeniorum hebetudinem, rerumque divinarum ignorantiam inciderent ita quidem, ut praeter Christianorum nomen, et ritus quosdam externos jam nihil retinuerint, homine christiano dignum. Similiter et in Hispaniae christianos Maurorum furorem fuisse grassatum, Eulogii, Roderici, Salomonis, aliorumque Chistianorum martyria satis demonstrant (*a*).

§. 2. *Persecutio Normannorum, aliorumque.*

Alia, eaque formidolosior tempestas in Christianos Europaeos, saeviit ex parte Normannorum, qui in ultima Saxonia, Scandiaque (Daniam hodie dicimus) erumpentes, jam Caroli M. tempore oram Galliae extremam infestabant: mox a. 841 etiam in viscera regni penetrabant, Ecclesiarum, monasteriorum, urbium immanes strages edebant, nec his contenti, Hispaniam quoque eidem fato subjiciebant a. 844. Italiam pervagabantur, iterumque Galliam a. 861, Germaniam denique inferiorem a. 880 (*b*).

Huc etiam pertinent barbarorum dominia per omnem Pannoniam, Illyricum, Daciam, regionesque cis et ultra Danubium Christianis perniciosissima. In primis vero Borussi, Slavi, Bohemi aliique id agebant, ut non solum christianam Religionem sibi valde invisam armorum vi a suis limitibus arcerent, verum etiam Christianorum terras igne, ferroque vastarent. Accedebant ad malorum cumulum hostiles Hungarorum per id tempus in Germaniam excursiones ac depredationes, quas inter nec Religionis, nec morum cultura ibidem in melius proficere poterat (*c*).

(*a*) Cedrenus in annal. ad an. 826., Roder Toletus de reb. Hisp. l. 5. c. 26., Acta SS. ad d. 11. Mart. t. 2. (*b*) Chron. Fronten. Duches. l. 2., Annales Berti., Muratori script. rerum italicar. etc. (*c*) Annal. Fuldens. Chron. Reginonis, Luitprandus L. II. c. 1. 2.

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Cleri auctoritas.*

Inde a temporibus regum familiae Carolingicae Episcopi et Abbates ampliorem nacti sunt auctoritatem. Jam enim VI et VII Ecclesiae saeculo nationalibus regnorum conventibus, comitiisque adstiterunt, brevi eo pervenientes ut nemine reclamante, primas in illis partes agerent, ante ipsos Duces et Comites sederent, omnium primi suffragia ferrent, suamque auctoritatem in causis quoque civilibus, ac Regum electionibus passim interponerent. Caeterum negari non potest, Clericorum, in primis Episcoporum auctoritati et venerationi in Occidente plus ponderis accessisse, quam in Oriente. Erant autem sequentes hujus phoenomeni causae: 1. Prudens quorundam imperantium consilium, perbene intelligentium, sanctitatem Religionis etiam Reipublicae saluti fore proficuam, legumque civilium non mediocre futurum robur, si Ecclesiae simul auctoritate sancirentur ac firmarentur. 2. Eximia liberalitas; qua ipsi Imperatores, Reges ac Principes Episcopis, Ecclesiis et Monasteriis saepe terrarum tractus, comitatus, urbes et pagos cum omni jure adnexo donabant, nihil sibi reservantes, nisi alti et eminentis dominii jus. Sic multi Ecclesiarum Praesules Ducum simul, Marchionum et Comitum dignitate ornati, populis non modo jus dicebant, sed etiam principibus servitia Vassallitica praestare, eorumque castra sequi tenebantur. 3. Jus cognitionis causarum civilium, a saeculo VII magis extensum Caroli M. favore; qui in Capitular. ad an. 810 non tantum Episcopis permisit, ut omnes causas civiles, ab una parte litigante ad se delatas, cognoscere possent, verum etiam sanxit, ut altera pars dissentiens pariter coram judice ecclesiastico se sisteret. 4. Immunitates personales, locales et reales Clericorum praesenti periodo extensae, et propriis armis defensae. 5. Denique miserrima inter laicos literarum conditio, Clerique pro modulo aevi monopolium litterarium, quo fiebat, ut exulante pene ubivis legendi scribendique arte, et linguae latinae peritia, soli Clerici utpote litterarum peritiores, publicis concipiendis monumentis, aliisque negotiis gravioribus peragendis adhiberentur, ipsis passim Regibus ac Proceribus intimis a consiliis essent, et vel ideo

communi omnium veneratione, summoque auctoritatis gradu potirentur (a).

§. 2. *Auctoritas Romani Pontificis.*

Romanorum Pontificum auctoritas hac periodo tanta fuit, ut regnorum passim proceres, de delictis moralibus accusatos, ad suum tribunal vocarent, ipsorum Principum ac Regum causas mere temporales judicarent. Sic Papa Gregorius IV in causa dissidiorum, quae Ludovicum Pium inter, hujusque filios emerserant, in Galliam profectus est, pacem inter Ludovicum Augustum, et filios ejus conciliaturus (b).

Sic etiam RR. Pontifices hujus aetatis judiciariam potestatem exercuerunt, si qui Principes in materia luxuriae populis suis scandalo publico essent, et accusarentur. Rei hujus exemplum invenimus in Nicolao I R. P. Nimirum Lotharius Lotharingiae rex, ut Valradam pellicem matrimonio sibi copularet, Teutbergam uxorem suam occulti flagitii cum Huberto fratre perpetrati palam accusavit, remque experimento aquae ferventis probari jussit. Verum reginae innocentia judicii divini ope vindicata, rex nihilominus in consilio ducendae Valradae perseveravit. Quem in finem an. 860 synodum Aquisgranis indixit ex omnibus regni sui Episcopis, qui praeeuntibus Archiepiscopis Coloniensi, et Trevirensi contra Teutbergam pronunciarunt. Cum vero Episcopi Galliae, quo Teutberga etiam dilapsa aufugerat, se se opponerent, Lotharius an. 862 eosdem Episcopos assentatores denuo Aquisgranum convenire jussit, qui ipsi licentiam ducendi Valradam dederunt. Quo peracto, Lotharius protinus Valradam in thori, regnique consortium adscivit. Interim Teutberga de repudio suo Nicolaum I Pontificem appellavit, qui an. 860 Concilium indixit Metis celebrandum, illucque Legatos e latere suo misit. Hi vero partim decepti, partim muneribus corrupti sententiam Synodi Aquisgranensis approbarunt. Quo audito, Papa Nicolaus I, convocata Romae Synodo, non tantum acta rescidit, verum etiam Archiepiscopos Coloniensem ac Trevirensem exauctoravit, eidemque poenae reliquos Episcopos subdidit, si a sede B. Petri, illis damnatis adhaerendo, dissenserint (c).

Eadem agendi ratione usus est Papa Hadrianus II erga Carolum Calvum occasione occupati a Carolo Lotharingiae regni, quod mortuo an. 869 sine prolibus Lothario, ad Ludo-

(a) Plank. Hist. Rel. Chr. l. 2. p. 231., Schmid Hist. Germ. P. I., Ludovic. du Chesne l. 2. p. 334., Muratori Ant. l. l. 5. p. 712. (b) Duchesne l. 2. Hist. Franc. (c) Hincmarus Rhem. lib. de divort. Loth. Labbej. t. 8. p. 742., Annales Bert. ep. Nicolai I ad Loth.

vicum II Imperatorem Lotharii fratrem, haereditario jure pertinebat. Cum scilicet Carolus ab Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi consecratus fuisset; P. Hadrianus II scriptis ad Carolum literis, eumdem redarguit, quod Lotharingiae regnum injuste usurpaverit, additis excommunicationis minis, si Apostolicae sedis monita spreverit. Nibilominus Carolus regno non abstinuit (a).

Aequalem in causa Bosonis Provinciae Comitis auctoritatem exercuit P. Joannes VIII. Quum nimirum Boso, cui Hermengardam neptem suam uxorem dederat Carolus Calvus, Provinciamque attribuerat gubernandam, an. 879 ab Episcopis et Proceribus Provinciae et Burgundiae rex electus fuisset in conventu Mantalensi, duo Franciae reges, cum Ludovico Germaniae et Carolo Crasso regibus foederati, bujus Vassalli perfidiam armis ulcisci conabantur. Hoc indigne ferens P. Joannes VIII, datis ad Carolum Crassum literis, ad pacis consilia ineunda illum est cohortatus, additis excommunicationis minis (b).

Idem Pontifex, post mortem Ludovici II Imperatoris an. 875 sequutam, Carolo Calvo Romam advocato coronam imperialem contulit, qui ut gratum animum Pontifici monstraret, eumdem, ac Ecclesiam Romanam amplissimis muneribus cumulavit (c).

§. 3. *Imperatorum interventio in rebus, Romanae Ecclesiae Pontificatum attinentibus.*

Cum extincta Caroli M. stirpe, in Italia factionibus omnia turbarentur, etiam Proceres Romani caeca ambitione correpti nibil non moliebantur, ut supremam potestatem in urbem ad se traherent. Novae factionis Duces erant Adalbertus Thusciae Marchio, et nobilis matrona, nomine Theodora, quae cum praecipuis ac potentissimis urbis familiis intime conjuncta, et a lascivis filiabus, Theodora et Marozia adjuta, ut plures alios consiliorum suorum participes reddidit, hocque in primis egit, ut an. 904 in Sedem Apostolicam intruderetur Sergius III, patria Romanus, ut factionem adjuvaret. Eo an. 911 mortuo ad Pontificatum evectus est Anastasius III, cui anno 913 successit Lando, qui aliquot tantum mensibus vixit. Ejusdem Theodorae artibus an. 914 in Sedem pontificiam intrusus est Joannes X, referente Luitprando, Theodo-

(a) In Hincm. Opp. l. 1., et Baluz. Capit. t. 2. p. 215. (b) Ep. Joan. VIII. apud Mansi T. XVII. p. 92. (c) Annal. Bert. ad an. 875., Baronius ad an. 875. n. 7. Annal. Fuld. ad an. 873.

rae amasius, qui Saracenos devicit, et an. 916 Berengarium Ducem Forojuliensem imperiali corona redimivit. Cum vero immiti factionis bujus imperio se subdere nollet, instigante Marozia Viddonis Tbusciae Marchionis uxore, in carcerem conjectus, paulo post imposito super os ejus cervicali, crudeliter suffocatus est. Post Joannis mortem Sedem Apostolicam tenuere Leo VI et Stephanus VIII. Stephano an. 931 successit Joannes XI, cum vix annum 24 attigisset. Non multo post mortuo Viddone, Marozia Hugonem Italiae regem, Viddonis fratrem non germanum, in thalamum introduxit, qui cum in Romanos tyrannidem exercere coepisset, et Albericum, quem Marozia ex Alberto Marchione genuerat, alapa cecidisset, dum aquam illius manibus abluendis imprudenter infunderet, Proceres Romani, inito foedere, Hugonis jugum excusserunt et Albericum Romanae civitatis Patritium salutarunt, cui an. 954 mortuo filius Octavianus successit. Is urbis Principatu non contentus, etsi juvenis esset 18 annorum, sedem quoque Apostolicam invasit, assumpto Joannis XII nomine.

Sub hoc autem Pontifice Othone I Germaniae regi peropportuna oblata fuit occasio vetus Imperatorum jus resuscitandi. Cum quippe rex Italiae Berengarius cum filio Adalbertus Italos satis violento imperio regeret, imo Romanae Ecclesiae gravissima tributa pro arbitrio imponeret, et quasdam ditionis Pontificiae terras sibi vindicaret, Papa Joannes XII, missis ad Othonem regem legatis, ejus auxilium contra Berengarii tyrannidem imploravit. Otho an. 961 cum exercitu in Italiam movit, annoque sequenti, Romam cum venisset, a Joanne Pontifice primus ex Germanis Imperator coronatus, Romanos adegit in sua verba, et Berengarium post annos duos in Bavariam abduxit. Sed eo Roma digresso, Joannes ab Othone deficiens, Adalbertum Berengarii filium Romam advocavit. Contra quos Otho reversus cum exercitu, fugatis ambobus, in Basilica S. Petri an. 963 Synodum congregavit, Joannem deposuit, et Leonem VIII Romanae Ecclesiae Protoscrinarium, adhuc laicum, Antipapam elegit. Post discessum Othonis M. clientes et cognati Joannis, pulso Leone, Joannem in integrum restituebant. Mortuo repente an. 964 Joanne, Romani sine Imperatoris consensu substituerunt Benedictum V, cujus audita creatione, Otho M. Spoleto Romam venit, et Romanos coegit, ut Benedictum sibi traderent, et Leonem VIII restituerunt. Per id tempus Leo imperium Romanum perpetuum regno Germaniae creditur copulasse.

Othonis M. vestigia etiam filii ejus presso pede sunt sequuti. Sic Otho II an. 980 in Italiam profectus, multa ibi-

dem peregit, ut suam ibi auctoritatem tueretur. In primis vero Otho III Crescentium Consulem Romanum, qui pulso Gregorio V Pontifice, Joannem Placentinum Episcopum in Sedem Apostolicam intrusit, cum decem criminis complicibus ultimo supplicio affecit, ac Gregorium V sedi restituit. Etiam Henricus III e stirpe Franconica oriundus partes judicis egit. Cum quippe Benedictus IX, octodecim annorum juvenis, per factionem praepotentem obtinuisset Pontificatum an. 1033, Romani eum Sede Apostolica dejecerunt, sufficientes in ejus locum Joannem Sabinum Episcopum in Pontificatu Silvestrum III dictum. Eo post 49 dies pulso, electus fuit Pontifex Joannes Gratianus Archipresbyter, qui Gregorius VI dictus est. Henricus III Romam veniens, tribus illis in Synodo Sutrensi exauctoratis, Pontificem creari jussit Suidegerum Episcopum Bambergensem, qui Clemens II dictus est, a quo Henricus cum Agnete uxore ipso die natali Domini an. 1046 coronatus fuit (*a*).

§. 4. *Animadversio.*

Quamvis Muratorius (*b*) magno eruditionis impendio probet, Luitprando non esse tuto confidendum, omnia tamen ficta esse nequeunt. Caeterum sedulo cavendum, ne ejusmodi Pontificum recensentes historiam, a veneratione Ecclesiae Catholicae, aut dignitatis Pontificiae vel latum numquam avellamur. Certe quorundam Pontificum facinora, etsi Ecclesiam nonnihil offuscarint, speciem tamen ejus, sanctitatem ac fidem non violarunt. Deliquerint etiam graviter Pontifices nonnulli, an non, teste historia, pancissimi erant, in comparatione cum tot lucidissimis pietatis, virtutis ac sanctimoniae prodigiis, quae sedem Apostolicam immortalitati mandarunt? An dignitas Apostolica contemnenda est, quod Judas fuerit ad ipsam provectus? Nec enim ex personis fides, sed ex fide personae dijudicandae sunt. Imo manifestae potius divinae providentiae specimina inde elucent, quod Ecclesia Christi etiam sub directione malorum Pontificum ab omni naufragio sit praeservata, quodque hoc ipsum saeculum sanctorum virorum ex omni tribu et lingua, multo fuerit feracius, quam alia saecula feliciora.

(*a*) Luitprand. de reb. Impp. et Regg. l. 2. c. 13. l. 3. c. 10. 12. l. 6. c. 6. Append. c. 1-5., Sigonius de Regno Ital. l. 6., Hodoardus Chron. ad an. 929-933., Dithmarus l. 2. p. 333., Otho Frising. l. 6. c. 22., Du Mont. l. 1. P. I. p. 39., Sigebertus Gamblac. Jaxo, Chron. Cassin. l. 2. c. 18., Desiderius Cassin. l. 3 p. 853. (*b*) Annal. l. 5. p. 267.

§. 5. *Commentum de Joanna Papissa.*

Puderet profecto, vel obiter hic pertractare, quae de Joanna Papissa non minus falso, quam inverecunde sunt narrata; nisi nostris iterum diebus ineptissima haec fabula fuisset recocta. Facti, quod dicitur, summa haec est: inter Leonem IV et Benedictum III, in Sede Pontificia sedisse foeminam, Joannis VIII nomine, ex Moguntia oriundam, antea Joannem Anglicum dictam. Addunt, habitu virili Athenas, antiquam literarum sedem ab amasio suo deductam, hinc Romam delatam, hicque S. litteras publice professam, tantam sibi scientiae comparasse laudem, ut in Papam eligeretur, sexum eo felicius mentitam, quod mares in toto fere Occidente barbas raderent. Denique impraegnatam a familiari peperisse in via publica, cum de S. Petro in Lateranum tenderet. Hanc vero narrationem e veritate prorsus alienam, et in fabularum censum referendam esse, ita planum est, ut mirari oporteat, viros fuisse quosdam, qui ejus veritati asserendae operam suam impenderint. Nam 1. ex testimoniis coaevorum, suppariumque auctorum probatur, Leoni IV an. 855 17 Julii defuncto statim ac immediate successisse Benedictum III, adeoque nullum relinqui foeminae Papissae locum. Legitur in ep. 26 Hincmari Rhemensis, legatos illius in itinere edoctos de Leonis IV obitu, postquam Romam venerunt, Benedictum III jam offendisse. 2. Plurimum etiam valet constans et unanime omnium Graecorum hujus temporis silentium, Photii in primis, qui amplissimam habuisset occasionem, Latinam Ecclesiam hujusmodi criminatione cavillandi. 3. Hincmarus Rhemensis, Ado Viennensis, Lupus Ferrariensis, Anastasius Bibliothecarius, Conradus Urspergensis, aliique hujus ordinis scriptores coaevi et suppares nullam hujus rei faciunt mentionem. 4. Marianus Scotus, Sigebertus Gamblacensis, et Martinus Polonus, in quorum scriptis prima hujus historiae occurrit mentio, ducentis et ultra annis recentiores sunt: imo in ipsorum Chronicis antiquissimis haec fabula desideratur. 5. Ex historia patet, saeculo nono Athenis nullam scholam fuisse. 6. Denique incredibile omnino est, foeminam incertae originis et patriae, sine ullo Ordine et testimonio anteactae vitae, ita inconsulto Pontificem fieri potuisse *(a)*.

(a) Bergier. Dict. de la Theolog.

§. 6. *Modus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas.*

Quoad modum attinet perveniendi ad dignitates ecclesiasticas, Ecclesiarum Rectores secundum canones et leges civiles assumebantur per electionem, cujus libertatem Carolus M. et Ludovicus Pius sanciverunt, ita tamen, ut regis quoque consensus in electionem exquireretur. Nonnumquam etiam ipsi Reges quosdam Episcopos nominarunt, quod jus potissimum Imperatoribus in Germania competebat. Porro cum Episcopi Regalia seu feuda possiderent, consuetudo invaluit, ut Reges et Imperatores Regalia Episcopatibus adnexa impertirentur. Inde repetenda est investiturarum origo. Erat autem investitura actus solemnis, quo Dominus directus dominium utile fendi sub certis symbolis tradebat Vassallo. Vassallus vero juramento fidelitatis se obstringebat erga Dominum directum, quem tempore belli non solum rebus, verum etiam militibus adjuvare tenebatur. Symbola vero erant v. g. vexillum, gladius etc., quorum traditione significabatur transitus dominii utilis in Vassallum, manente semper jure proprietatis apud Dominum directum; unde Vassallus feudum alienare non poterat, sed mortuo Vassallo dominium ad Dominum directum revertebatur. In prima feudorum origine Vassalli sive Clerici, sive Laici iisdem insignibus investiebantur; sub finem vero hujus Periodi Abbates et Episcopi per traditionem annuli et baculi pastoralis investiri coepere. Post obitum nempe Episcopi haec signa ad aulam Regis aut Imperatoris mittebantur, neo-electo Episcopo a Principe investiente tradebantur, quibus acceptis demum consecrari poterat.

Etiam Romani Pontifices totius Cleri et populi Romani suffragiis creabantur. Quia vero in electione Romanorum Pontificum saepissime turbae ortae sunt, statutum fuit, ut Pontifex electus non consecretur nisi accedente Imperatoris consensu. Otho I praescripsit, ut Pontificis consecratio peragatur, praesentibus Imperatoris legatis. Hanc eligendi formam mutavit Papa Nicolaus II, cui praepotentia Gregorii Comitis Tusculani appositus fuerat Antipapa Benedictus X, qui vi peculiaris decreti in Synodo Romana a 1059 editi, sanxit, ut Pontifices in posterum privative a Cardinalibus Ecclesiae Romanae eligerentur, reliquus autem Clerus ac populus ad consensum novae electionis accederet, salva tamen Henrici IV, tunc Germaniae regis et imperatoris futuri reverentia.

Qua occasione abs re non erit, in originem Cardinalium, hujusque vocabuli sensum inquirere. Antiquiori aevo dicti sunt omnes Clerici servitio alicujus Ecclesiae adscripti, vel titulo illius incardinati (intitulati), v. g. Episcopi, Presbyteri,

Diaconi Cardinales, ut videlicet ab illis distinguerentur Clerici, qui nonnisi modo extraordinario cuidam Ecclesiae inserviebant. Ex quo autem Romani Pontifices ad ampliorem externae auctoritatis gradum ascenderunt, negotia ecclesiastica magis, magisque creverunt, ipsique Cardinales electionis Pontificiae exclusive participes facti sunt, hi praecipuo jam dignitatis splendore nitere, eorumque munia originaria, cum novis illorum officiis haud compatibilia in simplices titulos abire coeperunt. A quo tempore Cardinalatus jam non ab Ecclesiae adscriptione, sed a speciali assistentia Pontifici praestanda repeti coepit, iisque solis Cardinalium nomen inditum est, qui post tempora Nicolai II potestate gaudebant, eligendi Romanum Pontificem *(a)*.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Scriptores Saeculi IX Graeci.*

Nicephorus ab anno 806 Patriarcha Constantinopolitanus, a Leone Armeno Imperatore iconomacho ob causam fidei in exilium missus, et intra septa monasterii, quod ipse fundaverat, mortuus, reliquit Breviarium historiae de rebus gestis ab obitu Mauritii ad Constantinum usque Copronymum, quod a criticis valde laudatur.

Theodorus Studita, monachus et Abbas monasterii, a quo cognomen habet, acerrimus cultus sacrarum imaginum defensor, scripsit: 1. Parvam Catechesim 134 sermonibus constantem; 2. Magnam Catechesim, in partes divisam, in qua coenobii instituta exponuntur; 3. Orationes complures; 4. Librum dogmaticum contra Iconomachos; 5. Quinque libros epistolarum.

Methodius, vulgo Confessor dictus, ab Imperatoribus Iconomachis pro causa fidei multa passus, ab an. 842 Patriarcha Constantinopolitanus, posteritati mandavit nonnullas homilias, et historiam vel Encomion Dionysii Areopagitae, quod vero ex Hilduini Areopagiticis desumptum videtur.

Photius, Tarasii Patriarchae Constantinopolitani ex sorore nepos, Imperatoris primum a secretis, et Urbis Senator, deinde expulso Ignatio, sedis C. P. invasor ab an. 858, hac tamen

(a) Papebroch. con. hist. f. 116., Mabillon. comment. in ord. Roman. c. 18, Thomassinus P. I. l. 2., Ludovic. Ant. Muratori Diss. de origin. Card. in antiqq. Ital. t. 5. p. 656.

dignitate bis juste dejectus, et a. 891 in exilio mortuus: vir caetera doctissimus, historicus, philosophus, criticus, orator, qui insignia reliquit suae eruditionis monumenta. Huc in primis referuntur : 1. Ejus Bibliotheca qua libros a se lectos critice recensuit, multorumque fragmenta et excerpta ad posteros transmisit ; 2. Nomocanon 14 titulis comprehensus, qui canones Apostolorum, veterumque conciliorum, cum legibus Imperatorum collatos complectitur ; 3. Commentarius in epistolas S. Pauli ; 4. Epistolae plurimae ; 5. Quatuor libri adversus Manichaeos etc.

§. 2. *Scriptores ecclesiastici saeculi IX Latini.*

Claudius Episcopus Taurinensis, natione Hispanus, non solum imagines, verum etiam symbola omnia Dominicae Crucis ex Ecclesiis disjecit. Multa scripsit ; praecipue vero Commentaria in sacros utriusque Testamenti libros.

Valafridus Strabo, Rabani Mauri discipulus, S. Galli Monachus , deinde Angiae divitis Abbas, metro et prosa multa scripsit. In primis illius est, ut reliqua taceam, Liber de rebus ecclesiasticis et Glossa ordinaria in sacram Scripturam.

Christianus Drutmarus ex Aquitania oriundus monachus coenobii Corbejensis in Gallia, plures consarcinavit Commentarios, e quibus hodie supersunt Commentarius in S. Matthaeum, et quaedam fragmenta in sanctorum Joannis et Lucae Evangelium.

Haymo ex Anglo-Saxonum genere, Alcuini quondam discipulus, et condiscipulus Rabani, deinde monachus Fuldensis, Hersfeldensis postmodum Abbas : tandem a. 841 Halberstadiensis in Saxonia Episcopus, mortuus anno circiter 853. Ex scriptis illius commemorari merentur Commentarii in Psalmos, in Profetas, in Epistolas S. Pauli, in Apocalypsim, in Evangelia, de amore coelestis Patriae libri VI, Epitome Historiae sacrae.

Rabanus Maurus ortu Moguntinus, ex Fuldensi monacho a. 847 Moguntinus factus Archiepiscopus, vir saeculi sui facile doctissimus, mortuus a. 856. Inter plurima illius scripta eminent: Commentaria in omnes fere sacrae Scripturae libros, Homiliae, tres Libri de Clericorum institutione, Epistolae etc.

Drepanius Florus, passim Florus Magister dictus, Lugdunensis Ecclesiae Diaconus scripsit: 1. Librum adversus errores Joannis Scoti de Praescientia et Praedestinatione, et libero arbitrio ; 2. Librum de actione Missarum ; 3. Opusculum de Episcoporum electione ; 4. Martyrologium.

Lnpus Servatus, natione Gallns, Rabani Manri discipnlus, ex Presbytero Moguntino Caroli Calvi favore Ferrariensis Abbas factus, vir valde doctus, obiit an. 862. Tribuitur illi Liber epistolarum, seu Liber de tribns Quaestionibus, et Collectaneus de iisdem ad Carolum Calvum, scilicet de libero arbitrio, de praedestinatioue bonorum et malornm, de sanguinis Christi Redemptione.

Ratramnus monachus Corbejensis scripsit: 1. Dnos libros de Praedestinatione: 2. Librum de Corpore et Sanguine Christi, in qno tamen realem Christi in Encharistia praesentiam non negavit, uti nobis fidem facere volunt Calviniani; 3. Tres libros ad objecta Graecorum; 4. Libellum de Christi Nativitate; 5. Librum de Trina Deitate; 6. Librum de anima. Obiit 868.

Ado, genere nobilis, primnm Ferrariensis monachus, deinde Viennensis in Gallia Episcopus, reliquit Martyrologium, Chronicon ab exordio mundi usque ad Imperatoris Lotharii, Ludovici et Caroli filiorum principatum, et vitas S. Desiderii Viennensis Episcopi, ac sancti Theuderii Abbatis Viennensis. Obiit a. 875.

Joannes Erigena, patria probabilius Scotus, jussu Caroli Calvi Franciae regis, Dionysii Areopagitae libros latine reddidit, ab Alfredo rege a Galliis advocatns in Angliam transfretavit a. 884, docendique provinciam in Oxoniensi schola subiit. Scripsit autem 1. Librum de Eucharistia, quo Berengario, caeterisque Sacramentariis praelusit. 2. Librum de praedestinatione contra S. Augustini discipulos. 3. Libros V de divisione natnrae.

Anastasius Abbas Romanus Ordinis Benedictini, Romanae Ecclesiae Bibliothecarius, vir in omni doctrinae genere versatissimus, scripsit: 1. Historiam Romanornm Pontificnm seu Librum Pontificalem; 2. Collectanea i. e. varias epistolas et Relationes Monothelitarum historiam respicientes; 3. Acta Conciliorum generalium VII et VIII in latinum vertit; 4. Historiam ecclesiasticam ex chronographia Tripartita Nicephori, Georgii Syncelli et Theophanis latine exposuit. E vivis sublatus a. 886.

Rhegino Prumiensis Coenobii in dioecesi Trevirensi monachus, deinde a. 982 Abbas, posteritati reliquit: 1. Duos Chronicorum Libros ab adventu Domini usque ad annum 908 deductos, quibus praecipue res Francorum et Germanorum delineavit; 9. Duos libros de ecclesiasticis disciplinis et Religione christiana.

§. 3. *Scriptores Graeci Saeculi X.*

Litterarium orientalis Ecclesiae Statum saeculo X e paucitate Scriptorum dijudicare possumus. Qui scriptis suis utilem Ecclesiae operam navarunt, fuernnt sequentes : Simeon vulgo Metaphrastes dictus, quod vitas Sanctorum exaraverit, propter generis claritatem, facundiam et prudentiam adeo celebris, ut ipsis Imperatoribus a secretis et intimis consiliis esset, summaque in aula Constantinopolitana Logothetae , seu summi Cancellarii dignitatem adipisceretur, potiorem temporis a negotiis residui partem, sacrarum antiquitatum studio impendens, vitisque Sanctorum perlustrandis , quas etiam summa , qua potuit, diligentia collegit, adornavit, et ad mensium dies digessit.

Nicon Monachus Armenus, suscepto ad gentes Apostolatn, in Armenia et Graecia Evangelium praedicavit. Eum quoque Thaumaturgum fuisse , illius biographi passim referunt. Supersunt hodie quaedam ejusdem elucubrationes , partim in Codicibus MS. partim in typo , quas inter eminet Liber de pessima Religione Armenorum.

Oecumenius Tricensis in Thracia Episcopus, saeculo X florens, in exegeticis S. Joannis Chrysostomi vestigia pressit. Ejus enarrationes in Acta Apostolorum et Commentarii in Pauli et septem canonicas Epistolas similiores sunt scholiis, dictus eapropter Scholiastes graecus.

Eutychius primnm medicus , deinde Patriarcha Alexandrinus per annos 17 Annales scripsit ab orbe condito usque ad annum 940 sermone Arabico, quorum versionem latinam dedit Pocokius. Ad superos evolavit a. 940.

§. 4. *Scriptores Latini Saeculi X.*

Flodoardus, aliis Frodoardus Gallns, Presbyter primum et Canonicus Ecclesiae Rhemensis, deinde, abdicato Canonicatn, coenobii Rhemensis S. Remigii Monachus et Abbas creatus, vir vitae venerabilis, et in scribendo diligens, cui debentur : 1. Libri quatuor Historiae Ecclesiae Rhemensis, sive de gestis Rhemensium Episcoporum ; 2. Chronicon de rebus inter Francos gestis ab anno Domini 919-966 ; 3. Denique plura Carmina historica de vitis Sanctorum, inter quas eminent vitae Pontificnm.

Luitprandus Italus, Diaconus primum Ticinensis, deinde Episcopus Cremonensis, vir eruditus, litterarum latinarum et graecarum peritus, scripsit ; 1. Historiam rernm gestarum ab Europae Imperatoribus et regibus, sex libris digestam ; 2. Hi-

storiam Legationis suae ad Nicephorum Phocam. Mortuus post an. 968.

Rotherius, monachus Lobiensis, deinde favore Hugonis Italiae regis Episcopus Veronensis, quo derelicto in Lobiense suum coenobium se recepit. Scripsit epistolam synodalem ad Presbyteros et Ordines per universam dioecesim constitutos, et Librum de contemptu canonum.

Aimonius monachus Floriacensis, sub initium saec. XI florens, praeter alia minoris momenti, Historiam Francorum scripsit in quatuor libros divisam.

Gerbertus primum Archiepiscopus Rhemensis, deinde Ravennatensis, ac demum sub nomine Silvestri II Pontifex Romanus, cui debentur: Epistolae, aevi hujus historiam mire illustrantes, plures Tractatus de Geometria, Rhetorica, Mathesi, etc., item Tractatus de corpore et sanguine Domini. Mortuus anno 1003.

Abbo, patria Aurelianensis, coenobii Floriacensis monachus, deinde Abbas, reliquit: 1. Epitome de vitis Romanorum Pontificum XCI; 2. Vitam S. Edmundi Anglorum regis ac Martyris; 3. Quasdam porro epistolas et opuscula, quorum sola fragmenta ad nos pervenere.

Elfricus cognomento Grammaticus, Abbas primum Malmesburiensis, deinde Archiepiscopus Eboracensis, Biblia Sacra et Dialogos Gregorii M. Anglo-Saxonice reddidit. Habentur praeterea ejusdem epistolae et Homiliae, in primis Homilia paschalis de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi.

Burchardus Vormatiensis Episcopus edidit in lucem Magnum Canonum Volumen, cujus viginti tantum libri hodie supersunt.

§. 5. *Scriptores Graeci Saeculi XI.*

Michael Cerularius, Patriarcha Constantinopolitanus, scripsit: 1. Epistolam ad Joannem Episcopum Traunensem; 2. Opus contra Latinos; 3. Edictum synodale adversus Latinos; 4. Decisionem synodicam de nuptiis in septimo gradu etc. Mortuus a. 1059.

Nicetas Pectoratus, coenobii Studiensis monachus, vir perspicacissimus, auctor quorumdam scriptorum polemicorum adversus Latinos e. g. de azymis, Sabbathorum jejunio et nuptiis Sacerdotum, quae tamen, meliora postmodum edoctus, recantavit, et flammis ultricibus tradidit.

Georgius Cedrenus monachus, cui debetur compendium Historiarum ab orbe condito ad Isacci Comueni imperium, seu ad annum Christi 1057. Mortuus circa an. 1060.

Bruno Conradi Romanorum Imperatoris patruelis, Episcopus Herbipolitanus, vir pietatis et doctrinae fama celeberrimus, Commentaria scripsit in Psalterium et Cantica tam veteris et novi Testamenti, in Orationem Dominicam, in symbolum Apostolicum et S. Athanasii. Mortuus a. 1045.

Odilo patria Gallus, Cluniacensium monachorum Abbas, sic dictae Ireguae, seu induciarum a bello privato certis diebus promotor, annuae commemorationis fidelium omnium defunctorum, pro suis saltem monachis auctor zelo inflammatus, cui in primis debentur: Sermones, Epistolae, Hymni, Vita S. Majoli, S. Adelaidis, etc. Mortuus a. 1049.

Humbertus, e monacho Benedictino, Sylvae Candidae Episcopus creatus, et inter S. R. E. Cardinales adlectus, a Leone IX P. R. cum aliis Constantinopolim missus ut Latinae Ecclesiae causam adversus Graecos propugnaret, formulae abjurationis Berengario ad subscribendum propositae auctor, scripsit: 1. Librum adversus calumnias Michaelis Patriarchae Constantinopolitani, et Leonis Acridani; 2. Libros tres adversus Simoniacos; 3. Brevem relationem rerum ab Apostolicae Sedis legatis Constantinopoli gestarum a. 1054.

Ademarus coenobii Lemovicensis S. Martialis monachus continuavit Historiam Franciae ab anno 829-1029. Extat praeterea in ejus scriptis Epistola de Apostolatu Martialis Lemovicensis. Mortuus an. circiter 1030.

Rodulphus Glaber, monachus Cluniacensis, sub regibus Francorum Roberto et Henrico I vivens, scripsit Historiam quinque libris comprehensam ab an. 990-1046, et vitam S. Gulielmi Abbatis, nec non S. Benigni Divionensis. Mortuus a. 1048.

S. Petrus Damiani a fratre natu majore sic cognominatus, Ravenna oriundus, in eremo S. Crucis Fontis Avellanae monasticam vitam professus, a Stephano IX S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis creatus, disciplinae ecclesiasticae contra Clericos Simoniacos et incontinentes propugnandae studiosissimus, honorificis legationibus perfunctus, demum abdicata dignitate Cardinalitia, ad solitariam vitam reversus, cui debentur Libri VII Epistolarum, sermones sacri permulti, vitae variorum Sanctorum, 52 tractatus partim dogmatici, partim morales, partim ascetici, et multa carmina. Obiit a. 1072.

Lanfrancus Papiae natus, ordinis Benedictini monachus, ex Priore Beccensi Cadomensis Abbas, et demum Cantuariensis Episcopus an. 1070 creatus, scripsit: 1. Librum de corpore et sanguine Domini; 2. Commentarium in epistolas sancti Pauli; 3. Plures epistolas. Mortuus est an. 1088.

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Praecipua capita doctrinae catholicae.*

Dogmata Catholicorum, ad salutem animarum consequendam creditu necessaria, non obstante aevi hujus ruditate et ignorantia, inconcussa perstitisse, et nihil inde decerptum, nihilque iis additum fuisse, Periodi hujus monumenta historica satis confirmant. Veruntamen, quum tota hac aetate nulla Concilia oecnmenica, praeter Concilium Constantinopolitanum IV celebrata fuerint, doctrina Catholicorum ex praxi Ecclesiae, operibus Scriptornm ecclesiasticorum et particnlarium conciliorum declarationibus haurienda est. Ex hisce discimus, originarium transubstantiationis dogma saeculo IX in Ecclesia creditnm fuisse; nam Rabanus Maurus (*a*) eam in rem scribit: « Quis unquam crederet, qnod panis in carnem potuisset converti, et vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem et vinnm creavit, et omnia ex nihilo. » Idem confirmat Amalarins (*b*). Saeculo X eamdem viguisse fidem, eruitur ex Rotherio Veronensi, Uldarico aliisque. Secretae confessionis peccatorum usum saeculo IX viguisse, patet ex actis Concilii Cabilonensis II an. 813 sub Carolo M. celebrati, cnjus canon 33 declarat: « non solum Deo sed etiam Sacerdoti confitenda esse peccata » Praedestinationis et gratiae divinae dogma, etiam saeculo IX in Ecclesia fuisse agnitum, ita certum est, ut certius nihil esse possit. Doctrinam denique de licito Sanctorum, Reliquiarum et Imaginum cultu demonstrant ntriusque Ecclesiæ praxis in cultu Sanctorum, devotae reliquiarum translationes, et perseverans sacrarum imaginum veneratio. Reliqna Ecclesiae dogmata, qnae vel denuo proposita, vel occasione litinm theologicarum, aut haeresum distinctius fuere evoluta, hoc loci praetereunda, et opportnna occasione leviter attingenda duximus.

§. 2. *Controversia de modo praesentiae Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia.*

Paschasius Radbertns coenobii Corbejensis O. B. Abbas, scripto anno 831 Libello de Corpore et Sanguine Domini totus in id incubuit, ut doceret; verum corpus et sanguinem Christi existere in Eucharistia ı panis et vini substantiam, facta con-

(*a*) L. 7. de Sacrament. Ord. c. 10. (*b*) L. 3. Officior. eccles. c. 24.

secratione, non superesse: ipsumque corpus non aliud esse, quam quod de Virgine natum est, in cruce passum, de sepulchro surrexit. Haec expositio, maxime vero ultima ejus pars, licet in se clarissima, atque in SS. Patrum scriptis passim obvia, multis visa est nova et mirabilis, nec defuerunt saeculo IX et sequenti viri docti, uti Rabanus Maurus, Amalarius, Rotramnus, Joannes Scotus, Rotherius Veronensis, aliique, qui ultimum Paschasii Radberti assertum impugnandum sibi sumerent. Haec cum ita essent, Protestantium nonnulli eumdem ut novatorem in dogmate eucharistico lacessunt, calumniantes: illum primum fuisse ausum carnalem praesentiam Christi in Eucharistia affirmare. Sed ex his auctoribus nemo doctrinam praesentiae realis Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia impugnavit, et Paschasio hac in re contradixit, si excipiatur Joannes Scotus Erigena, qui teste Hincmaro, docuit: Sacramentum Eucharistiae esse Domini memoriam. Reliqui non dissenserunt ab eo circa substantiam dogmatis et summam fidei, sed tantum in modo loquendi, negantes idem esse in Eucharistia Christi corpus, quantum ad existendi modum, cum quaedam corpori Christi in Sacramenti conveniant, quae ei praecise in statu naturali non competunt, ut e. g. carere extensione locali, per se non moveri, manducari. Patet igitur, totam hanc controversiam circa modum explicandi existentiam Christi, non vero circa Mysterii substantiam versatam fuisse (*a*).

§. 3. *Berengarius.*

Calamitosissimam litem ineunte saeculo XI de dogmate eucharistico suscitavit Berengarius Turonensis, Archidiaconus Ecclesiae Andegavensis, Thesaurarius et Magister scholae Turonensis, vir petulanti et versatili ingenio, jamque a praeceptore suo Fulberto ob novarum rerum cupiditatem identidem admonitus. Is autem dialecticorum subtilitatibus justo plus delectatus; doctrinam Ecclesiae Catholicae de Eucharistia audacter oppugnavit, panis, vinique substantiam, etiam post consecrationem perseverare contendens. Et quamvis Adelmannus Brixiensis Episcopus, ejus olim condiscipulus dehortatorias ad eumdem litteras scripserit, is tamen adeo parum resipuit, quin potius, scripta a. 1049 ad Lanfrancum familiari epistola, eumdem suas in partes trahere conaretur, quin tamen suam sententiam curatius definiret. Cum haec Berengarii epistola intercepta fuisset, atque ad Leonem IX Papam delata, coacta

(*a*) Synod. Par.

est ab eodem a. 1050 Romae synodus, in qua Lanfrancus tunc Romae praesens ab haeresi se purgavit, Berengarii doctrina ut haeretica damnata, absens vero Berengarius ad proxime futurum Vercellense concilium citatus est. Secuta est postmodum synodus Vercellensis, eodem praesidente Pontifice, in qua, quum ausus non fuisset comparere Berengarius, et missi ab eo Clerici in primo statim suae defensionis aditu defecissent, ejus doctrina proscripta, Joannis Scoti liber de Eucharistia, quo erroris magister gloriabatur, lectus et igni traditus. Sub hoc inter ambas Synodos intervallo Berengarius in Normanniam concessit, ibique in conventu Brionensi, erroris adeo convictus est, ut tandem quasi mutus et elinguis remanserit. Cum vero nihilominus in errore suo persisteret, eodem anno Henricus Galliae rex synodum Parisiis indixit, in qua Berengarii absentis, et Joannis Scoti Erigenae scripta velut impia damnata sunt et una voce clamatum, sectarios armata etiam manu conquirendos, et nisi resipiscerent, morte afficiendos. A quo tempore, et si controversia hujus aestus non parum deferbuisset, Berengarius tamen errorum, quos fallaci animo aliquandiu texerat, virus denuo effundere coepit. Quam ob rem sub Victore II in synodo Turonênsi a 1055 habita, cui praefuit Pontificis Legatus Hildebrandus, Berengarius praesens errorem abjuravit, et catholicam fidem professus est. Quum autem incostans ille a veritate defecisset, Nicolaus II Papa a. 1059 Concilium 113 Episcoporum Romae celebravit, in quo Berengarius praesens a Lanfranco erroris convictus, pristinum detestatus est haeresim, Libros perversi dogmatis, praesertim librum Joannis Scoti in ignem conjecit, fideique confessioni a Cardinali Humberto editae subscripsit, quam Pontifex per omnem Italiam, Galliam et Germaniam promulgari jussit. Verum datae fidei immemor Berengarius, non ita diu post errores suos, quos poenarum formidine abjuraverat, rursus per discipulos suos clam disseminavit, quin dehortatoriis Alexandri II Papae literis meliorem ad frugem reduci potuerit. Tandem a 1079 Gregorius VII Papa, indicto Romae Concilio, ultimam ejus excepit abjurationem, eumque Ecclesiae sanctae reconciliavit, facta prohibitione, ne quid unquam scriberet, praedicaret, disputaret de hoc Sacramento, nisi forte ad eos convertendos, quos in errorem traxerat. Ad extremum Berengarius in insula S. Cosmae Turonibus vicinia inter durissima poenitentiae opera nonagenarius obiit a.1088. Eum constantem in retractatione sui erroris mortuum fuisse,

confirmant testimonia Gulielmi Malmesbur, Mathaei Parisii, aliorumque *(a)*.

§. 4. *Controversia de Praedestinatione.*

Hanc controversiam excitavit Gotteschalcus Saxo, nobili prosapia ortus, in monasterio Fuldensi educatus, ibidemque sub Rabano Mauro Abbate institutum monasticum professus. Hujus vitae et disciplinae pertaesus apud Otgarium Episcopum Moguntinum egit, ut votis monasticis solveretur, quod ista nonnisi a Parentibus coactus emiserit; ast cum Rabanus Maurus se opposuisset, licentiam solum obtinuit e monasterio Fuldiensi ad Orbacense in dioecesi Rhemensi situm transeundi, ubi etiam Presbyter ordinatus est. Is cum ex peregrinatione romana redux in domum Eberardi comitis Forojuliensis divertisset, ibique diutius immoratus fuisset, collationem babuit cum Nottingo Veronensi Episcopo de duplici praedestinatione, sive electorum ad vitam, sive reproborum ad mortem. Nottingo Gotteschalcus visus est minus recte sentire; quam ob rem eum detulit ad Rabanum Maurum Otgarii successorem in Archiepiscopatu Moguntino, qui opusculum de praedestinatione edidit a. 847 ad illum confutandum. Quum Gotteschalcus post varia itinera Moguntiam venisset, Rabanus Maurus anno 848 Moguntiae Synodum congregavit, in qua Gotteschalcus professionem suam edidit de inevitabili praedestinatione, sive electorum ad vitam, sive reproborum ad mortem sempiternam. Examinata in synodo Gotteschalchi professione, ipse praesens auditus et damnatus est, ejusque doctrina ceu haeretica confixa. Quum tamen Hincmari Rhemensis Metropolitae jurisdictioni subesset, ad eum remissus est. Anno 849 Hincmarus in regio palatio prope Rhemos, Carisiaco dicto, Episcopos Provinciae suae, aliosque Clericos et Abbates, ad comitia, quae ibi celebrabantur, praesentes, in synodum congregavit, in qua Gotteschalcus auditus nihil ratione dignum protulit, sed in contumelias singulorum prorupit. Itaque incorrigibilis inventus, bonore sacerdotali dejectus, asperis verberibus pro more aevi castigatus, tandemque in carcerem monasterii Antiviralensis detrusus est. Quo in carcere duas edidit confessiones, quae quod ambiguis verbis essent scriptae, dubium erat, intellexeritne Praedestinationem reproborum ad solam poenam, an vero etiam ad culpam; quam ob rem Ec-

(a) Vita Bereng. in Hidberti Cenoman. opp. p. 1324., Hist litt. Franc. t. 8. p. 197., Lanfranc. l. de Corp. et Sang. Domini c. 4., Durandus l. de Corp. et Sang. Christi. Bertholdus Constantiensis in suo Chronico etc.

clesia Gallicana in duas factiones scissa est, aliis pro Gotteschalco, v. g. Prudentio Trecensi Episcopo, Lupo Servato Abbate Ferrariensi, Ratramno Corbejensi monacho, aliis adversus eumdem militantibus. Quapropter Hincmarus a. 854 aliam synodum Carisiaci congregavit, et quatuor articulos doctrinae Gotteschalci opposuit, quorum summa haec erat: 1. Deus neminem ad poenam praedestinavit; 2. Deus omnes homines vult salvos fieri, quamvis non omnes salventur; 3. Christus pro omnibus hominibus mortuus est, quamquam non omnes meriti mortis ejus participes fiant; 4. Liberum arbitrium, quod per Adamum perdideramus, per Christum recepimus. Mortuus est Gotteschalcus anno 868 in carcere et extra coenobii septa in loco separato sine cantu sepultus (*a*).

§. 5. *Controversia de Processione Spiritus Sancti.*

Huic controversiae ansam dedit particula *Filioque* quae Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano a Latinis addita fuit. Probabilior haec adolitio facta fuit in Hispania, quia in Concilio Toletano III anni 589 primum deprehenditur. Eam caeterae Ecclesiae Latinae adoptarunt, quia sacrae Scripturae Patrumque effatis consentanea erat. At Greci Latinis exprobare coeperunt non solum Symboli augmentum, verum etiam doctrinam eo expressam; imo Graecorum Legati ad Pipinum Francorum regem missi, in Concilio a. 767 Gentiliaci habito doctrinae de processione Spiritus Sancti a Filio contradixerunt. Quam ob rem Paulinus Patriarcha Aquilejensis a. 796 synodum celebravit, in qua additio particulae « Filioque » fuit approbata. Quum vero orientales Monachos Francos in monte Olivarum prope Jerosolymam degentes haereseos arguerent, quia symbolum cum additione particulae « Filioque » canebant, monachi Franci rem ad Leonem III Pontificem detulerunt, qui expositionem fidei de SS. Trinitate ad Orientales misit, in qua processionem Spiritus Sancti a Filio aeque ac a Patre asseruit. Theodulphus autem Episcopus Aurelianensis, jubente Carolo M. librum composuit, in quo processionem Spiritus Sancti a Filio multis Patrum locis comprobavit. Praeterea Carolus M. a. 809 Aquisgrani synodum congregavit, in qua dogma de processione Spiritus Sancti a Filio Scripturae Sacrae et Patrum testimoniis fuit firmatum. Carolus, ut huic decisioni majorem auctoritatem conciliaret, missis ad Leonem legatis, Pontificis con-

(*a*) Hincmarus l. de praedestin. Dei, et libero arbitrio, Rabanus Praefatione ad Nottingum et ep. ad Hincm., Harduin. Concil. t. 5. p. 17., Berti ad an. 853., Natalis Alex. H. E. saec. 9.

sensum impetrare studuit. Pontifex quidem doctrinam Latinorum approbavit, nihilominus ad evitandas dissensiones, siquidem non omnia creditu necessaria in symbolo expressa esse debent, et ne symbolum nimis mutationibus esset obnoxium, illud absque additione recitari permisit in provinciis suburbicariis. Imo, si Photio fides est, symbolum sine traditione tabulae argenteae praesentibus Francorum legatis insculpi et in Ecclesia S. Petri collocari curavit. Tandem sub Nicolao I symbolum cum additione in tota Ecclesia latina recitari consuevit *(a)*.

§. 6. *Status Theologiae.*

Apud Graecos, Sacrae Scripturae interpretes seduli erant in sententiis Patrum compilandis, et ad marginem sacri textus scribendis, unde prodierunt sic dictae Catenae, seu Sacrae Scripturae interpretationes ex antiquis Patrum operibus haustae. Interpretum graecorum facile princeps fuit hac periodo Photius, qui licet rem suam majori eruditione tractaret, boni tamen interpretis officiis haud satisfecit. Saeculo X Oecumenicus Triecensis commentarium in Actus et epistolas Apostolorum scripsit, in quo sensum literalem breviter exposuit. Saeculo XI Nicetas, Heracleensis in Thracia Metropolita Catenam in librum Jobi edidit.

Apud Latinos major interpretum numerus reperitur, quia studio Caroli M. multorum ingenia ad Sacrae Scripturae lectionem et interpretationem excitata fuere. Celebriores ex illis sunt Christianus Druthmarus, Bertharius, Rabanus Maurus, Valafridus Strabo, Hincmarus Rhemensis, Haymo, Paschasius Radbertus et plures alii. Qualis viguerit hac aetate dogmata sacra proponendi ratio, paucis explicari potest. Graeci adhaerebant Joanni Damasceno, Latini Augustino, neque deerant, qui Gregorii M. Bedae Venerabilis et Rabani Mauri praeceptis presso pede insisterent. Pauci tantum erant saec. IX et X Doctores, et inter hos Joannes Erigena Scotus, qui philosophia uterentur, sicque latissimas Theologiae scholasticae fores aperirent. Qui morum praecepta tradiderunt, sententias Patrum, aut Scripturae expositiones morales congesserunt, aut scriptis sermonibus vitia hac aetate grassantia perstrinxerunt, aut editis libris poenitentialibus prima Casuisticae fundamenta posuere. Denique Theologia mystica inter Graecos, praesertim monachos jam pridem magno in pretio habita, etiam

(a) Petav. de theolog. dogm. t. 2. l. 7. de Trinit., Viennens. chronic. J. Georg. Walch. Hist. controv. Graecor. et Latin. de process. Spirit. S.

apud Latinos a saeculo IX invaluit, posteaquam Ludovici Pii jussu scripta Dionysii Areopagitae Latio donata fuerant (a).

CAPUT IV.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Iconomachi.*

Vidimus saeculo VIII triumphantes sub Irene Imperatrice imagines, earumque cultum per decreta Concilii Nicaeni II in Oriente stabilitum. Sub imperio Nicephori, qui deposita ac relegata Irene thronum conscenderat, iterum respirabant Iconomachi, ita tamen, ut nec imagines everterentur, nec in earum cultores ullae decernerentur poenae. Sub hujus in imperio successore Michaele Curopalate, imaginum patrono, iconoduli pace et tranquillitate gaudebant. Triste vero sacris imaginibus earumque cultoribus bellum intulit Leo Armenus, qui petiit a Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano monstrari sibi cultum imaginum in scriptis Apostolorum et Patrum primae antiquitatis. Patriarcha vero et Catholici reposuerunt: traditionem non scriptam sufficere; non esse retractanda semel in Concilio Oecumenico definita. Deinceps addidit Imperator colloquium aliud inter partes dissidentes in palatio suo, in quo Abbas Theodorus Studita aliique monachi in faciem dixerunt Principi, non in palatio, sed in Ecclesia esse de fide agendum. Quam dicendi audaciam non alio modo tum coercuit Imperator, quam dimittendo eos in monasteria, et prohibendo, ne multas disputationes moverent de sacris imaginibus. Cum vero litium et rixarum necdum esset modus ullus aut finis, Leo, edito a. 815 decreto sacras imagines tolli, et Patriarcham Nicephorum decreto huic subscribere nollentem, exulem deportari jussit, intruso ejus in locum Theodoto Cassiterra, imaginum hoste. Sub hujus praesidio Constantinopoli mox habitum est conciliabulum, in quo, rejecta synodo Nicaena II, Pseudo-Concilium Constantini Copronymi approbatum, omnisque sacrarum imaginum cultus prohibitus est. Vi hujus conclusi sacrae imagines sunt sublatae. Cum viri fervidiores, potissimum monachi, duce Theodoro Studita, omnes Imperatoris edicto obtemperantes, et ipsum Principem tanquam Christi abnegatores et Apostatas accusarent, partim fuere exilio mulctati, partim carceri mancipati, ipso Theodoro non excepto.

(a) Fabricii Biblioth. graec. Vol. 8. p. 727., Rich. Simon Hist. crit. de principal. Comm. N. T. c. 25., Boulay. Hist. Acad. Paris. t. 1. p. 182.

Post truculentam Leonis Armeni mortem Michael Balbus an. 828 proclamatus imperator, etsi imaginem nullam ipse coluerit principatus tamen exordio iconudulos clementer habuit, ab exilio eosdem revocavit, et captivos in libertatem asseruit. Imo suas eos opiniones sequi permisit, dummodo nullas imagines in regia urbe erigerent, et silentium servarent. Cum autem Catholici coram ipso imperatore pro sanctarum imaginum restitutione fortiter perorarent, Michaël Balbus in iracundiam conversus, rursus Episcopos et Abbates in exilium amandavit. Acrior contra sacras imagines, earumque cultores Patre suo fuit Theophilus, qui sacras imagines non tantum coli, sed et pingi prohibuit, et jam pictas deleri jussit, mandatisque suis inobedientes exilio, carcere, suppliciis excruciavit, de monachis praesertim praecipiens, ne civitates ingrederentur, neve ruri uspiam conspicerentur, multos catholicos, potissimum pictores, monachos et Episcopos in carceres detrudi jubens. Mortuo Theophilo, Michael III ejus filius et Theodora conjux Augusti proclamati sunt. Cum tamen Michaël vix quartum aetatis annum ageret, imperii gubernacula provisorie capessebat Theodora, sub cujus auspiciis, ipso Senatu et aulae primariis adjuvantibus, an. 842 Synodus Constantinopoli congregata, decreta Concilii Nicaeni II confirmata, iconomachi damnati, confessor Methodius, exauctorato Joanne Leconomanta, regiae urbis Patriarcha salutatus, sacrae autem imagines restitutae. Imo in perennem rei bujus memoriam Orthodoxiae festum institutum est, singulis annis prima Dominica Quadragesimae renovandum (*a*).

§. 2. *Occidentalium in causa imaginum gesta.*

In Occidente Claudius Taurinensis Episcopus an. 823 non tantum imagines ipsas, sed figuras omnes Dominicae Crucis ex Ecclesiis disjecit et conculcavit, scriptis etiam ad sui defensionem libris, quorum fragmenta hodie adhuc supersunt. Ipsius errores Paschalis I Papa, Theodemirus Abbas, Joannes Aurelianensis Episcopus et Dungalus Diaconus impugnarunt, atque confutarunt. Etiam in Franco-Gallia quaedam circa sacras imagines gesta fuere. Cum enim Michael Balbus, missa ad Ludovicum Pium honorifica legatione, ejusque amicitiam et officia apud Romanum Pontificem rogaret, eique professionem fidei valde mitigatam circa imagines mitteret, Ludovicus Pius petita Eugenii II venia, an. 824 Galliae Episcopos Parisiis convocavit, ut causam imaginum collatis suffragiis dirimerent. In

(*a*) Theophanes, Zonara, Cedrenus, Michael monachus in vita Theod. Stud., Theodorus Stud. epp. 2. 86., Baronius ad a. 818. etc.

hoc decretum est: Imagines sanctorum non esse stulta praesumptione confringendas, et ad injurias Sanctorum abolendas, et penitus despiciendas, nec assertione superstitiosa colendas, aut adorandas; sed potius, juxta veram Religionem, memoriae et amoris causa, ob recordationem eorum, quorum imagines, habendas. Hujus collationis acta Romam ad Eugenium II misit Ludovicus Pius, ejusque examini subjecit. Quae fuerit Pontificis ea de re sententia memoriae proditum non est (a).

§. 3. *Pauliciani in Oriente.*

Ineunte saeculo IX in Oriente grassata est secta Paulicianorum a Paulo quodam coryphaeo sic dicta, qui dimidio circiter saeculi VII in Armenia errores Manichaeis affines sparsit, et plures suo veneno infecit. Anno 674, imperante Constantino Pogonato, magni inter eos nominis fuit Constantinus, gente Armenus, qui cum sectae huic novam formam, novumque robur indidisset, jussu imperatoris ultimum supplicium subiit, lapidibus obrutus. Cum vero nihilominus secta profundiores in dies radices ageret, graeci imperatores nihil non moliebantur, ut eam funditus delerent. Et quamvis Pauliciani an. 802-811 sub Nicephoro Logotheta laetioribus fatis fruerentur, Michael tamen Curopalates et Leo Armenus imperatores, cum viderent, variis et indignis modis ab iisdem Christianos infestari, missis in omnes imperii ditiones literis, omnes sectae principes necari jusserunt. Edicti hujus executione Pauliciani in tantam rabiem acti sunt, ut trucidatis judicibus imperialibus in Saracenorum provincias diffugerent, vicinosque Graecos iteratis vicibus infestarent. Quum vero pristinas postmodum sedes repeterent, majori in eos severitate insurgens Theodora Augusta militum duces in Armeniam misit, qui edita ingenti Paulicianorum strage, bona eorumdem diripuerunt. At superstites ex illis, inito cum Saracenis tunc potentissimis foedere, ad tantum pervenerunt robur, ut Armeniam in sua potestate tenerent, propriumque sibi Principem constituerent. Neque his jam contenti, per alias quoque provincias sectae suae homines miserunt, vicinosque Bulgares et Chazaros suis erroribus infecerunt. Inde in alias postmodum Europae partes pestis haec se diffudit.

Pauliciani supremum Deum a mundi conditore distinguebant; asserebant Christum Dominum corpore coelesti instructum per Mariam veluti per canalem transiisse, adeoque nec vere

(a) Natalis Alex. Diss. 6. in H. E. Saec. VIII.

passum, nec vere mortuum fuisse; Vetus Testamentum utpote a Demiurgo conditum respuebant. Novum quidem admittebant, attamen loca de Trinitate et persona Christi, de Baptismo et sacra Coena allegorice interpretabantur; Sacerdotes omnes, aedes sacras, cruces, imagines et caeremonias vilipendebant, nec B. V. Mariae cultum exhibebant *(a)*.

§. 4. *Haereses saeculi* X *et* XI.

Saeculo X ad finem vergente plures surrexere viri fanatici, toti eo adnisi, ut rudem plebeculam, suis illusionibus ac somniis deciperent. Eorum unus fuit Leuthardus in Catalaunia natus, homo infimae plebis, qui anno circiter 997 imagine per somnium oblata ita delusus est, ut non dubitaverit numine se esse afflatum, et ad incredibilia patranda destinatum. Is proinde, derelicta uxore, Ecclesiam ingressus, ut suas ibi preces persolveret, effigiem Christi in cruce pendentis contudit, hocque faciens, fremente populi multitudine, divinae revelationis obtentu contexit. A quo tempore stulta loquacitate doctrinae suae virus effudit, inter alia docens: nec veterum Prophetarum oraculis fidem esse habendam, nec ullas Clericis decimas dandas. Quum credulam multitudinem in errorem induxisset, a Gabrino Episcopo Catalaunico erroris convictus, et ita ad incitas redactus est, ut vitae pertaesus in puteum se praecipitaverit.

Haereticis etiam passim adnumerantur plures Presbyteri et Laici dioecesis Vicentinae, qui an. 939 quaedam S. Scripturae loca, Deo oculos aures et manus tribuentia adeo crasse et ad literam interpretabantur, ut facile sibi persuaderent, Deum corpore humano vestitum, regis instar, aureo sedere solio, esseque angelis pennigeris veluti ministris suis cinctum, dicti eapropter Antropomorphitae. Alii fabulabantur, Archangelum Michaelem feria secunda Missam in coelo celebrare, vel melius esse, ire ad Ecclesiam S. Michaelis, vel Missam S. Michaelis audire feria secunda, quam alia die. Quam eorum insaniam prolixo sermone de Quadragesima confutavit Rotherius Veronensis Episcopus *(b)*.

§. 5. *Haeretici Aurelianenses.*

Non ita diu post in variis occidentalis Franciae urbibus grassabantur ejusdem furfuris fanatici, qui recentiorum Ma-

(a) Petrus Siculus Hist. de ortu Manich., Georg. Cedrenus Comp. hist. l. 2, Photius l. 1. cont. Manich, Zonaras. (b) Glaber Radulph. hist. l. 2. c. 11. in Duchesne t. 4. p. 22. In Ducherii Spicileg. t. 1.

nichaeorum nomine vulgo veniunt. Ajunt, venisse an. 1017 ex Italia foeminam baereseos veneno infectam, eamque passim in Gallia, maxime vero apud Aurelianos, seduxisse non tantum viros rudes et illiteratos, sed etiam eruditos ex Clero, inter quos praecipui nominantur Heribertus et Lisojus Presbyteri et Canonici S. Crucis, nec non Stephanus, olim reginae Constantiae Confessarius. Serpsit quidem aliquandiu in occulto eorum baeresis, donec tandem publicam in lucem protracta est, per subornatum quemdam bominem, ac simulantem, velle se eorum partibus accedere, Arefastum nomine, nobilem Normannum, qui ipsorum sacris in speciem initiatus, cum tota societate subito captus a Rege Roberto, omnia eorum arcana publice coram Rege, et synodo Aurelianensi eum in finem convocata manifestavit, sicque proceres sectae coegit ad apertam confessionem errorum suorum, quos videbant esse proditos. In perseverantes animadversum est supplicio ignis, in quo tredecim numero, in primis tres illi Heribertus, Lisojus et Stephanus perierunt, eademque poena sumpta est de aliis Tolosae, Toleti, locisque aliis, quin tamen funesta baeresis prorsus extingui potuerit. Superstites manserunt quaedam eorum hominum reliquiae, ex iisque postea propullulasse Albigenses, a probabilitate non abhorret.

Docebant autem, teste Glabero Radulpho, deliramenta esse, quidquid in veteri ac novo Testamento de trina, unaque Deitate legitur, coelum pariter ac terram, ut conspiciuntur, absque auctore semper extitisse, bona opera Christianorum esse inutilia, et voluptatum flagitia nullum piaculum mereri, Christum de Virgine Maria non esse natum, nec pro hominibus passum, nec vere in sepulchro positum, nec a mortuis resurrexisse, in baptismo nullam esse ablutionem peccatorum, Sacramenta Corporis et Sanguinis Christi non esse in consecratione Sacerdotis, Sanctorum invocationem esse superfluam, et a legitimis conjugiis, carniumque usu abstinendum. Addunt praeterea, vitam horum hominum fuisse flagitiosissimam eorumque conventus vere gnosticos (*a*).

§. 6. *Schisma inter Graecos et Latinos seu Orientale.*

Quemadmodum Graecorum fastum jam pridem titillavit sedes Imperii Romani Roma Byzantium translata, quae dein Constantinopolis dicta est, Graeciae vicina urbs; ita etiam majores illis animos addidit Imperii divisio in Orientem et

(*a*) Acta Conc. Aurel. in Ducherii Spicileg. t. 1. p. 604., Glaber Radulphus l. 3. hist. c. 8. Chronicon Petri vivi.

Occidentem. Ita factum, ut Patriarchae Constantinopolitani auctoritatem Romani Pontificis ambirent, sperantes fore, ut a suis imperatoribus contra Romanos tuerentur. Etsi vero id a melioribus Imperatoribus nunquam impetrarunt, impetrarunt tamen ab haereticis illis Leone Isauro, Leone Armeno, aliisque; quorum iconomachiae cum Romani Pontifices contradicerent, Patriarchae Constantinopolitani ea occasione strenue in rem suam abusi sunt. Nunquam tamen res in apertum schisma eruperat, donec Photius ingentis ambitionis homo latam illi januam panderit. Res ita fere narratur. Quum Bardas Michaelis III avunculus et primarius regni administer, cum nuru propria palam in consuetudine matrimonii conviveret, Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus illum saepius admonitum, ut ab incestuoso commercio desisteret, a sacra Eucharistiae synaxi palam repulit. His accesserat, quod cum Michael imperator suasu Bardae Ignatio mandasset, ut matrem Theodoram invitam attonderet, monasterioque includeret, id praestare recusaverit: quocirca Bardas Ignatium apud Imperatorem Majestatis reum postulavit, simulque in insulam Terebynthum deportare fecit, intruso ejus in locum Photio viro adhuc laico, quem intra sex dies contra Canonum praescriptum Gregorius Syracusanus Episcopus ab Ignatio ob crimina depositus inauguravit a. 858. Interim non deerant varii conatus contra electionem et ordinationem Photii. Episcopi et Clerici, qui stabant a partibus Ignatii, in Æde S. Irenes Photium excommunicarunt, iisque par pari reddiderunt Photiani. Cum igitur animi ultro citroque fluctuarent, Photius ad Nicolaum I R. P. oratores misit, qui ordinarias illi communionis litteras traderent, eidemque significarent: Ignatium senio et morbo confectum abdicasse; se vero electum omnium Metropolitanorum, totiusque Cleri suffragiis, Patriarchalis throni fastigium invitum ascendisse. Auditis Photii Legatis, lectisque ejus literis, Nicolaus duos Episcopos Rodoaldum et Zachariam Constantinopolim misit, qui acta in causa Ignatii et Photii investigarent, certioremque ejus rei notitiam ad se perferrent. Ast illi male impleverunt Pontificis voluntatem. Muneribus quippe deliniti, et minis concussi, Photii causam se tuituros promiserunt. Is autem undique jam se securum putans, synodum Constantinopolim congregari curavit ab Imperatore a. 861, in qua consentientibus Romanae Sedis Legatis, auditisque falsis testibus, qui muneribus erant redempti, Ignatius praesens, nulla aequitatis et veritatis habita ratione, damnatus sacrisque vestibus exutus est. Nondum tamen Bardae odiis et Photii invidia factum satis. Damnatum Ignatium satellitibus tradiderunt immaniter divexandum, donec exaucto-

rationem suam ipse in Basilica Apostolorum publice ex ambone legerit. Ingravescente autem periculo, Ignatius mancipii veste indutus, quo facilius custodes falleret, in tenebris evasit, variaque pererravit loca deserta. Tandem Imperator et Bardas ira in mansuetudinem versa, potestatem illi fecere, ad monasterium redeundi suum, ac ibi quiete degendi. Haec dum gererentur Nicolaus I certiora edoctus, indicta a. 863 Romae synodo, Legatos suos anathemate percutit; Photinm vero intrusum, et illegitime ordinatum sede dejecit. Tantum vero abest, ut Photius hoc fulmine territus fuerit, ut potius coacto a. 867 Constantinopoli conciliabulo, in quo confixit mille Episcopos praesentes fuisse, sententiam excommunicationis in Nicolaum retorserit, ipsumque et omnes cum eo communicantes anathematizaverit. Quo peracto, encyclicas ad Patriarchas et Episcopos Orientis literas dedit, variis Latinorum criminationibus scatentes, quod videlicet Sabbatis jejunarent, quod primam Quadragesimae septimanam a reliquo jejunio discerpentes lacticiniis et caseo uterentur. Sacerdotibus continentiae jugum imponerent, symbolum Constantinopolitanum cum particula *filioque* canerent etc. Verum brevi alia rerum facies inducta est. Cum enim a. 867 Michael Imperator conjuratorum insidiis caesus fuisset, Basilius Macedo, non obstante natalium vilitate ad dignitatem Caesaris evectus, statim Photium e sede deturbavit, relegavitque ad monasterium, Ignatium vero, missa triremi praetoria, ex insula Constantinopolim honorifice reduci jussit, et sedi suae restituit.

§. 7. *Concilium Constantinopolitanum IV Generale VIII.*

Ut turbatus Ecclesiae status componeretur, cooperantibus Basilio Imperatore et Hadriano II Pontifice a. 859 Concilium Oecumenicum VIII Constantinopoli coivit, ad quod Papa Legatos suos, Stephanum et Donatum Episcopos, et Marinum Diaconum misit, una cum literis ad Imperatorem et Ignatium directis, addito Libello, cui subscribere deberent universi Episcopi, Sacerdotes, Clerici, et Monachi antequam ad consessum admitterentur. Die quinta Octobris ejusdem anni synodo initium est datum, sedentibus primo loco Romanae Sedis Legatis, secundum occupante Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, tertiumque Patriarcharum Orientalium Vicarii. Praesentes quoque erant illustrissimi Patricii, quos Imperator adesse jusserat, ut Concilii ordinem moderarentur. In prima sessione admissi sunt 12 Episcopi, qui Ignatii partibus addicti pro justitia certaverunt. Lectus deinde est sermo Imperatoris, aliaque scripta recitata.

In secunda, tertia et quarta jubentibus Sedis Apostolicae Legatis, literae Basilii et Ignatii ad Nicolaum I et Hadrianum II et responsoriae Hadriani II ad Ignatinm sunt recensitae; decem Episcopi, plures Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi, Photii partibus addicti, cum veniam a synodo et poenitentiam petiissent, et Libello Roma allato subscripsissent, in integrum sunt restituti; qui vero subscribere noluerunt, a Synodo foras projecti sunt. In sessione quinta Photius coram synodo constitutus, cum ad interrogata nihil prorsus responderet, et affectato silentio immotus maneret, a synodo dimissus est, et ad poenitentiam agendam instigatus. Sessioni sextae interfuit Basilius imperator, qui pro concione dicens Photianos ad poenitentiam est hortatus. Ubi dicendi finem fecit imperator, septem adhuc dierum induciae schismaticis datae sunt. In sessione septima intromissi sunt Photins, Gregorius, olim Syracusanus Episcopus, et alii Photianarum partium Episcopi, qui cum libello Roma misso subscribere nollent, anathemate percussi sunt. In sessione octava, jubente imperatore, omnia Photii scripta contra Nicolaum Papam et Ignatinm in ignem sunt conjecta, et anathematismi in Iconomachos et Photinm repetiti. In sessione nona falsis testibus, qui contra Ignatium testimoninm dixerant, poena canonica est injuncta, cujus moderandae potestatem Ignatio Synodus fecit. Denique in sessione decima, praesentibus Basilio, ejusque Filio Constantino, item Ludovici imperatoris et Italorum regis Legatis habita, lecti et confirmati sunt 27 canones a Patribus conditi. Promulgata est definitio fidei, in qua omnibus haeresibus, quae hucusque emerserant, anathemate percussis, Photii damnatio confirmata, lectaque imperatoris gratiarum actio, cum adhortatione gravissima tum ad Episcopos, tum ad Laicos. Dein acta singulorum subscriptionibus munita, totiusque concilii nomine duae epistolae encyclicae ad Episcopos, et universos fideles scriptae sunt. Additae quoque literae Basilii Augusti et Ignatii Patriarchae ad Hadrianum Papam, quibus dispensationes ab eo petebantur, ejusque potestas, canonum severitatem moderandi, agnoscebatur *(a)*.

§. 8. *Schisma sopitur.*

Photius post septem annos in exilio actos, nova excogitata fraude, ut in animum Basilii imperatoris se insinuaret.

(a) Leo Allatius de consensu utriusq. Eccl. l. 2.c.4.7., Fabricius bibl. graec. 5. 9., Photius ep. 2., Nicolaus ep. 1. 2. 5. 7., Zonaras Annal. t. 2. p. 161., Photius ep. encycl., Hardnin, Conc. t. 5., Mansi t. 6. etc.

Nimirum in membrana antiquitatem praeseferente perobscurum Basilii imperatoris genus a magno Tyridate Armeniae rege deduxit, ejusque genealogiam sexcentis fabulis adornavit. Membranam per Theophanem Bibliothecae regiae praefectum Basilio obtulit, quasi fortuito in Bibliotheca inventam, quod acuit curiositatem imperatoris, qui obscurum suum genus erubescebat. Cum vero Theophanes laudasset Photium tanquam unicum, qui enygma solvere posset, non tantum Photius fuit ab exilio revocatus, sed etiam facultas ipsi data in aula functiones sacras peragendi. Defuncto a. 878 Ignatio, Imperator Photium in sede Constantinopolitana honorifice collocavit, sub praetextu pacis et unitatis ecclesiasticae restituendae. Joannes VIII Papa Basilii imperatoris, Photiique literis permotus hanc inthronizationem probavit, addita conditione, ut coram Paulo Anconitano, et Eugenio Ostiensi Episcopis, Romanae Sedis Legatis, in Synodo celebranda errorum suorum Photius veniam peteret, gratia illi concessa in exemplum non adduceretur, et Bulgaria Ecclesiae Romanae restitueretur. Verum conditiones has implere nolens Photius a. 879 in celeberrima S. Sophiae Ecclesia Pseudo-synodum habuit, in qua 380 Episcopi ipsius devoti partibus adfuere, cum orientalium Patriarcharum Vicariis et Romanae Sedis Legatis. Ipse Imperator cum filiis adesse non est dedignatus. Praefuit Synodo Photius, quamvis ejus causa ageretur. Non est itaque mirum, quod et ipse a synodalibus tamquam legitimus Patriarcha agnitus, et acta sub Hadriano II contra ipsum in synodis prioribus abolita, et omnes illum agnoscere nolentes excommunicati fuerint. De processione Spiritus S. in hoc conciliabulo actum non fuit, quia Photius metuebat, ne Romanae Sedis Legati, totam Synodum in irritum mitterent. Sexta demum post synodum hebdomade ab Episcopis Photianis in aureo palatii triclinio congregatis symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum recitatum est sine particula «Filioque» rursusque prohibitum, ne symbolo huic quidpiam adjiciatur. Quum rerum in Photiana synodo gestarum seriem didicisset Joannes VIII post reditum Legatorum, statim Acta omnia rescidit, Photium denuo excomunicavit, utque idem faceret Constantinopoli, Marinum Legatum in Orientem misit. Is vero munus sibi concreditum adeo intrepide est executus, ut Imperator gentium jure et Legationis pontificiae majestate violata, illum in carcerem conjecerit, atque integro mense in carcere captivum detinuerit. Joannis VIII in Pontificatu successores Hadrianus III et Stephanus VI, a Basilio imperatore licet sollicitati, ut cum Photio communicarent, eumdem tamen semper ut ab Ecclesia damnatum sunt execrati. Post mortem Basilii imperatoris, Leo

ejus filius, cognomento Sapiens seu Philosophus, in imperio successit. Is a. 886 Photium e sede Constantinopolitana protinus exturbavit, Stephanum vero fratrem suum Patriarcham designavit. A quo tempore extinctum quidem est funestum Ecclesiae schisma, ita tamen, ut semina non pauca dissidiorum Graecos inter et Latinos relinquerentur.

§. 9. *Schisma resuscitatur.*

Schisma sopitum renovavit Michael Caerularius Patriarcha Constantinopolitanus, vir superbus, violentus et Latinis infensissimus, qui scripta a. 1053 suo et Leonis Acridani, Bulgariae Metropolitae nomine, ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum epistola, cui mox accessit altera ad Petrum Antiochenum Latinis objecit: 1. quod azima consecrantes cum Judaeis communicent; 2. quod suffocata comedant; 3. quod barbas radant; 4. quod sabbatis jejunent; 5. quod immundorum animalium carnibus vescantur; 6. quod monachi latini carnes edant; 7. quod symbolo particulam « Filioque » addiderint, et male sentiant de Spiritu S.; 8. quod mersionem unicam in baptismo usurpent; 9. quod quadragesimali tempore Alleluja non canant; 10. quod Clerici coelibatum colant, etc. Hanc epistolam Humbertus Cardinalis et Episcopus de Sylva Candida in latinum vertit et Leoni IX Romano Pontifici obtulit, qui Michaelis Caerulari temeritatem, et insultus in Romanam Ecclesiam procacissimos prolixa, erudita et vehementi epistola redarguit, eique Ecclesiae unitatem impense commendavit. Qua perlecta, Michael jussu Constantini Monomachi, cui amicitia Pontificis Romani propter Normannos Apuliam incursantes summis in votis erat, conciliatrices pacis literas ad Leonem IX scripsit, sed ad speciem tantum: quamobrem Leo IX Humbertum Cardinalem et Episcopum Sylvae Candidae linguae graecae peritum, Petrum Archiepiscopum Amalphitanum, et Fridericum Romanae Ecclesiae Archidiaconum Legatos misit ad Imperatorem Monomachum et Michaelem Caerularium, cum literis ad utrumque directis, ut paci ecclesiasticae suprema imponeretur manus. Sed cum Michael Patriarcha, fasces submittere nollet, colloquiumque Legatorum vitaret; quin etiam Ecclesiis ad sacra celebranda interdiceret, Legati in templo S. Sophiae ad publicam excommunicationem Patriarchae, suorumque processerunt, ipseque etiam Nicolas Pectoratus, monachus Studita palam disputatione convictus et conversus, scriptum contra Latinos librum tradidit flammis, omnesque diris devovit, qui Romanae Ecclesiae Primatum negarent, vel ejus fidem reprehenderent.

Quibus peractis Legati, ecclesia excesserunt, excussoque pedum pulvere dixerunt: Dominus videat et judicet, et ab Imperatore blande dimissi in Italiam remearunt. Post Legatorum discessum Michaël Caerularius conciliabulum celebravit, in quo Legatos et cum iis R. Pontificem excommunicavit. Imo populum ad seditionem excitavit, eoque Imperatorem ad quosdam, quorum opera Legati Pontificis usi fuerant, vindictae suae tradendos adegit. Mortuo a. 1054 Constantino Monomacho successit ejus uxor Theodora, quae duobus annis imperium administravit. Haec morti proxima, ex Aulicorum consilio Michaelem Stratonium Patricium successorem designavit, ast cum imperio administrando impar videretur, exorta seditione, in qua Michael Caerularius primas habuit partes, fuit depositus, et in ejus locum Isaac Comnenus imperator electus. Quum autem Michael Caerularius ob suam superbiam et audaciam Imperatori periculosus evaderet, Isaac Comnenus eum in Proconesum, insulam Asiae minoris, exulem misit a. 1058, ubi sequenti anno obstinatus periit. Schisma per eum conflatum in dies latius serpsit, et jam insanabile evasit (a).

CAPUT VII.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS, MORIBUS CHRISTIANORUM ET DISCIPLINA ECCLESIAE.

§. 1. *Ritus sacri.*

De singulis ritibus sermonem instituere longum nimis foret; ideo pauca tantum monebimus. In primis Reliquiarum cultus mirifice auctus est ab eo tempore, quo nullae amplius Ecclesiarum consecrationes sine reliquiis fiebant, beaeque super altaria poni coeperunt.Jam enim in illis reperiendis mirabiliter sagaces erant Christiani, in iisdem ex Oriente afferendis longe diligentissimi. Haec reliquiarum asservatio et veneratio, quum in communem semel Christianorum praxim abiisset, etiam devotae peregrinationes ad loca sacra, ubi Christi, B.V. Mariae, Apostolorum, et Sanctorum reliquiae erant reconditae, frequentiores factae sunt.

Saeculo IX Sanctorum veneratio tanta jam ubivis coepit incrementa, ut sibi quisque coetus, imo homo in particularibus indigentiis Patronum sibi adscisceret, et apud Deum deprecatorem, novique continuo crearentur Sancti, quorum

(a) Baron. Annal. ad a. 1053., Leo Allatius l. 3. c. 14.

res gestae ac virtutes panegyricis passim sermonibus et biographiis celebrabantur. Sanctorum honoribus dictae sunt etiam Missae, et super eorum reliquias jurejuranda purgatoria hinc inde jurata: In honorem B. V. Mariae postmeridiana Sabbati pars celebrata, Officium parvum de B. V. Maria stabilitum, et Corona Mariana, quindecim decades complectens, quae vulgo Rosarium audit, introducta est. Sabbatum quoque Marianum confirmavit Urbanus II in Concilio Claramontano anno 1095 (*a*).

§. 2. *Festa.*

Instituti sunt etiam apud Latinos dies festi, in quibus eminent: Festum omnium Sanctorum a Ludovico Pio, suasu Gregorii IV Pontificis, in Francia introductum, et Festum S. Michaelis seu omnium Angelorum inter Orientales et Italos jam pridem vulgare, praesenti tamen periodo in Occidente magis propagatum. His porro accessit Commemoratio omnium fidelium defunctorum, ansam praebente Odilone celeberrimo Cluniacensium Abbate. Ante hoc quidem tempus jam usitatum erat, ut vel privatae familiae pro suis defunctis, vel particulares Ecclesiae pro membris sui coetus, vel denique monachi pro confratribus et benefactoribus defunctis, forte in Purgatorio detentis, certis diebus preces et sacrificia peragerent. Ast ab Odilonis tempore stato aliquo die omnium generatim defunctorum Commemoratio fieri, precesque pro omnibus illis effundi ac sacrificia peragi coeperunt. Cum quippe, referente Claudio Fleury, eremita aliquis Siculus ad Odilonem Cluniacensem nuntium perferri curasset, divinitus sibi esse manifestatum, piis Cluniacensium monachorum suffragiis defunctorum animas ex Purgatorio liberari, S. Abbatis animus tanto misericordiae affectu est inflammatus, ut sicut die primo mensis Novembris omnium Sanctorum solemnitas agebatur, ita sequenti die in Psalmis, eleemosynis et Missarum solemniis, omnium in Christo quiescentium memoriam in sua Congregatione celebrari jusserit a. 998. Quem ritum annuum postliminio adprobarunt Romani Pontifices, et ad totam Ecclesiam extenderunt. — Quoad attinet ritum, ut dicitur, Canonizationis seu relationis inter Sanctos, notandum est, illum pro diversa temporum ratione fuisse varium. Nam etsi primis Ecclesiae temporibus populi plerumque suffragiis crearentur Sancti, accedente Episcoporum et Metropolitarum consensu, totum tamen negotium mox ad synodum est devolutum, legi-

(*a*) Mabillon. Act. SS. t. 6.

busque ecclesiasticis cautum, ne quis Sanctus baberetur, nisi qui in concilio provinciali hoc honore dignus pronuntiatus fuerit. Verum saeculo X Romani Pontifices boc jus cum aliis causis majoribus Sedi Apostolicae reservarunt, bisque initiis Canonizatio Sanctornm solemnis nata est. Sic Joannes XV Papa anno 993 Uldaricum Ecclesiae Augustanae Episcopum, coacto Romae concilio, solemni ritu in Album Sanctorum retnlit (a).

§. 3. *Mores Christianorum.*

Foedissimam morum faciem teterrimis coloribus delineant Periodi hujns monumenta sive publica, sive privata. Quanta fuerit saec. IX ac X in primis in Occidente, desolationis abominatio, quanta in omni Christianorum ordino impudentia, quamve protervus omnium bonestatis legum contemptus, amare contestantur synodorum ac scriptorum ecclesiasticorum quaerelae de late dominante hypocrisi, de Cleri avaritia, simonia et concubinatu, de perjurio, bomicidio, magia, de tota denique subordinatione bierarcbica eversa. In concilio Moguntino (a. 888.) jam sermo est de multis sceleribus, per concessionem mulierum in una cum Clericis domo babitantium commissis. Concilium Pataviense (a. 850) Episcopis convivia sumptuosa, spectacula ridicula, et moriones probibuit. Quam delirae tunc viguerint de incantationibus opiniones, ex Hincmaro Rhemensi et Rabano Mauro satis est compertum. Tristissimam morum in Italia conditionem calamo liberrimo describit Ratherius Veronensis Episcopus, omniumque malorum fontem in canonum contemptu se invenire scribens. Neque meliores erant mores in Oriente, ubi Iconoclastae sacras imagines delebant, turbas excitabant, crudeliter Catbolicos tractabant. Hnc spectat borribilis Imperatoris Micbaelis III impietas, qui ut de reliqua ejus vitae licentia nil dicamus, cum suis compotatoribus, sacris vestibus indutus, per urbis Constantinopolitanae plateas solemnes Cbristianorum ritus, ipsumque terribile Missae sacrificium prostituebat. Haec Photius Patriarcha tollerabat, inde nequissimus homo impio imperatore deterior fuisse probatur. Imo adulatione eo processit Photius, ut Principes defunctos tali bonore indignos canonizaret, et festa institueret. Hunc bonorem exhibuit Constantino defuncto Basilii Macedonis imperatoris filio, ut desolato Patri ferret

(a) Mabillon de re diplomatica p. 537., Honoratus Augustodun. l. 3., Mabillon Act. SS. Ord. Bened. saec. VI. P. I. pag. 584., Petrus Damiani vit. S. Odil.

solatium. Haec tamen non ita intelligenda sunt, ac si Ecclesia Christi tota hac aetate nullos plane pietatis ac virtutis fructus tulisset. Erant sane in omni Catholicorum ordine plures, qui non tantum quoad salutis scientiam supra aevum suum saperent, verum etiam sanctitati doctrinae, morum sanctitate corresponderent. E multis indicasse sufficiat S. Huldaricum Augustanum, Odilonem Cluniacensem, Eduardum Britanniae et Stephanum Hungariae regem, innumerosque alios, singularis pietatis et charitatis merito, fideique catholicae propagandae zelo illustres.

§. 4. *Monachi.*

Monachi saeculi IX et X inter continuas bellorum turbas et Normannorum depraedationes, a regulae observantia recessere. Instaurandae igitur disciplinae regulari in Ordine Benedictino collapsao strenuam manum admovit Benedictus Anianensis, qui fovente Ludovico Pio, non tantum varia monasteria obivit, obeundoque et vitia correxit, ac D. Benedicti genuinam regulam inculcavit, verum etiam in synodo Aquisgranensi a. 817 indicta, ad quam confluxere totius Galliae et Germaniae Abbates, articulos numero 80 ex regulis diversorum Patrum collectos stabilivit, secundum quos S. Benedicti filii suam componerent vivendi rationem. Dici vix potest, quam uberes disciplinae fructus brevi tulerit haec regularum concordantia. Verum et huic instituto sua defuit stabilitas, ut quum Optimates non raro aperta vi invaderent monasteria, ibique cum uxoribus, prolibus ac militibus sua domicilia figerent, regularis disciplinae rigor in dies minueretur, et post unius saeculi intervallum S. Benedicti regula fere in oblivionem adduceretur. Itaque alter prodiit Ordinis reformator S. Odo coenobii Cluniacensis in Burgundia monachus. Is enim a. 927 mortuo S. Bernone, ejusdem monasterii Abbas designatus, non tantum omni conatu suos ad regulam S. Benedicti revocavit, sed etiam propriis illos statutis obstrinxit, suaque auctoritate effecit, ut pleraque monasteria in Gallia, Germania, Italia, Britannia et Hispania, Cluniacensium disciplinam amplecterentur, et in unam cum illis congregationem coalescerent. Hujus exemplo excitatus Sanctus Romualdus Ravennatensis, monasterii Classensis Abbas, magnumque Ordinis Benedictini lumen, a. 1018 cum paucis ejusdem mentis fratribus in Apenninos montes secessit, ibique in Campo Malduli inter altissimos Etruriae colles sito, quinque cellas et Oratorium suis impensis erexit, novumque instituit sub S. Benedicti Regula Ordinem peculiaribus statutis obstrictum, qui a loco

primariae eremi Camalduleusis est dictus. Ordinis bujus viri pro uigra Benedictiuorum veste album babitum cum ejusdem coloris scapulari gerebant, barbam promittebant, soli habitabant, edebantque in cellis, quatuor auui temporibus jejunio cousecratis paue tantum, aqua et sale vescebantur, exceptis diebus Dominicis, toto anni tempore a carnibus abstinebaut. Ordo tardius divisus est in duo membra *Coenobitarum*, et *Eremitarum*. Paulo post Joauues Gualbertus, geute Floreutinus uovam Benedictinorum Congregationem instituit in valle Umbrosa Camaldulum inter et Floreutiam sita, eidemque praefuit Abbas. Qui huic Congregationi nomen dabaut, vitam suam iu multis ad exemplum Camaldulensium componebaut, precibus, rerum coelestium meditationi, manuum labori, aliisque duris exercitiis vacabant, uec rerum affluentia emolliebautur. Ita factum est, ut Ordo Benedictinorum in plures pedeteutim surculos discerperetur (*a*).

§. 5. *Canonici.*

Institutum Canonicorum secundum regulam Cbrodegangi iu dies magis est dilatatum, et in pluribus synodis, veluti: Arelatensi, Rbemeusi, et Moguntina ita coufirmatum, ut plurimos ubivis fautores ac promotores inveuerit. Ludovicus Pius in omnibus suis ditionibus Canouicos ordiuavit, et amplissimis redditibus auxit, addito praeterea Cauonicarum, quae hucque ignorabautur, iustituto. Pro utrisque in coucilio Aquisgauensi a. 817 celebrato, jussu Ludovici Augusti nova regula, ex illa Chrodegangi ut plurimum desumpta, qua omnes, sive Canonici, sive Cauonicae deinceps dirigantur, coudita, publicae legis, vi munita, et executioni mandata fuit. Vi bujus regulae 145 capitibus comprehensae Canonici sobrietati, justitiae ac pietati studere, nullas res profanas curare, Episcopo obedire, tempus lectioui, precibus, officiisque divinis impendere, commuui refectorio ac dormitorio uti teuebantur. Haec tamen Canouicorum disciplina jam dimidio saeculi X in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus frigescere, multumque relaxari coepit. Eraut enim, qui teste Trithemio abjecta pristiuae conversationis uorma, Canonici esse desinerent, relictaque vita communi ac regula Aquisgrauensi, reditus in portiones determinatas distribuerent, in privatis aedibus viverent, et separa-

(*a*) Mabillon T. II. Annal. p. 435., Act. SS.O. B. Saec. V., August. Calmet Hist. de Lorroine t. 1. p. 596., Mansi collect. concil. T. XIV. p 394., S. Petrus Damiani in vita s. Romualdi.

tum ab Episcopis corpus efformarent. Ne igitur vetus Canonicorum disciplina penitus pessumdaretur, varia hinc inde facta sunt reformationis tentamina. Sic Nicolaus II et Alexander II in Synodis Romanis a. 1059 et 1063 sanciverunt: ut Canonici juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, simul manducent et dormiant, et ad vitam communem revertantur. Sed perfectam peculii abdicationem ipsis non imperaverant Pontifices illi, suaserant dumtaxat. Ivo autem Carnotensis, Praepositus Canonicorum Ecclesiae S. Quintini, eos etiam ad omnimodam peculii et patrimonii abdicationem revocavit, hancque disciplinam in aliis quoque Galliarum Ecclesiis promovit. Inde vero factum, ut aliqui vitam communem reassumpserint, attamen sine regula viverent; alii vero vitae communi etiam votum paupertatis adjecerint. Hinc orta est distinctio Canonicorum *saecularium* et *regularium*, qui posteriores ob instituti sui similitudinem cum Augustiniano vivendi modo, inter Clericos Ecclesiae Hipponensis olim inducto, etiam Canonici regulares S. Augustini appellabantur (*a*).

§. 6. *Disciplina ecclesiastica.*

Quoad disciplinam Ecclesiae poenitentialem attinet, Concilium Moguntinum a. 847 can. 21-31 omnes veteris Ecclesiae canones certum poenitentiae tempus praestituentes renovavit. In Francia Occidentali juxta capitula Hincmari Rhemensis et Isaaci Lingonensis pro quolibet delicto publico legitima poenitentia et quidem publice peragenda fuit. Ex decreto Concilii Vormatiensis a. 868 habiti can. 30 majorum criminum rei toto anni tempore, exceptis dominicis, festisque diebus, ad solis occasum usque jejunare, et gravioris adhuc delicti, v. g. parricidii labe notati, usque ad vitae exitum jejunare tenebantur, etsi peracta trium annorum poenitentia in communionem Ecclesiae restituerentur. Ex ipsa adeo poenitentiae relaxatione seu indulgentia manifestum est, quam parum ejus rigor fuerit mitigatus. Vel enim peccatori concedebatur, ut consueta poenitentiae exercitia cum aliis aeque austeris commutaret, vel ad sacrorum communionem citius admittebatur, ea tamen conditione, ut aliam postea duris poenitentiae operibus vacaret. Caeterum negari nequit, novis canonicas poenas redimendi modis citius, seriusve disciplinae

(*a*) Mabillon Annal. Ord. Bened. t. 2. p. 428.; Thomassini Discipl. Eccl. Vet. et Nov. P. I. l. 3. c. 42., Trithemius Chron. ad an. 974., Muratori Antiquit. Ital. t. 5., Concil. Roman. a. 1059. et 1063., Sigebertus Gemblac. de script. eccles. c. 167.

poenitentialis haud parum fuisse incisos. Ita divitibus imponebantur mulctae pecuniariae, pauperibus autem jejunia, psalmorum recitationes, Missae auditio. His praeterea accedebant devotae peregrinationes ad loca sancta, et oblationes. Denique hic non praetereundum, Episcoporum jus indulgentias largiendi etiam praesenti periodo adhuc viguisse, et ab ipsis passim conciliis agnitum fuisse. Subinde etiam fiebat, ut poenitentes Romam ab Episcopis mitterentur, vel sponte criminum rei ad limina Apostolorum proficiscerentur, indulgentiam petituri (*a*).

(*a*) Concil. T. VIII., Concil. Mogun. Britan. T.I. p.237., Mabillon Annal. t. 4. pag. 250., Joannis VIII. ep. 283.



PERIODUS QUARTA

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

NOVI TESTAMENTI

A S. GREGORIO VII. USQUE AD LUTHERUM

H. E.

AB ANNO 1073. USQUE AD ANNUM 1517.



CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 1. *Status civilis utriusque imperii.*

Mortuo anno 1024 sine liberis S. Henrico Germaniae regnum ad Franconiae Duces devolutum, in primis sub Henrico IV gravioribus de investitura contentionibus fuit exercitum, atque motibus intestinis turbatum, quibus durantibus viri quidam Principes scilicet Scaligeri Veronae, Galeacaei Mediolani, Estenses Ferrariae, et Gonzagae Mantuae dominatum occuparunt, et ita Italia pene tota ab Imperio Germanico est avulsa. Mortuo anno 1224 Conrado IV Friderici II filio, ortum est Interregnum, quo durante non tantum de jure successionis multiplex contentio erat; sed etiam libera passim rapinarum licentia, caedes et strages impune perpetrabantur. Et quamvis Rodulphus Habsburgicus, anno 1273 Imperator designatus, totus in eo fuerit, ut res Germaniae turbatas componeret, omnia tamen mox iterum in pejus abiere. Nam sub Alberto Austriaco, Rodulphi filio, Helvetii mutuae defensionis foedus pepigerunt anno 1307, sub Sigismundo Imperatore Hussitae per tredecim annos totam Germaniam vastarunt, sub Friderico IV intestinis motibus, et Hungarorum in Austriam excursionibus haud parum exagitata fuit Germania.

Quoad imperium orientale attinet, quamvis perplura saecula multorum hostium insultu misere fuerit jactatum, atta-

men Turcarum progressus per milites cruciferos fuerunt detardati. Ast, ortis Graecos inter et Latinos mutuis inimicitiis, cum Galli et Veneti, a. 1204 Balduinum Flandriae comitem primum ex Latinorum genere Imperatorem Constantinopoli crearent, Imperium Graecorum in partes est laceratum. Imperium Latinorum post annos 58 a Michaele Palaeologo eversum est. Tandem Othomani, duce Mohamedo II, Constantinopolim expugnarunt, et christianum Graecorum imperium funditus deleverunt anno Christi 1453 *(a)*.

§. 2. *Status litterarum.*

Non obstantibus politicis vicissitudinibus, et bellorum civilium procellis, complures imperantes, in primis familiae Comnenae, et Antistites regiae urbis literas foverunt. Eruditissimi commentarii Eustachii Thessalonicensis in Homerum et Dionysium satis probant, meliora ingenia elegantioribus literis et antiquitatibus diligentem operam navasse. Excelluere plures etiam in Historia, ut Joannes Zonaras, Nicetas Acominatus, Nicephorus Gregoras etc. Philosophi hujus aevi Graeci castra Aristotelis sequebantur, exceptis viris pietatis, qui philosophiae platonicae operam navabant. Inter Scriptores Syriae longe celeberrimus est Gregorius Abulpharajus, theologus, historiographus, et philosophus. Huic addendus est auctor Historiae Saracenorum Gregorius Elmacinus, gente Arabs, saeculo XIII florens. Ut denique taceamus nomina poetarum, oratorum et criticorum.

In Occidente hac periodo scientiae et litterae floruerunt. In plerisque scholis septem artes liberales etiamnum tradebantur, methodo plane mutata. Cum enim Dialectica, cujus ambitu etiam Metaphysica, vel hujus saltem pars continebatur, multo acrius, quam antea, urgeretur, multoque argutius tradebatur; Philosophi omne tempus logicis et metaphysicis quaestionibus terebant, atque variis litibus ansam praebebant. Nulli tamen pugnatiores erant, rixandique cupidiores, quam illi dialectici, qui totam suam sapientiam ad illam controversam de sic dictis *Universalibus* quaestionem reducebant.

Primum quaerebatur, num ea, quae universalia appellantur, pertinent ad ordinem ipsarum rerum, an vero nomina sint, ingenio duntaxat excogitata. Primum arridebat iis, qui Platonem sequebantur, postremum placebat discipulis Aristotelis atque Porphyrii, et propter hanc dissensionem illi superiores dicti sunt *Reales* et *Realistae*, posteriores vero *Vocales*

(a) Matth. Paris. p. 777., Aeneas Silvius c. 58. etc., Annal. Turc.

et *Nominales*. Nominalium facile princeps erat Roscellinus, Realium autem Odo, postea Cameracensis Episcopus. Saeculo XII in medium prodibant *formales*, alias formalistae, existimantes, inter Reales et Nominales concordiam facile iniri posse, si Universalia nec ad classem rerum, nec nominum, sed formarum referrentur. Nominalium coryphaeus saeculo XIV fuit Gulielmus Occamus, monachus Franciscanus ex Anglia et Doctor Parisiensis (*a*).

§. 3. *Causae promotorum studiorum.*

Inter causas, quae litterarum studium promovebant, sequentes adnumerantur: 1. Institutae fuere variae Academiae, quibus ineunte saeculo XIII magnificus universitatum titulus inditus fuit, cum in una eademque urbe omnes artes liberales ac scientiae traderentur. Primae et celeberrimae universitates erant Bononiensis et Parisiensis. Ex remotissimis regionibus juvenes Bononiam et Parisios se conferebant; aemulatio fecit, ut studia fervereut. Discipuli in Patriam reduces, suo tempore magistri facti, domi docebant, quae Bononiae et Parisiis didicerant. Munus docendi illis tantum concedebatur, qui post severa examina et longa experimenta inter artium liberalium magistros, vel doctores assumebantur. 2. Circa dimidium saeculi XIII Ordines Religiosi, veluti Dominicani, Franciscani, Cistercienses, Collegia instituerunt Parisiis, in quibus Fratres scientiis imbuebantur. Celeberrimum fuit universitatis Collegium Sorbonicum, ita ab Auctore suo Roberto Sorbonio nominatum, qui ab ortus loco hoc nomen traxerat, et illud clericis saecularibus destinaverat. Erat is Canonicus Parisiensis, et S. Ludovici IX Sacellanus, qui obtenta a rege vel eo absente a matre sua Blanca domo, anno 1250 Collegium pro pauperibus Theologiae studiosis construere coepit, et a. 1258 perfecit. Ejus vestigiis institerunt plerique Episcopi, qui tales domos pro Clericis suarum Dioecesium erudiendis extruxerunt. 3. Pontifex Clemens V sub initium saeculi XIV hebraicae, chaldaicae, arabicae et graecae linguae studium, propagandae fidei causa in Academiis tradi jussit. 4. Dantes Aligerius, Franciscus Petrarcha, Florentini, aliique genuinam eloquentiam latinam restaurarunt, insignia opera conscripserunt, et suo exemplo alios quoque ad classicam literaturam excitarunt. Ex Italia in alias Europae partes litterarum humaniorum et auctorum classicorum amor fuit propagatus. 5. Capta anno 1453 ab Osmanis Constantinopoli docti Graeci e sua Patria in Italiam aliasque

(*a*) Boulay. Hist. Acad. Paris. t. 1., Jacob Bruker. Hist.

provincias Europaeas profugi, Occidentales in lingua graeca erudiverunt, in eisque studium auctorum graecorum accenderunt. 6. Nicolaus V veterum auctorum graecorum et latinorum codices collegit, et prima Bibliothecae Vaticanae fundamenta jecit. 7. Summi Principes munificentia et auctoritate ad literas meliores in Occidente restaurandas multum contulerunt. Sic Cosmus Mediceus (mortuus 1264) litterarum et litteratorum Moecenas Classicorum antiquorum Codices, et vetusta artis reliquias magnis sumptibus collegit, Academiam Platonicam Florentiae instituit, scriptaque Platonis Latio donari jussit. Telam ab eo ceptam, haud minori industria et labore, pertexebat illius nepos Laurentius (mortuus a. 1494). 8. Inventio typographiae per Joannem Guttemberg a. 1440. 9. Denique RR. Pontifices profectui litteris et scientiis faciendo stimulum addiderunt promovendo clericos eruditos ad Cardinalatum, aliasquo ecclesiasticas dignitates (a).

§. 4. *Expeditiones cruciatae in Orientem susceptae pro propaganda Religione.*

Inde a temporibus Constantini M. christiani ex variis imperii romani provinciis ad invisenda loca sacra peregre proficiscebantur in Orientem. Quandiu Arabes Palaestinam occupabant, christianis illas terras lustrare et incolere licuit, dummodo modicum solverent tributum: ast illis victis a potenti quadam Turcarum tribu, peregrinatio minime vacabat periculo, magis deterior tunc facta est christianorum in Oriente viventium conditio. Eorum calamitates luctuosis coloribus depingebant, qui ex peregrinatione Hierosolymitana in Occidentem revertebantur. Itaque de liberandis fratribus et Palaestina ex infidelium manibus eripienda in Europa deliberari coepit. Jam Silvester II Principes Europao excitare est conatus; at irrito prorsus conatu. Hujus vestigia pressit S. Gregorius VII; sed impedivit illum, quominus consilium suum exequeretur, controversia cum Henrico IV Imperatore. Res igitur infecta mansit usque ad Urbanum II illius successorem. Sub hoc Pontifice Petrus Eremita Gallus Dioecesis Ambionensis, e Palaestina redux, epistolam Simeonis Patriarchae Hierosolymitani ad Papam detulit, in qua Simeon calamitates Christianorum in Palaestina depinxit, et Occidentalium auxilium per Pontificem imploravit. Miserrimum esse statum Christianorum in Oriente Petrus viva voce contestatus est. Urbanus II Petrum ad praecipuas aulas Europaeas misit, ut Principes Christianos ad suscipiendam in Terram sanctam expeditionem ex-

(a) Muratori Antiq. Ital.

citaret. Mentibus Europaeorum hac ratione praeparatis, Urbanus II a. 1095 Concilium Placentiae celebravit, ad quod etiam Alexii Comneni Graecorum Imperatoris legati auxilia petituri venerant. Cum tamen res nondum ex voto succederet, Urbanus eodem adhuc anno in Galliam profectus, copiosissimum Claromonte Concilium coegit, in quo Christianos ad sacram expeditionem mirifice adhortatus est. Quo classico excitatus Occidens numerosissimos ad eam militiam fudit exercitus. Principes, Proceres, Episcopi, Abbates, Clerici, Monachi rustici, mercatores opifices, ex Italia, Gallia, et Germania hujus belli onus in se susceperunt. Pontifex singulis indulgentiam omnium peccatorum largitus est, et sub interminatione poenarum prohibuit bona absentium occupare. Bellum hoc dicebatur expeditio cruciata, milites vero cruciati, non solum, quod S. Crux ex hostium potestate erat eripienda, sed etiam quod milites crucem rubri coloris dextero humero affixum deferebant (*a*).

§. 5. *Expeditio prima.*

Supremus hujus expeditionis Dux fuit Godofredus Bullionaeus Lotharingiae Dux, qui facto militum delectu, aptiores sibi reservavit, et reliquos aliis ducendos commisit. Primum agmen duxit Valterus, Gallus nobilis et inops an. 1096, secundum Petrus Eremita, tertium Gotteschalcus Sacerdos ex partibus Rhenanis. Initia hujus expeditionis fuere turpissima. Heae enim hominum turmae Coloniae, Treviris, Moguntiae etc. Judaeos infelices trucidarunt, spoliarunt, et ex desperatione ad mortem sibi consciscendam coegerunt, illis tantum veniam dantes, qui christianam fidem, abjurato Judaismo, profiteri vellent. Iidem Hungariam deinde Bulgariamque ingressi, cum annona ubique deficiente, rapinis et licentiae militari totos se darent, ab incolis promiscua caede trucidati sunt, vix evadente Petro Eremita. Ad 15000 etiam Germani perierunt cum Sacerdote Gotteschalco ex iisdem causis. Superstites Bosphorum transierunt et Asiam ingressi sunt. Felicior fuit Godofredus Bullionaeus, virtute et armis clarissimus, qui 70000 peditum et 10000 equitum exercitum per Italiam, Austriam et Hungariam duxit, et Imperatori Alexio Comneno, qui ex metu transitum impedire conabatur, jurato promisit, Principes sacrae militiae Imperatori omnes urbes Turcis eripiendas

(*a*) Gregor. III. Regest. Lib. II. Epist. 31., Conrad. Ursperg. Chron. Argent. 709., Mansi Conc. T. XXI. p. 803., Guil. Syr. L. 1.

redituros, aut jure feudali ab eo recepturos esse, si vicissim ille crucigerorum exercitu copias suas jungeret, et necessariam annonam praeberet. Quibns peractis, Latini in Asiam profecti a. 1097. Nicaeam expugnarunt et Alexii Imperatoris nomine occuparunt. Balduinus frater Godofredi a. 1098 Edessam Mesopotamiae metropolim coepit, propriumque ibidem condidit principatum. Eodem adhuc anno Antiochia Syriae urbs, natnra et arte munitissima, arctiori obsidione cincta, exhaustisque famis, morborum ac certaminum aerumnis, denique expugnata, illiusque domininm Buemundo Apuliae Duci datum est. Anno autem 1099 Godofredus Bullionaeus, exantlatis immensis laboribus et aerumnis, cum exercitu valde attrito Hierosolymae appropinquans sacrae urbis moenia arcte cinxit, eamque elapsis quinque septimanis assaltu expugnavit. Luctus erat ubique et pavor, terraque madebat copiosissimo utriusque partis sanguine. Centena fere fratrum millia cecidere, tantaeque superstites cladi vinculis onerati fuere. Octiduo inter jubila consumpto, Principes communi consensu Godofredum Bullionaeum Hierosolymae regem elegerunt, qui regis quidem onera subiit, regium tamen titulum, aureamque coronam acceptare noluit eo in loco, ubi coeli, terraeque Dominus spineam olim coronam gessit. Ejus in regno successores Balduinus I hactenus Edessae princeps, Balduinus II et Fulco Comes Andegavensis, regnum egregie defenderunt, usque ad annum 1142, quo Saraceni, belliduce Attobeko Zangio, Balduinum III Hierosolymae regem ingenti clade affecerunt, urbemque Edessam occuparunt. Hoc praesidio orbata urbs sancta sine dnbio tunc jam corruisset, nisi nova expeditio crnciata ejus interitum aliquandiu retardasset *(a)*.

§. 6. *Expeditio secunda.*

Secundam expeditionem cruciatam indixit Eugenius III, cujus conatui pondus adjecit S. Bernardus Claravallensis Abbas, qui quam plurimos in Gallia et Germania auctoritate et eloquio ad recipiendum Crucis signum permovit. Potentissimi Principes Ludovicus VII Galliae rex, Conradus III Imperator, aliique suscepta cruce, cum numerosissimis exercitibus a. 1147 per Constantinopolim in Palaestinam profecti sunt, Emmanuelis Comneni amicitiae confisi. Ast misere perierunt florentissimi exercitus perfidia Graecorum, mixta farinae calce, morbis, insidiis, cladibus, aliisque aerumnis. Meliori quidem fortnna

(a) Hist. Trev. in Docherii spicil. t. 2. p. 208., Albert. Aquensis hist. Hieros. p. 166., Vilh. Tyr. 8. 21.

aliquandiu ad Damascum usi, ingenti tamen regionis vastitate, inopino Turcarum undique irruentium adventu, segnique christianorum Principum tarditate, urbem hanc obsidione solvere coacti sunt. Imo Imperator et rex usque ad odium et divortium altercati sunt. Anno itaque 1149 redierunt inglorii in Europam. Cum Principes, qui in Oriente manserant, mutuis odiis ac contentionibus proprias ipsimet vires debilitarent, Saladinus, fortissimus Ægypti et Syriae Dominus, Mohammedanarum copiarum ductor, inito a. 1187 ad Tiberiadem praelio, Guidonem de Lusignano Hierosolymae Regem subegit ac coepit, annoque sequenti urbem ipsam Jerusalem in suam potestatem redegit, et incredibili celeritate ac fortuna Syriam et Palaestinam subjugavit. Quae cum ita gererentur, omnis Christianorum Orientalium spes sita erat in auxilio Principum Europaeorum *(a)*.

§. 7. *Expeditio tertia.*

Tertiam expeditionem cruciatam, agentibus Gregorio VIII et Clemente III summis Pontificibus, susceperunt Fridericus I cognomine Aenobardus Imperator, Philippus Augustus Franciae, et Richardus Cor-Leonis Angliae Rex. Vicit quidem Fridericus perfidiam Isaaci Angeli, Graecorum imperatoris, qui instructis insidiis Imperatorem intercludere est conatus, Sultanum Iconii, Graecis foedere junctum duplici praelio profligavit, urbemque Iconiensem expugnavit: ast Seleuciam usque progressus, quum transnatare vellet Saleph, unda torrentis abreptus, miserum naufragium fecit a. 1190. Igitur plerique milites sine certo ordine ac Duce turmatim domum redierunt, caeteri bellum continuarunt, Duce ejus filio Friderico Suevo, qui vero cum illis variis aerumnis fractus, annoque sequenti pestilentia consumptus est. Vestigia Friderici Imperatoris postea legerunt anno 1190 Philippus Franciae et Richardus Angliae rex, qui cum lectissima militum manu itinere maritimo Palaestinam ingressi, palmam quidem, victo aliquoties hoste, retulerunt, annoque 1191 urbem Ptolomaidem ad deditionem coegerunt, sed vel propter hanc ipsam urbem inter se animis alienabantur. Cum enim Leopoldus VI Austriae Dux suum quoque vexillum super turrim hujus urbis sustulisset, Richardus tanto intumuit fastu, ut illud deturbari et in lutum calcari jusserit. Qua regis arrogantia offensi Germani, in patriam suam redierunt, eorumque exemplum etiam Galli cum rege suo Philippo sunt secuti, paucis tantum militibus in communis causae defensionem in Oriente relictis. Post eorum di-

(a) Villelm. Tyr. l. 16.

secessum bellum acerrime continuans Richardus Saladinum aliquoties repressit, et quasdam Palaestinae urbes v. g. Jaffam ac Caesaream occupavit. Sed nescio, an invidia, an alia de causa a Gallis et Italis desertus, factis an. 1192 cum Saladino trium annorum induciis, reditum suum paravit (*a*).

§. 8. *Expeditio quarta.*

Post mortem Saladini, agente potissimum Coelestino III Papa copiosa crucigerorum agmina sub Henrico VI Imperatore collecta, id in primis egerunt, ut per Constantinopolim in Syriam proficiscerentur, verum Imperatore jam anno 1197 in Sicilia mortuo, subito in Germaniam redierunt. His tamen minime territus Innocentius III novam expeditionem indixit, quae etsi veri nominis *cruciata* non fuerit, a nonnullis tamen *quarta* numeratur. Quidam Galliae et Germaniae Proceres, inito cum Venetis foedere, cum exercitu naves conscenderunt in Terram sanctam navigaturi. Veruntamen expeditionis hujus is non erat eventus, ac justa expectatio ferebat. Cum enim an. 1195 Isacio Angelo Graecorum Imperatori ab Alexio fratre imperium cum oculis abreptum fuisset, illius filius Alexius fuga clam dilapsus, ad Philippum Suevum Germanorum regem se contulit, ejusque commendatione ac magnis promissionibus, crucesignatos in societatem adversus Alexium Comnenum adlexit. Hi igitur, derelicta Jadera, ubi ex condicto convenerant, ulterius provecti, pluribus urbibus ad deditionem compulsis, tandem Constantinopolim delati, dissipatis ac direptis Graecorum triremibus, urbem hanc oppugnarunt, coeperunt ac incenderunt. Dum haec gerebantur, Alexius Comnenus throni usurpator fuga Debeltum petiit an. 1203. Ita Isacius Angelus caecus, iterato cum Alexio filio imperii gubernacula capessivit. Verum sequenti anno, tum ambo isti nec inter se concordes essent, et Graecos profusione offenderent, Alexius quidam Ducas, cognomento Mursiphlus, captum fraude Alexium, imperio et vita exuit: pater Isacius re cognita moritur. Tam atroci facinore irritati Occidentales foederati Constantinopolim denuo expugnarunt an. 1204, coactoque terga dare Mursiphlo, primum ex Latinorum genere Orientis Imperatorem crearunt Balduinum Flandriae Comitem, et Thomam Morosini nobilem Venetum Patriarcham elegerunt. Constantinopoli a Latinis capta, Graecorum imperium in partes laceratum est, Theodoro Lascari, Alexii Comneni genero, Niceae, alioque ejusdem familiae Principe Trapezunti sedem

(*a*) Mansi XXII. p. 575. seqq., Otho Frising. c. 31., Matth. Paris. Hist. maj. p 156. seqq., Daniel Hist. Franc. 4. 21. etc.

suam stabiliente. Anno vero 1261 Michael Paleologus Nicaeae residens, Constantinopolim impetu coepit, fugatoque Balduino II Imperatore, Latinorum imperium in Oriente funditus evertit (*a*).

§. 9. *Expeditio quinta.*

Honorius III, Innocentii III successor, Legatos et literas in Galliam et Germaniam misit, ut Principes ad expeditionem cruciatam suscipiendam promoveret. Et reapse Andreas II Hungariae rex, cui Leopoldus Austriae Dux, Ludovicus I Bavariae, aliique Germaniae Episcopi ac Comites se junxerunt, exercitum primo ad insulam Cyprum, deinde Ptolomaidem appulit, ac Sultanum Saphaddin, ejusque filium Coradinum propitio Marte repressit. Cognitis vero crucesignatorum odiis atque dissidiis, Andreas post aliquot menses Europam repetiit. Reliqui Proceres, videlicet Joannes Briennus Rex Hierosolymorum, Patriarcha, Dux Leopoldus, aliique pervagati Aegyptum an. 1219 Damiatam, munitissimam urbem, incredibili virium contentione expugnarunt, sed dum in Aegypti interiora penetrarent, Nilo in ipsorum castra immisso, pacis conditiones a barbaris accipere, et quae coeperant, reddere sunt coacti an. 1221.

§. 10. *Expeditio sexta.*

Honorii III in Pontificatu successor Gregorius IX Principes occidentales in primis Fridericum II imperatorem, qui jam a. 1215 solemni jurejurando spoponderat cum valido milite in Terram sanctam se profecturum, literis sat humanis ad sextam cruciatam suscipiendam excitavit. Et erat sane tempus, ut Fridericus tandem voti sui fidem exsolveret. Anno igitur 1225 numerosus exercitus Brundusium confluxit, qui tamen aestu et pestifera lue fractus, gradum suum sistere coactus est. Cum Fridericus gravem morbum causaretur, Gregorius IX morbum fictitium ratus an. 1227 Imperatorem proficisci cunctantem anathemate notavit. Tandem an. 1228, invito Papa, in viam se dedit, partim excommunicationis metu, partim etiam, quod cum Tolanta, Joannis Brienni filia, regnum Hierosolymitanum dotis loco acceperat, sicque duplici excommunicatione se implicavit, primum quod tamdiu profectus non est, deinde quod profectus est, nondum impetrata Pontificia absolutione. Quum in Palaestinam pervenisset, militum chri-

(*a*) Conradus Ursperg. p. 318., Nicetas Acomin. in Alex. Comn. L. III. p. 418., Vincent. Belovac. l. 29. c 64.

stianorum animos a se alienissimos expertus in hostem ire non potuit. Quamobrem an. 1229 inducias decem annorum cum Sultano Aegypti Melec-Camelo pepigit, hac conditione, ut Sultanus urbem sanctam cum terris adjacentibus restituat, Saracenis vero magnum ejusdem urbis templum remaneat. Quo peracto, Fridericus solemni pompa Jerosolymam ingressus, sua sibi manu coronam imposuit, atque relicto in Palaestina Gubernatore Arnoldo Bavariae Duce, itinere maritimo Europam repetiit. Verum incolae Chorosanae (vulgo Charizimi) a Mogolis pulsi, instigante Aegypti Sultano Salech, anno 1244 Jerosolymam expugnarunt, Turcas, Christianos et Judaeos promiscue trucidarunt, templa spoliarunt, et sepulchrum dominicum funditus everterunt (a).

§. 11. *Expeditio septima.*

Expeditionem septimam suscepit S. Ludovicus IX Galliarum rex, quum ex gravi morbo convaluisset, crucis insigne a Parisiensi Episcopo accipiens, sacroque bello se devovens. Ad annum usque 1248 regii voti exectionem domesticorum negotiorum necessitas retardavit. His vero rite compositis, Parisiis discessit cum conjuge Margaretha, tribusque fratribus, ac numeroso nobilium comitatu, regni procuratione matri Blancae relicta. Cum autumnum et hyemem in Cypro insula consumpsisset, cum sua denique classe in Aegyptum feliciter delatus, Damiatam circa Pentecosten anni 1249 occupat: Hinc mense Novembri movens, satis rem prospere gerit, Cairum petiturus: sed pestifera lue in castris orta, exercitus illius ab hostibus undique circumventus, ac caesus, ipseque cum duobus fratribus in Saracenorum captivitatem adductus est 5 Aprilis an. 1250, quam restitutione Damiatae, soluto pro reliquis captivis ingenti lytro, ac decennali armistitio redemit. Rex tamen in illis oris mansit, donec cognita morte matris, anno 1254 in Galliam rediit. Verum voti sui religionem necdum exsolvisse sibi visus, anno 1269 cum tribus filiis et majoribus copiis recta in Africam transmisit, Tunicinm expugnaturus, ut inde in Terram sanctam transiret. At in portu Tunetano ipsum et exercitum pestilentia afflavit an. 1270. Carolus ejus frater, Rex Siciliae in auxilium veniens, barbaros quidem aliquoties repressit, urbisque oppugnationem ursit; ast ingruente jam hyemis asperitate, et annonae penuria, pacem cum Principe Tunetano invitus inivit. Nec feliciorem succes-

(a) Jacob. de Vitriaco Hist. Orient., Matth. Paris. p.345., Raynald. ad an. 1527., Mansi XXIII. p. 40., Muratorius Annal. Italic.

sum habuit expeditio Eduardi Angliae Regis filii, qui an. 1272 cum Sultano Aegypti, inducias pepigit sub hac conditione, ut ambae partes belligerantes loca jam occupata retinerent. Tandem expugnata an. 1291 per Aegypti Sultanum Ptolomaide, totum regnum Latinorum in Oriente corruit, nec ulli amplius in mentem venit, tot, tantisque impendiis orientalis belli fortunam tentare (*a*).

§. 12. *Causae sinistri eventus expeditionum cruciatarum.*

Expeditiones cruciatae felicem exitum non habuere sequentes ob causas: 1. Exercitus immensi, tumultuarie collecti, disciplinae militaris adeo erant ignari, ut omnibus in locis mali ordinis vestigia alte imprimerent. 2. De necessario commeatu numquam prospectum erat, ad futurum advenientium usum, unde plerumque rapto erat vivendum, vel si sat alimoniae non reperiebatur, multis intereundum. 3. Duces plerumque hostium et viarum erant ignari. Nesciebant etiam plurimi, quem in proficiscendo cursum tenerent. Ex ipso jam itinere lassi, in eum descendebant locum, in quo integris viribus fuisset praeliandum. 4. Propter nimiam locorum distantiam non poterant mox jacturas resarcire. 5. Perfidi Graeci vel invidia correpti vel factis Latinorum lacessiti, vel timentes ne sub eorum jugum mitterentur, farinae calcem admiscuerunt, veneno fontes et annonam corruperunt, sparsos trucidarunt, in loca deserta asperitatibus plena, ut aestu, fame et siti interirent, eos deduxerunt. 6. Duces exercituum aeque, ac Latinorum in Oriente Principes, proprii commodi studiosi nullum praepotens regnum condiderunt, sed terras occupatas in plures minores comitatus ac principatus ab invicem independentes diviserunt, et vel propterea varia in studia scissi, unitis viribus ad communem finem adniti non potuerunt. 7. Calido climati non assueti, variisque adversitatibus fatigati, saepissime a morbis contagiosis correpti magno numero perierunt.

§. 13. *Expeditionum Cruciatarum effectus.*

Expeditiones cruciatae tam malos quam bonos effectus pro utraque republica protulerunt. Ad mala Ecclesiae ex eis enata, pertinet superstitio falsis reliquiis ac fabulosis narrationibus aucta et nutrita; disciplina clericorum cum saecularium tum regularium per absentiam Episcoporum et Abba-

(*a*) Joanville vie de S. Louis p. 71. seqq., Filleam de la Chaize Hist. de S.Leonis., Monachus Paduanus p. 625., Marinus Sanutus l. 3. p. 12. c. 11.

tum, et per horum reditum magis laxata et enervata; disciplina poenitentialis antiqua oblivioni tradita. Mala quae ex cruciatis expeditionibus in rempublicam civilem manarunt, in eo potissimum consistunt, quod Occidens pluribus hominum millionibus, et magna pecuniarum vi privatus fuerit, ut nil dicam de civitatis fulcris neglectis. Longe autem majora fuere bona expeditionibus cruciatis producta. Inter homines, qui in eis perierunt, ingens erat multitudo perditorum omnis generis, nobilium rapacium, et turbulentorum clericorum, ac monachorum perversorum, scortorum, plebejorum ac rusticorum abjecti animi, et sua sorte male contentorum. His e medio sublatis, quantum morum honestati et publicae saluti consultum fuerit, nemo est, qui non intelligat. Proceres ac nobiles universim tunc temporis tranquillitatem et securitatem publicam bellis suis privatis et depraedationibus peregrinatorum, mercatorum, civium passim turbabant, nec a regibus, sufficienti potentia carentibus coerceri poterant. Quum plurimi eorum in Oriente mortui fuissent, feuda vacantia ad reges redierunt, bella cessarunt, atque ita regum potentia fuit aucta. Conditio servilis partim cessavit, partim tolerabilior multo reddita est, tum quod rustici, sumta cruce, tanquam Ecclesiae milites libertate donarentur, tum quod alii postea, sub eodem jugo gementes, seditionem minarentur, nisi quantocyus manumitterentur. Occidentales visitando Graeciam, Asiam et Aegyptum, vetusta illa culturae, commercii, opificiorum, artiumque domicilia, ubi nondum tempus edax omnes ingenii ac industriae fructus assumpserat, et cum Graecis cultioribus conversando, sphaeram suarum cognitionum auxerunt, et mores politiores induerunt. Ad asservandas reliquias, quas nobiles e locis sacris demum afferebant, in fundis sacella extruxerunt, hacque ratione ruri multae ecclesiae parochiales exortae sunt. Commercio per expeditiones cruciatas inter nationes christianas, et inter Orientem ac Occidentem exorto, novarum rerum, natura aut arte productarum cognitio, desiderium earum parandarum studium, ac proin civium industria, mercatura, navigatio, atque ex his omnibus prodiens opulentia et cultura mirum in modum aucta est. Plura nova instituta salubria v. g. municipalitates, et Ordines equestres per Europam efflorescebant, novi mores, plantae et animantia extera, novaque artis opera etc. importabantur. Europa perpetuo, magisque exercitato milite donata, et complures scientiae v. g. classica litteratura, historia et geographia novis accessionibus auctae sunt. Denique quomodo res se haberent nobiscum, nisi majores nostri arma Turcarum suspendissent? Haberemus inter nos Religionem dominan-

tem, quae bibliothecam Alexandrinam flammis absumsit, omniumque litterarum artiumque liberalium studium contemnit (*a*).

§. 14. *Ordines equestres.* — *Ordo equitum S. Joannis.*

Tempore expeditionum cruciatarum tres celeberrimi Ordines equestres, seu militares instituti sunt, quorum officium fuit, vias a latronibus tutas efficere, peregrinantibus inservire, adversus infideles dimicare, et rei christianae consulere. Eorum primus, Ordo equitum S. Joannis Jerosolymitani Hospitaliorum nomen suum traxit ex monasterio et hospitali honoribus S. Joannis Baptistae consecrato quod impetrata ab Aegypti Principe, Palaestinae domino, licentia, Mercatores Amalphitani aedificarunt, et monasterium de Latina dictum est, Monachi Benedictini, qui ibi erant, peregrinis ad loca sancta confluentibus inserviebant, in primis aegrotorum ac pauperum teneram curam gerebant. Liberata fidelium armis sancta civitate, cum fratribus aeque, ac possessionibus valde locupletaretur monasterium, Gerardus quidam vir nobilis an. 1113 consentiente Papa, domum hospitalem a monasterio avulsit, seque ac suos regulae salutari, piisque statutis obstrinxit, volens eos in posterum esse sub tutela et protectione sedis Apostolicae, quemadmodum Paschalis II et Calixti II testantur Bullae. Anno 1118 Raimundus de Puy, Gerardi successor, milites quoque cum servientibus in suum collegium admisit, sicque Ordo pauperum et infirmorum hactenus ministerio destinatus, totus in equestrem mutatus est, et in tres classes divisus; videlicet *equitum*, qui militares operas praestabant, *sacerdotum*, qui rem divinam administrabant, et fratrum *servientium*, qui pauperum et infirmorum curam gerebant. Eorum insigne erat simplex vestis nigri coloris, candida cruce insignita. Hospitalariorum Praeses vulgo audiit Magister, donec Hugo de Reval (1260-1278) supremi Magistri titulum assumpsit. Quum Latini Palaestinae solum vertere cogerentur, Reges Cypri equitibus S. Joannis urbem insulae Limosso dictam incolendam tradiderunt, ut contra subditos graecos socia secum arma jungerent. Anno 1310 insulam Rhodum expugnarunt, equites Rhodii inde dicti, eamque ultra 200 annos contra Turcas defenderunt. Demum sub finem anni 1522 Philippus de Villiere, supremus Ordinis Magister, impavido licet Marte obsisteret, a Solimano II Sultano insulae deditionem facere coactus est. Ab hoc tempore Vitarbii aliquandiu morati, tandem Caroli V favore an. 1530 Melitam insulam occuparunt,

(*a*) I. I. Bambach.

ea tamen lege, ut regni utriusque Siciliae defendendi causa contra Turcas, quatuor navigia bellica semper parata haberent, Hispaniae regem, quatenus erat Siciliae rex, ceu dominum suum directum agnoscerent, eique in subjectionis Vasalliticae signum quotannis falconem mitterent, equites Melitenses propterea dicti (*a*).

§. 15. *Ordo equitum Templariorum.*

Anno 1118, auctoribus Hugone de Paganis, aliisque octo nobilibus Gallis natus est alter Ordo equestris, Templariorum dictus a domo Templo Salomonis proxima, quam Balduinus II Hierosolymorum Rex fundatoribus inhabitandam concessit. Hunc Ordinem ex toto militarem solemni ritu approbavit Papa Honorius II in Trecensi Concilio, et peculiari regulae adstrinxit an. 1128, assignante posthac Eugenio III Papa vestitus loco pallium candidum cum rubra cruce. Hic Ordo brevi tempore stupenda coepit incrementa per totam Europam, ita quidem, ut ipsorum Principum fortunas viribus, opibusque aequaret; sed divitiis invidiam, excessibus autem odium sibi comparavit. Philippus Pulcher Galliarum Rex, partim odio ob societatem cum Bonifacio VIII initam, partim cupidine potiundi illius bonis actus perdere funditus Ordinem constituit, libenter audiens duos Templarios, nimirum Priorem Montis Falconis, et exulem Florentinum, cui Nomen Noffo Deì, homines sceleratos, qui impunitatem sua confessione quaerentes, atrocissimorum criminum Ordinem accusarunt, potissimum quod in clandestinis conventibus nefariam libidinem exercerent, idolum Baffometum vulgo dictum adorarent, Ordinis Sacerdotes in Sacrificio Missae verba consacrationis omitterent, supremus Ordinis Magister, homo licet laicus, potestatem a peccatis absolvendi usurparet. Post factam inquisitionem in Concilio Viennae Allobrogum a. 1311 habito, Clemens V, edita Bulla, Ordinem Templariorum abolevit. Illorum bona Ordini S. Joannis Hierosolymitani assignata, exceptis iis qui in Castellae, Arragoniae et Lusitaniae regnis sita, in subsidium belli contra Mauros data fuere. Judicium vero circa personas sententiae Provinciarum, ad quas pertinebant, commissum est, praeter nonnullos, quorum sors ipsi Papae erat reservata (*b*).

(*a*) Vilelm. Tyr. Hist. XVIII. 4. (*b*) Guilelm. Tyr. de bello sacro l. 12. c.7.,Mansi Concil. T. XXV. p. 330.

§. 16. *Ordo equitum Teutonicorum.*

Cum anno 1190 Ptolemaidem Syriae urbem obsiderat Henricus Valpot de Blassenheim, aliqui mercatores Bremenses et Lubecenses, commiseratione tacti militum infirmorum, nosocomium quoddam erexerunt sub Tentoriis, quae ex navium velis praeparaverant, ad pauperes et aegrotos excipiendos, fovendosque. Quod institutum Proceribus Germaniae in obsidione praesentibus adeo placuit, ut inde Ordinem equestrem fundarent, qui Christianorum curam gereret. Dictus fuit Teutonicus quia nobiles Germani illi Xenodochio ac militiae solemni voto se adstrinxerunt. Dictus fuit praeterea B. Mariae Hierosolymitanae, quia Oratorium Deo in honorem reginae Coelorum consecrarunt, et Deiparae Virginis patrocinio se commiserunt. Anno 1192 Coelestinus III Papa, agentibus Friderico Sueviae Duce atque Henrico VI Romanorum imperatore, Ordinem neoerectum confirmavit, et Vitus de Lusignano Hierosolymorum rex eidem domum hospitalem ad D. Virginem assignavit. Primus Ordinis Magister fuit Henricus Valpot (mortuus an. 1200). Militabant sub regula S. Augustini, et cruces nigras albis chlamydibus intextas habebant. Eorum alii erant Equites, adversus hostes dimicantes, alii Sacerdotes rei divinae administrandae praefecti pauloque serius ex civica conditione etiam assumpti. Rebus latinorum in Oriente penitus collapsis, etiam Teutonici equites terga dedere, aliasque probabiles sibi sedes in Europa quaesiverunt, supremo Ordinis Magistro Venetiis domicilium suum figente. Verum an. 1229 a Conrado Massoviae Duce contra Borussos hostiliter undique irruentes evocati, universam Borussiam, et Lifoniam in suam redegerunt potestatem. A quo tempore supremus eorum Magister Marienburgi in Borussia sedem suam stabilivit. Quum tamen vectigalibus subditos populos gravassent, Proceres et urbes, inito foedere, tentatisque infausto omine belli periculis, an. 1454 Polonorum tutelae se tradiderunt. An. 1466 vi pacis Teuronii conclusae, Occidentalis Borussia Polonis cessit, propria tamen retenta constitutione. Polonis vero hanc conditionem violantibus, Ordinisque Magistris, orientalis Borussiae adhuc dominis, vassalliticam fidem Polonorum reipublicae spondere nolentibus, Teutonici equites an. 1511 Albertum Marchionem Brandenburgicum ordini praefecerunt Magistratum, ita sperantes fore, ut auxilio familiae Branderburgicae turpem ejusmodi subjectionem vassalliticam declinarent. Ad haec cum Imperii germanici Ordines magis, ac par erat, conniverent, supremo Teutonicorum Magistro jam nihil amplius supererat, quam ut pacis cum Polonis ineundae foedus prae viribus accelerarct. Anno igitur 1525 proponente Poloniae rege, illa Borussiae pars, quae Teutonicorum equitum hucusque

fuerat, Alberto Marchioni, ejusque ac fratrum masculis prolibus, ceu Ducatus baereditarius in feudum assignata est. Demum Albertus, deposito ordinis habitu, ad Martini Lutheri partes transiit, a quo tempore Teutonici equites ex universa Borussia pulsi, in Germaniam commigrarunt, eorumque supremus Magister Mergenthemii in Franconia stabilem sedem fixit (*a*).

§. 17. *Fata reliqua Religionis christianae in Oriente.*

Jam ante saeculi VIII exitum Nestoriani Religionem christianam inter maris Caspii accolas, imo agente Timotheo Patriarcha, ad extremos usque orientis fines per Tartariam, Chatajam et Sinam ardore plane incredibili propagarunt. Auspicantes saec. XI laetiora adhuc incrementa Religio coepit in Tartaria conversione illius Principis, qui sub nomine Presbyteri Joannis nostris etiamnum diebus celebratur. Narrant enim, eum non tantum Christo nomen dedisse, verum etiam Sacerdotis munia obiisse. Quidquid sit, hoc tamen dubio vacat, illum Principem cum posteris hocce nomine insignitum fuisse. Reliqua forte fingebant Nestoriani, ut majorem sibi, et illi compararent famam. Quum postea inter Mogulensium incursiones multum detrimenti coepisset illis in partibus Religio christiana, Innocentius IV Papa a. 1245 plures Evangelii praecones Dominicanos et Franciscanos illuc misit, qui barbaram illam, ac indomitam gentem ad Christi fidem converterent, ejusque immanitatem coercerent. Nicolaus IV an. 1289 plures illuc Missionarios e Franciscanorum Familia ablegavit cum Joanne de Monte Corvino ejusdem Ordinis, qui legati Sedis Apostolicae dignitate auctus Indiam Orientalem peragravit, in Chatajam ad magnum Tartarorum Chanum se contulit, ipsumque et plures subditos ad Christi fidem convertere studuit. In India Nestoriani cum imposturae et homicidii apud Khabam insimularunt et parum defuit quin capitis damnaretur: nihilominus an. 1302 ultra 8000 hominum baptizavit, et in urbe principali Ecclesiam erexit.

Nec his contentus, Georgium quoque Karitensium Regem jam Nestorianum, cum magna subditorum copia ad fidem Ecclesiae Catholicae adduxit, Novi Foederis libros cum Psalmis Davidicis in tartaricam linguam convertit, pulcherrimisque litteris conscriptos publicavit. Tot, tamque eximia illius merita remuneraturus Clemens V Papa, eumdem Archiepiscopum Pechinensem, ejusque comites Franciscanos Epi-

(*a*) Jacob de Vitriaco hist. Hier. c 66., Chronic. Pruss. c. 2., Hartknochs hist. eccl. p. 33.

scopos illi suffraganeos assignavit, addito diplomate, quo omnes Catholicorum in Oriente coetus illi subjiciebantur. Quae cum ita essent, facile est intellectu, florentissimum tunc temporis fuisse Tartaricae et Sinensis Ecclesiae statum, etsi optata ibi stabilitate caruerit (*a*).

§. 18. *Propagatio Religionis christianae in Europa.*

Boleslaus III Poloniae Dux Pomeranis a. 1121 bello victis superatisque pacem et libertatem indulsit, unamque vectigalis partem remisit, hanc tamen illis dictans legem, ut Jesu Christi Religionen amplecterentur. Eo igitur collimans, Othonem Bambergensem Antistitem, auctoritate Honorii II Pontificis munitum, Evangelii praedicandi causa in Pomeraniam misit anno 1124, qui splendido indutus vestitu, magnoque stipatus comitatu, tanto cum fructu semen verbi Dei sparsit, ut barbari, eo praeeunte, certatim ad comminuenda idola manus applicarent. Othone ob tenuem valetudinem in Germaniam reverso, populus ad ethnicam superstitionem rediit, quare vigilantissimus Pastor anno 1128 in Pomeraniam iterato se contulit, et admirabili laborum, periculorumque contemptu coeptum conversionis negotium ad finem perduxit (*b*).

E Pomerania facilis patebat via ad incolas Rugiae insulae convertendos. Valdemarus, Rex Daniae, expugnatis duobus insulae castris, Rugios ad subjectionem compulit. Absalon Lundensis Archiepiscopus eos sub suave Christi jugum duxit, et baptizatis Presbyteros et Religionis doctores dedit a. 1168. A quo tempore plures in hac insula surrexerunt Ecclesiae.

Eodem fere modo conversio Finnorum effecta est. Nimirum a. 1157. Sueciae rex Enricus IX cum milite numeroso, ac fideli comite Henrico Upsaliensi Episcopo, Finniam ingressus, barbaros incolas armorum vi subegit, et sacris baptismi undis per Episcopum Henricum lustrari jussit. Ad firmandam inter eos Religionem christianam sacrum templum exstrui curavit, et stabilem sedem Henrico assignavit, qui Finnorum conversioni supremam imposuit manum. Henricus an. 1158 martyr occubuit (*c*).

Majori virium contentione opus erat, ad convertendam bellicosam Livonum gentem. Qnum nimirum a dimidio saec.

(*a*) Assemani Bibl. Orient. T. II. P. I. p. 491., Vincentius Bellovac. hist. l. 31., H. Spondanus T. I. an. 1307. n. 3. p. 360. (*b*) Vit. Othon. l. 3., Vokanil diss. de convers. Pomeran. (*c*) Saxo Grammat. Hist. Dan. l. 14. p. 287., Act. SS. T. IV. Maji d. 18. p. 188., Act. SS. Januar. d. 19., Dalie hist. Suec. P. II. p. 82. 98.

XII quidam mercatores Bremenses, vel Lubecenses, lucri spe ducti, in Livoniam proficiscerentur, comitem se illis addidit Meinhardus, canonicus regularis Segebergensis, qui christianae Religionis veritatem Livonibus persuadere est conatus. Quem in finem, permittente Valdemaro Ruthenico Principe, Ecclesiam erexit ad fluvium Dunam, duos gentis proceres, aliosque complures baptismo initiavit, et Episcopi munia inter eos obeunda suscepit, successu tamen parum fausto. Æque parum profecit ejus in Episcopatu successor Bertholdus, antea monasterii Cisterciensium Lochansis in Saxonia Abbas, qui annuente Coelestino III Pontifice crucis exercitum libere collectum contra Livones misit, eosque anno 1198 profligavit, et non solum ad obedientiam, verum etiam ad baptismi susceptionem adegit. Iis vero datam fidem brevi post violantibus, omnesque ministros catholicos an. 1199 trucidare volentibus, Albertus Episcopus, antea Canonicus Bremensis, an. 1201 Ordinem gladiferorum, seu fratres militiae Christi instituit, quorum virtute Livones superati, etsi, reluctantes Christum adorare didicerunt. Utrisque negotium hoc frugiferum erat, et Alberto Livonum Episcopo, et equitibus gladiferis. Earum enim terrarum dominationem fideliter inter se partiebantur (*a*).

Æquali sollicitudine Principes et Episcopi per totum fere saeculum XII id curarunt, ut Slavos maris Baltici accolas, ferosque Christianorum hostes non solum armis domarent, sed etiam ope verae Religionis mansuefacerent. Inter Principes hujus aevi quoad hoc longe celeberrimus Henricus Leo, Saxoniae et Bavariae Dux, qui non contentus, ab anno 1148 gentem Slavico-Venedicam ad maris Baltici littora, et in Saxonia ad Albim habitantem armorum vi superasse, etiam Religionem christianam ab Othonis M. temporibus in dies magis collapsam, in transalbiana Slavorum regione resuscitavit, tres Episcopatus Raeceburgensem, Altenburgensem, ac Sverinensem renovavit, et amplis redditibus auxit. Missionarii munere ibidem functus est Vicelinus ex Hamelia urbe oriundus, Canonicus regularis S. Augustini, qui cum aliis Saxoniae Sacerdotibus Slavis ab an. 1124 usque ad an. 1154 Christum praedicavit, ac tandem Altenburgensis Antistes creatus est (*b*).

Cum Borussi adhuc saeculi XIII initio plerique idolorum cultui dediti Christianos in suo territorio habitantes persequerentur, et agrum Culmensem ac Massoviensem ferro et

(*a*) Arnold. Chron. Slavor. L. VII., Helyot Hist. Monast. et Ord. Equestr. T. III. p. 179. (*b*) Gerard. hist. narr. de Honr. Leone., Helmod. hist. Slavor. L. I. c. 2. seq., Mulleri Cimbria litt. T. II. p. 910.

igne late popularentur, Christianus monachus Cisterciensis ex Pomerania, postea Episcopus Vratislaviensis, qui cum aliquot fratribus Praedicatoribus ab Innocentio III Pontifice propagandae Religionis causa illuc fuerat missus, Conrado Massoviae Duci suasit, ut Borussorum incursionibus limites poneret. Is an. 1230 equites Teutonicos, tum Venetiis morantes, in auxilium vocavit, qui largis promissionibus allecti, duce Hermanno de Salza, acre bellum in Borussos moverunt, eosque armis aegre superatos tandem coegerunt, ut equitum horum dominationi suas cervices subderent, Christoque nomen darent (*a*).

Inter Europae Principes unus propemodum supererat Jagello Lithuaniae Dux, falsorum numinum cultor. Huic etiam anno 1382 oblata est occasio, veterem superstitionem abjiciendi. Quum enim Hedvigem Poloniae reginam thori consortem sibi jungere volens, cum universa gente ad sacra christiana se accessurum spopondisset, Regina, quae Lithuaniam cum Polonia conjungere enixe cupiebat, an. 1386 libenter illius petitioni subscripsit. Is proinde Cracoviae aqua lustrali tinctus, Uladislai II nomen assumpsit, annoque sequenti rem eo adduxit, ut in Comitiis Vilnae habitis Lithuanorum ad Christum conversioni extrema imponeretur manus. Ab hoc tempore prima inter eosdem apparuerant culturae vestigia. Caeterum tamen usque ad exitum saeculi XIV in Lithuania multi adhuc supererant ethnici, imo et christiani a fide lapsi (*b*).

S. Joannes a Capistrano Ordinis S. Francisci, a Summo Pontifice Martino V Fidei inquisitor institutus eo vires suas intendit ut pestiferam Fraticellorum sectam exterminaret an. 1451. Nicolaus V postulante Friderico III Imperatore, illum Apostolicae Sedis Nuntium in Germania legavit, ut haereticos ad Catholicam fidem, et Principum animos ad concordiam revocaret. Reapse in Bohemia potissimum perplures Hussitas ad Ecclesiae Catholicae sinum traduxit. Cum Mahometus II filius et successor Sultani Amurat, Europam invadere minaretur, et jam Taurunum obsidione cingeret, S. Joannes in variis Conventibus animos principum Germaniae ad expeditionem contra Turcas suscipiendam sua facundia ita accendit, ut brevi 70000 Christianorum conscripta sint. Inito praelio Christiani ab eo inflammati impetum in Musulmanos fecerunt, et caesis pluribus eorum millibus superstites in fugam egerunt. Victoria virtuti et consilio S. Joannis a Capistrano fuit

(*a*) Dithmari Chron. L. VI. (*b*) Joan. Duglos. hist. Polon. T. I. l. 10. p. 102., Shlonzeis hist. Lithuan. p. 84.

adscripta. Aliud Ordinis Seraphici sydus vere lucidissimum fuit S. Jacobus in Piceno piis parentibus natus, qui contra Fraticellos, Manichaeos redivivos, Patarenos, Hussitas, et Thaboritas pontificiis legationibus functus multa millia haereticorum et infidelium ad Christum convertit (*a*).

Saeculo XV Christiani Hispaniae non solum duro Maurorum jugo collum subtraxerunt, sed variis etiam modis Religioni suae aditum patefecerunt ad implacabiles illos Christi hostes. Nimirum Ferdinandus Castellae Rex an. 1492 Mauris Granatense regnum eripuit; quam ob rem Romani Pontifices titulum regis Catholici ei contulerunt. Victis Mauris promisit, liberum fore eorum Religionis exercitium, sperans fortasse, ope missionariorum facile obtineri posse, ut ad Christum perducerentur. Hanc tamen spem fefellit eventus. Septem enim effluxerunt anni, quin Mauri se Christo devoverent. Igitur auctore Francisco Ximenio, Archiepiscopo Toletano, vi adacti fuere: inde celebris distinctio inter Christianos veteres et recentiores in Hispania. Judaeos quoque Ferdinandus Catholicus christianam religionem quantocyus amplecti, vel si istud detrectarent, intra certum temporis spatium regno excedere jussit. Verumtamen sedes potius mutabant, quam Religionem. Per varias Europae et Africae provincias dispergebantur; sed tamen longe plurimi subsistebant in Lusitania. Quum vero serenis Joannis et Emmanuelis Lusitaniae Regum edictis summas ad angustias redigerentur, plurimi eorum (ad 30000 capitum fuisse dicuntur) aqua lustrali perfundi maluerunt, quam bonorum et libertatis jacturam incurrere, eorum deinceps constituentes familiam, qui novi Christiani dicebantur (*b*).

§. 19. *Religio christiana per alias mundi partes translata.*

Notandum praeterea, acriori, ignotas terras lustrandi studio, quo Lusitani praesertim, et Hispani hac aetate incitabantur, christianam Religionem etiam aliis orbis plagis fuisse illatam. Sic Joannes I Lusitaniae Rex, detecto anno 1484 per Jacobum Canum fertili regno Congo, quod vulgo ora maritima ad Africae Occidentem cognominatur, sub exitum saeculi humanissimam legationem in eas ditiones misit, obtinuitque, ut regia familia, ac procerum multi catholicam fi-

(*a*) An. Sylv. Europ. cap. 18. etp. 282., Berault.-Bercastel. H. E. ab an. 1449, 1471., Brev. Rom. 29. Nov. (*b*) Patr. Martyr. opus ep. l. 8. ep. 157., Alv. Gomecii de reb. gest. a Franc. Ximenio L. VIII. Complut. 1569., Ferraro hist. Hisp. t. 8. p. 126., Mariano L. 21. c. 21.

dem adoptarent. Cum tamen rex, polygamia desistere nolens, ad veterem idololatriam rediisset, Alphonsus, ejus filius natu maximus, meliora edoctus, in fide christiana firmus perstitit. Postqnam Lusitanii, Vasco Gama duce, jussu Emmanuelis regis Africam circumvecti, anno 1497 in Orientalem Indiam pervenerant, non solum Indicis commerciis, sed etiam christianae Religioni viam aperuerunt. Nec satis, etiam in America Evangelium Christi praedicatum fuit, patefacto ad eam per Hispanicam classem itinere. Nimirum Christophorus Columbus, patria genuensis, nauticae rei scientissimus, sub Ferdinandi et Isabellae Regum auspiciis anno 1492 ex Palensi portn profectus, Hispaniolam, Cubam, Jamaicam, aliasque insulas Americam ambientes detexit: cujus exemplum Americus Vesputius, ceterique secuti, vastam illam aperuere continentem, quae partem orbis terrarum quartam efficit. Quum biennio post Alexander VI Papa Americam in duas partes divisisset, ita quidem, ut pars orientalis Lusitanorum, occidentalis Hispanorum esset, ejusdem monitu multi Franciscani et Dominicani in eas ditiones Evangelii praedicandi causa missi sunt. Quamdiu Columbus ibidem jura dabat, Americani satis clementer tractabantur, eo autem in Hispaniam reverso, Lusitanorum et Hispanorum praefecti in novos hosce homines, naturae communione sibi copulatos a quibus nulla re erant offensi, severissime animadverterunt. Caeterum tameu clementioris ingenii fuere missionarii, in primis Benedictini, qui ab Americo Vesputio istbuc ducti, salubri institntione hunc populum ad fidem invitare maluerunt. Inter omnes autem longe eminuit Bartholomaeus de la Casas an. 1474 Hispali in Hispania natus, Dominicanus, qui iteratis vicibus Oceanum pernavigavit, ad causam miserorum Indorum in patria tuendam, exactisque in altero orbe, inter innumera ac generosa humanitatis opera 50 annis, Episcopatu se abdicavit, et in Patriam rediit; mortuus Matriti an. 1556. (a).

CAPUT II.

FATA ADVERSA ECCLESIAE CHRISTIANAE.

§. 1. *Persecutio Christianorum in Oriente.*

Tota hac aetate Christiani acerrima bella gerebant cum Saracenis ac Turcis, hique posteriores non contenti Saracenos sibi valde invisos in angustias adduxisse, cultissimas quo-

(a) Labat. t. 2., Maffei Hist. Ind. l. 1.

que imperii Constantinopolitani provincias ad Pontum Euxinum expugnabant et reliquas graecorum terras perpetuis irruptionibus infestabant. Nec hostiles eorum incursus sustinere, aut sistere contra valebant graeci, domesticis turbis haud parum debilitati, parandisque militibus, deficiente pecunia, omnino impares. Accedebant porro sub saeculi XII exitum iterato victoriae Mogulensium barbarorum, qui duce Ginghiskano, non solum provincias Presbyteri Joannis in suam potestatem redegerunt, verum etiam hoc successu elati, Persidem, Asiam minorem, regnum Magni Mogolis, et Chinae quoque partem ferro, flammisque deleverunt. Aevo posteriori per missionarios, a Romana sede ablegatos, foecunda quidem semina Evangelii in his oris spargebantur; ast laetior haec rei christianae facies, finiente saeculo XIV, plane est commutata et conversa, quum potentissimus Tartarorum Princeps Timur Beg, vulgo Tamerlon dictus, cruentissimo bello omnia sus deque verteret, potiorem Asiae partem, ipso Turcarum Sultano Bajazeth victo, captoque, sub jugum suum mitteret, totique terrarum orbi terrorem, suique formidinem incuteret. Sub hoc Principe, Korani studiosissimo, omnia pene vestigia, omnia saltem commoda Christianorum eversa et sublata, legemque Mohammedanam longe, lateque propagatam fuisse, omni controversia vacat. Nihilo minorem christianae Religioni noxam attulit notissima illa Chinae conversio, qua Tartarorum, quod in hoc regno viguerat, imperium est destructum. Cum quippe Sinenses, mota an. 1369 gravi seditione, Tartaros omnes cum ejusdem gentis Imperatore regno expellerent, etiam Christiani incolae, quibus arctius intercesserat cum Tartaris commercii vinculum, Sinensium terris excedere cogebantur, ut adeo hoc, et sequenti saeculo nulla amplius in China superessent Christianorum vestigia. Extremam denique christianae Religioni perniciem in magna Asiae et Europae parte attulit Imperii Constantinopolitani eversio. Quum nimirum Turcae, duce Mohammede II, perdomito Caramaniae principe, arma in Christianos vertissent anno tandem Christi 1453 Constantinopolim expugnarunt, ita quidem, ut una pars urbis vi armorum, altera paciscendo in illorum redigeretur potestatem. Qua occasione ingens edita Christianorum strages, aedes publicae simul, ac privatae, demptis nequidem Basilicis, expilatae, Christi, Sanctorumque imagines impie profanatae, ac compedibus numerosae incolarum catervae miseram in captivitatem abductae, multique nobiles captivi ultimo supplicio affecti sunt. Sub dominationis Turcicae jugo christianae quidem Religionis exercitium adhuc perdurabat, ast aegre tantum, fatisque

adeo adversis obnoxium, ut numerus Christianorum opinione citius minueretur (a).

§. 2. *Persecutiones Christianorum in Occidente.*

Etiam in Occidente Christiana Religio varias persecutiones sustinere debuit. In primis Saraceni, Hispaniae incolae, exhaustis jam pene omnibus violentiae generibus magnam Christianorum partem praemiis, nuptiis et pactionibus induxerunt, ut abdicata Christi fide, impio Mohammedis cultui fasces submitterent. Imo satis credibile, potiorem subditorum partem a vera Religione defecturam fuisse, nisi Saraceni, Regum Aragoniae et Castellae viribus ac potentia debilitati, finibusque angustioribus circumscripti fuissent. Erant etiam inter Danos, Hungaros, aliasque gentes haud pauci, qui avitae superstitioni adhuc dediti, tam populares, quam vicinarum gentium christianos capitali odio, et atroci crudelitate insectarentur. Nec silentio praeterunda ferocissima indoles Borussorum, Lithuanorum, Slavorum, aliorumque populorum ethnicorum inferioris Germaniae, qui perpetuis bellis, et irruptionibus vicinos Christianos misere lacessebant, flebilique multorum caede suas manus tingebant. Neque deerant his saeculis viri, ingenii acie, variaque eruditione instructi, qui fallacibus disputationibus et sophismatibus Religionem christianam aggrederentur. Infensissimi erant quidam Philosophi Aristotelici, qui monopolii, quod publicis in scholis usurpabant, jure elati, suoque ingenio unice fidere sueti, sacratiora Christi dogmata de providentia divina, de immortalitate animarum, de creatione mundi etc. sugillare, aliorumque animis rerum divinarum contemptum inserere gestiebant. In primis Fridericus II Imperator a Gregorio IX Pontifice multarum in Religionem blasphemiarum accusabatur, maxime, quod in libro famoso ipsi tributo proposuerit: « a tribus Baratatoribus, scilicet Christo Jesu, Mose et Mohammede totum mundum fuisse deceptum. » Cui gravi accusationi ansam dedit perfamiliaris consuetudo Imperatoris cum Averoe, aliisque Aristotelicis, qui male de Christi Religione sentiebant. Ut denique taceam tristem malorum congeriem, per hostiles Mogulensium in Hungariam, Poloniam, Russiam ac Silesiam incursiones, harumque regionum depopulationes rei christianae in Occidente illatam (b).

(a) Zonaras l. 18. c. 16., Marcus Paulus Venetus de region. orient. l. 1. c. 51. - 53. (b) I. H. Hottinger. Hist. eccl. saec. XI. sect. II. p. 452, Adamus Bremens. Hist. l. 2. c. 27., Matth. Paris. Hist. maj. p. 408.

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE, ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Pontificatus S. Gregorii VII.*

Quum dimidio circiter saeculi XI Simonia et incontinentia Clericorum per universam fere Ecclesiam grassarentur, ad haec extirpanda vitia, complures aevi hujus Pontifices id negotii sibi datum existimabant, ut collapsam Ecclesiae disciplinam salubribus decretis, severiorique castigatione resuscitarent, omnesque abusus ecclesiasticos reformarent. Nemo autem ullus tanta animi constantia adlaboravit, quam Gregorius VII antea Hildebrandus dictus. Erat is natione Tuscus, patria Soanensis, fabri cujusdam lignarii filius, singularibus ornatus ingenii dotibus, acuto judicio, indole prompta, vivacitate ad magnas res gerendas et exequendas necessaria, animo intrepido et inflexibili, diligenti literarum studio, aliisque id genus pluribus, quae magnum celebremque in mundo hominem formare possunt. Primis literarum rudimentis imbutus est Romae in monasterio S. Mariae in monte Aventino; in Claustro vero Cluniacensi in Gallia curriculum studiorum absolvit. Romam redux a Leone IX Basilicae S. Pauli praefectus, et a Nicolao II Ecclesiae Romanae Archidiaconus designatus, praecipuis muneribus et legationibus perfunctus est. Demum an. 1073 X Kalendas Maii, quo sepultus est Alexander II, summo totius Cleri consensu, omniumque applausu electus est Pontifex. Invitum se a Romanis fuisse electum, satis perspicue declarabat, cum in epistola ad Desiderium Abbatem Cassinensem, tum in responsione comiti Eberbardo, quem rex Henricus IV Romam miserat, data. Quamquam plurimi Henrico dissuaderent, nihilominus illico per Gregorium Vercellensem Episcopum, suumque regni Italici Cancellarium, ratam habuit Hildebrandi electionem. Gregorius celebrata an. 1074 Romae Synodo, inter alia decrevit, 1. Ut, qui sacros ordines simoniace adeptus fuerit, omni in posterum munere ecclesiastico privetur, et qui Episcopatum numerata pecunia acquisierit, a dignitate amoveatur. 2. Omne Principum civilium jus, Episcopos et Abbates investiendi antiquatum voluit, acriter sanciens, ut si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu laicae personae acceperit, nullatenus inter Episcopos et Abbates habeatur, et si vel Imperator, vel Princeps alius inferior investituram ejusmodi dederit, excommunicationis sententia irretitus teneatur. 3. Decreta prioris aevi contra Clericorum incontinentiam

acrius ursit, omnibus Clericis, ab Episcopo usque ad Subdiaconum, coelibatus legem violantibus, sacras functiones prohibuit, concubinas illico dimitti, et Clericos in concubinatu viventes ab officio removeri jussit. Dici non potest, quantos passim tumultus heae Gregorii sanctiones in Europa excitaverint. Ubique locorum, potissimum autem in Germania et in Italia adversus decretum de coelibatu protinus insurrexerunt Clerici concubinarii, Papam plane haereticum, et vesani dogmatis esse clamitantes. Gregorius autem, animo immotus, decreti hujus executionem constanter ursit. 4. Uniformitatem Liturgiae jam a multis retro saeculis tentatam, ejusque cum Ordine et Officio Ecclesiae Romanae consensum in toto orbe christiano jussit, omnem movens lapidem, ut Alphonsum Castellae et Sancium Arragoniae Reges ad Liturgiam Romanam, Mozarabicis ritibus dimissis, adoptandam permoveret, et in Bohemia atque Moravia Slavonicae linguae usum in cultu divino abrogaret. 5. Amicitia et auxilio Mathildis, Tusciae Marchionissae hoc consecutus est, ut post mortem matris et mariti Ecclesiam Romanam omnium terrarum suarum haeredem scriberet an. 1076. *(a).*

§. 2. *S. Gregorii VII dissidia cum Henrico IV.*

Causam primam et principalem controversiae hujus praebuit Henricus IV, Henrici nigri filius, Princeps in prima jam juventute, maxime ab eo tempore, quo sub disciplina fuit Adalberti, Bremensis Episcopi, in varia petulantiae, libidinis ac dissolutionis vitia delapsus, omniaque Ecclesiae decreta contra Simoniam et investituram nihili pendens. Quum enim Gregorius VII in synodis Romae habitis an. 1074 et 1075 Simoniam et investituram ceu ansam malorum multorum, nec non Clericorum concubinatum condemnasset, per litteras et legationes Henricum Regem amice monuit, ut quae Ecclesiae et reipublicae bono adversabantur, corrigeret. Henricus amica Pontificis admonitione excitatus, et Principum Germaniae minis exterritus in litteris ad Gregorium Papam datis omnia quidem promisit, at promissis minime stetit. Nam Principes Saxoniae, qui arma posuerant, aggressus, et bello secunda fortuna perfunctus, Pontificis decreta et admonitiones derisit; quare Gregorius, missis in Germaniam legatis, Re-

(a) Platina, Mansi, Baronius ad an. 1061., Murat. rer. ital. T. III p. 301., Gretseri apolog. pro Greg. VII. in Defens. controv. Tom. II., Mansi Concil. T. XX. p. 402., Gregor. L. I. ep. 63., Florentini memor. della gran Contessa Matilde.

gem ad synodum Romanam venire jussit, ut de criminibus, quae ei objiciebantur causam diceret, nisi excommunicationis sententiam incurrere vellet. Henricus a suis fautoribus sollicitatus, quos inter erat Sigeffridus Archiepiscopus Moguntinus, anno 1076 celebrem instituit conventum Vormatiae, in quo Hugo Candidus, ob crimina a Pontifice cardinalitia dignitate privatus, literas a se confictas obtulit, quibus Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Senatus et Populus Romanus a Rege alium petebant Pontificem, variaque crimina Gregorio affingebant. In hoc conciliabulo exauctorationis sententiam in Gregorium dixerunt, cui subscripsere etiam Clerici Simoniaci et concubinarii Longobardiae in alio conventiculo eodem anno Papiae habito. Henricus sententiam exauctorationis misit Romam per Rolandum Clericum, et scriptis litteris Clerum ac populum Romanum instigare conatus est, ut Gregorium Pontificatu dejicerent. Papa nil permotus atrocitate nuncii, postera die, cum Clerus et populus ad synodum frequens confluxisset, literas palam recitari jussit, atque cunctis, qui convenerant, Episcopis acclamantibus, Henricum Regem anathematis vinculis alligavit, regni Germaniae et Italiae gubernacula contradixit, et subditos vinculo juratae fidei absolvit. Audita Henrici excommunicatione, plures ejus fautores, praeunte Sigeffrido Archiepiscopo Moguntino, Henrici partes deseruere, satius judicantes Regem, quam Deum offendere. Anno 1076 Guelfus I Bavariae, Rudolphus Sueviae, Bertholdus Carintiae Duces, aliique Principes Villacum frequentes convenerunt, ut funestis Germaniae turbis tandem aliquando finem facerent. Aderant quoque Legati Romani Pontificis Sigehardus Patriarcha Aquilejensis, et Adelmanus Pataviensis Episcopus. Hic cum septiduum deliberando consumpsissent, plurimaque Regis facta violenta in lucem protraxissent, quod videlicet florentissimas familias pessumdedisset, in subditos proprios arma convertisset, arcesque pene inexpugnabiles extruxisset ad eos penitus subjugandos, afflictis nullum apud se praesidium reliquisset, omniaque vergerent ad patriae exitium, alium Regem in ejus locum surrogare constituerunt. Haec dum gererentur, Oppenhemii supra Villacum se castris tenebat Henricus, missis identidem ad comitia legatis, qui ejus nomine omnia pollicerentur, nullo tamen secuto eventu. Rebus in summo discrimine utrinque positis, Principes Sueviae et Saxoniae, ut bellum evitarent, consentiente Henrico, rem integram Pontifici in comitiis Augustanis 2 Februarii a. 1077 celebrandis cognoscendam commiserunt, Regemque eo adduxerunt, ut promitteret, nihil circa publica negotia se dispositurum, nullaque regiae dignitatis insignia adhibitu-

rum, ni quam primum Pontifici reconciliatus, et ecclesiae susceptus denuo fuerit: interea tamen Episcopos et aulicos excommunicatos quantocyus a contubernio suo se amoturum, vitamque privatam Spirae acturum (a).

§. 3. *Henricus absolvitur ab excommunicatione et redit ad comitum.*

Henricus Spirae non diu mansit, sed media hyeme, per juga montium, glacie et nivibus contecta, cum uxore et filio parvulo in Italiam profectus est, absolutionem Pontificiam petiturus. Cum Canusium pervenisset, Mathildis comitissae castrum munitissimum in Apulia in quo Gregorius securitatis causa se incluserat, diu restitit Papa, ipsum Augustanis comitiis adesse jubens, sed evictus tandem precibus permisit, ut veniam postulaturus se sisteret. Is ergo venit, ut jussus fuerat, foris derelicto omni comitatu suo, deposito cultu regio, nudis pedibus, aperto capite, jejunus usque ad vesperam in quartum usque diem, supplicans Pontificis gratiam, tandem aegerrime admissus in illius conspectum, hisque postremo conditionibus excommunicatione absolutus, ut ad Augustanum conventum praesto esset, et accusationibus responderet, ipso Papa causam agnoscente: usque ad eam autem diem nulla regiae dignitatis insignia adhiberet, nullamque reipublicae administrandae partem attingeret. Absoluto Henrico, Papa Missarum solemnia celebravit, et sub tempus communionis, divisa hostia sancta, partem ejus prehendit, Deum precatus, ut subita morte ipse periret, si quid in se culpae esset. Partem alteram porrexit Regi dicens: « Fac ergo Fili, si placet, quod facere vidisti, si te innocentem nosti. » Quod tamen ille renuit. Expleto sacro ministerio, Regem convivio excepit, et ad suos diligenter commonitum dimisit. Vix Gregorius Henricum Regem anathemate absolutum dimiserat, cum Longobardiae Antistites et Proceres Regem ignaviae accusatum, Regno indignum proclamarent, jamque de filio ejus Conrado, regni negotiis licet immaturo, in ejus locum substituendo serio cogitarent. Territus Rex insolita rerum facie, initum cum Pontifice foedus abrupit, pravos consiliarios dudum excommunicatos revocavit, et Gregorio, veluti omnium malorum auctori, palam detrahere coepit. Interea confoede-

(a) Adam. Bremens. hist. eccl. L.III.p.104., Lanbert. Shafnab.a.1076., Bruno Hist. bell. Sax. p.197., Concil. Vormat. in Mansi T. XX. p.463., Concil. Rom. III. in Mansi l. c. p. 465., Annal. Sax., Muratori Hist. Ital. a. 1076. 1077.

rati Germaniae Principes, rebus Imperii provisuri, Romanum Pontificem ad conventum Forchaimi in Franconia die 15 Martii a. 1077 celebrandum invitarunt, obstinatis mentibus, ad submovendum a regni administratione Henricum, aliumque in ejus locum substituendum. Papa simul Regem per legatos convenit, ut fidei juratae memor indictis comitiis se sisteret et crimina impacta dilueret. Is vero Italia excedere nolens, omnes, per quos Pontifici transitus patere potuisset, itineris angustias praeoccupavit, ita ut impedito, quod animo constituerat, itinere, tantum legatos illuc miserit, qui ejus vices agerent. Quum stato die Principes ad comitia convenissent, summo consensu Rudolphum, Sueviae Ducem, in Regem elegerunt, sub hac conditione, ut Episcopatus non pro pretio, nec amicitia daret, sed cuilibet Ecclesiae liberam suorum electionem permitteret. Gregorius hanc electionem non probavit, sed per litteras mandavit, ut Concilio coacto, ambo reges audirentur, eorumque causa secundum justitiae leges discuteretur. Hanc vero discussionem, quamdiu pendebat adhuc belli, quo se invicem petierunt, fortuna, de mense in mensem procrastinabat. Quum demum Henricus in fatali praelio anno 1080 ad Fladenheimum commisso, retrocedere coactus fuisset, Gregorius in concilio Romano, quod eodem anno coiverat, Henricum Regem, adversus quem legati Rudolphi, ac Principum Germaniae novas quaerimonias protulerant, anathemate denuo percussit, regiaque dignitate exuit, Rudolphum vero ceu legitimum Regem agnovit. Novo hoc fulmine percussus Henricus ita excanduit, ut in conciliabulis Ultrajecti et Moguntiae habitis, Gregorium VII atrocissimis calumniis proscissum, a Papatu deponendum decerneret, et brevi post in conciliabulo Brixiensi ejus obedientiam ejuraret, ac Guibertum Ravennatem Archiepiscopum Pontificem coronari juberet a. 1080 qui Clemens III dictus est. Imo vero, quum Rudolphus infeliciter ad fluvium Elystrum dimicans occubuisset, nihil jam obstabat Henrico, quominus animi sui propositum, opprimendi Papam in Italia, exequeretur. Anno igitur 1081 cum numeroso exercitu Romam usque movens, urbem hanc hostili obsidione cinxit; verum a Pontificis et Mathildis comitissae copiis repulsus, totam circumquaque regionem vastavit, et in Lombardiam rediit. Interim Germani, qui diversarum erant partium, desinente a. 1081, alterum Henrico aemulum objecerunt Henricum Luxemburgicum, qui ad annum 1088 Regis arma exercuit. Anno 1083 Henricus Romam armato milite denuo includens, Leonianam urbem expugnavit, et Basilica S. Petri occupata, pacem Gregorio VII obtulit, irrito tamen conatu. Cum tandem a. 1084

ante Pentecosten veterem Romam expugnasset, et Clementem III in Basilicae Vaticanae possessionem misisset, Papa in Castellum S. Angeli se recepit, et inconcussa animi constantia in eo perstitit, ut Rex Deo, Ecclesiae et Pontifici satisfaceret. Deinde Henricus ab Antipapa Guiberto imperator coronatus, tradita Romanis Castelli obsidione cum exercitu Roma egressus est. Certior factus Robertus Guiscardus, Normannorum Dux, cui Pontifex Apuliam feudi instar dederat, illico ad Gregorii liberationem advolavit, eumque ex castello eductum, Cassinum, et inde Salernum duxit, arcem satis munitam ubi anno 1085 vitam suam clausit. Refert Paulus Beruriodensis, ultima ejus verba haec fuisse: *Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio* (a).

§. 4. *Crisis in gesta S. Gregorii VII.*

Nigerrimis coloribus hunc Pontificem depingunt scriptores Acatholici, et etiam quidam personati Catholici. Plerique tamen Catholici, et quidam Protestantes moderatiores, puta Fr. Grabs, G. J. Plank, Joan. Müller, Joan. Voigt, circumspectius et clementius de Pontificis hujus consiliis et gestis judicant. Nos id unice notamus, ut omni historia, ac proinde etiam in S. Gregorii conscribenda vita duo in primis ponderanda esse, 1 in quolibet homine peculiarem esse actionum suarum normam; 2 cujuslibet hominis indolem et pretium non ex nostri aevi, sed illius, quo vixit, saeculi definiendam esse. Certe S. Gregorius vir erat eximii ingenii, fortis, sibi constans, mundi delicias contemnens, impavidus, vitae scopum, quem sibi praefigebat, fervide prosequens. Tantum virum humili suspicione maculare, et homuncionem dicere, nefas est. S. Gregorius praeterea saeculo XI vixit, quo Christianorum in Occidente conditio tristissima, Ecclesia duro servitutis jugo oppressa, Religio divina paucis cognita erat. Fideles non pascebantur, sicut olim, per probatissimos et dignissimos viros, sed quicumque vel humili adulatione, vel pecunia, vel aliis dolosis artibus procerum sibi conciliarunt animos mitrae honore ornati, otio, ambitioni, luxuriae se dabant. Clerici inferiores Superiorum vestigia sequebantur. Simonia et fornicatio tanquam furiae in vinea Domini debacchabantur. Ad haec extirpanda vitia, quidquid sagacitatis et vigoris in Hildebrando fuit, provocatum est. His adde sinceram et co-

(a) Greg. l. 4.ep. 12., Lambert. an. 1077., Bruno p. 208., Muratori l.c., Sigebert. Gamblac. a. 107., Harduin. Conc. T. IV. P. I. p. 1591., Otho Frising. lib. 1. c. 1., Leo. Ost. ec.

stantem saeculi illius persuasionem ➶ esse Pontificem tanquam Dei hisce in terris Vicarium, omnium rerum terrenarum arbitrum. Quum igitur Gregorius Henricum Regem, jure investiturarum in Ecclesiae detrimentum abutentem, regno exuit, egit nullo pravo animi affectu compulsus, sed optima fide aevique sui principiis, quae firmissime credebat, presso pede insistens, et intime persuasus, suam agendi rationem apud Deum esse meritoriam.

§. 5. *Dissidia de investituris continuata.*

S. Gregorio VII a. 1086 in Pontificatu successit Victor III, antea Desiderius Abbas Cassinensis, vir natura placidus et timidus, qui ab Antipapa Clemente III multifariam vexatus Beneventum secessit, indictaque ibidem Synodo, decreta Gregorii VII contra investituras renovavit. Hujus successor Urbanus II, prius Otho Cardinalis Episcopus Ostiensis, electus a. 1088, in variis conciliis non solum Guibertum Antipapam, ejusque fautores excommunicavit, sed etiam Simoniacas ordinationes in irritum misit, ac Principibus Episcopatuum et Abbatiarum investituras vetuit. Post Urbani II obitum a. 1099 ad papalem dignitatem evectus fuit Paschalis II, qui impavidus stetit contra tres Antipapas, nimirum Albertum, Theodoricum, Maginulpbum, quos Henricus IV mortuo a. 1100 Guiberto subtruserat. Henricus IV, cum imparem se videret ad resistendum Principibus Germaniae, quibuscum contra Patrem foedus inierant Conradus et Henricus ejus filii, in comitiis Moguntiae a. 1106 celebratis, suadentibus proceribus et Episcopis, coram Papae legatis regnum filio suo Henrico cessit. Verum paulo post poenitentia ductus effecit, ut Conventus Aquisgrani congregaretur; ast ante celebrationem Henricus IV Leodii infirmatus obiit a. 1106 aetatis 55. Ejus corpus Spiram delatum extra locum sacrum fuit sepultum. Post quinque annos ejus filius Henricus V a Paschale II obtinuit, ut sepultura ecclesiastica donaretur. Anno 1110 Henricus V cum valido 30000 militum exercitu in Italiam profectus, praeter jus investiturarum, quas Paschalis in Synodis Guastallensi (1106) ac Trecensi (1107) damnaverat, hoc etiam constanter ursit, ut coronam imperii a Pontifice impetraret. Regis adventu exterritus Papa, Petrum Leonis, aliosque viros prudentes misit, qui cum illius oratoribus paciscerentur. Hae autem erant pacti hujus conditiones, ut Henricus remitteret investituras, Episcopi vero et Abbates Germaniae resignarent illi omnia bona, feuda et dominia quae in imperio possiderent. Sub hisce conditionibus Henri-

cus ingressus est Urbem; at mente subito mutata Pontificem captivum cum quibusdam Cardinalibus, sub militari custodia detinuit, pluresque ex honoratioribus et plebe, qui obviam ipsi processerant, spoliari, vinciri, coedi jussit. Quo factum, ut Romani in furorem versi, milites Germanos, quotquot in urbe occurrebant, trucidarint, ipso etiam Henrico vulnerato et fugato. Henricus mortem suis captivis minitans a Papa extorsit, ut jus investiturarum per virgam et annulum ipsi concederet, eumque in Basilica S. Petri imperatorem coronaret. Ast Cardinales et Episcopi complures, facto secessu, non dubitarunt Paschalis acta reprehendere, asserentes eum debuisse mortem praeferre. Videns Pontifex nobilissima Ecclesiae membra in se commota, convocato a. 1112 Romae concilio, ipse coram omnibus se accusavit, rei personam induens ac deposita ex capite mitra, seque Pontificatu indignum fassus, Synodo potestatem detulit, acta tam odiosa judicandi, et abolendi. Tum Synodus, re mature ponderata, et auditis praesentium suffragiis, privilegium investiturae nec esse, nec debere dici privilegium judicavit, illudque damnavit, et irritum declaravit; quam sententiam postmodum iterabat altera Synodus Lateranensis an. 1116, addita imperatoris excommunicatione. Quo peracto, denuo Italiam introivit Henricus, et de servanda pacti fide Pontificem compellavit. Mortuo a. 1118 Paschali II successit Gelasius II, prius Monachus Cassinensis, S. R. E. Archidiaconus et Cardinalis, cui imperator Henricus V Mauritium Burdinum Episcopum Bracarensem Antipapam opposuit, Gregorium VIII dictum, Gelasius Capuae Henricum, Mauritium Burdinum ejusque fautores anathemate percussit, deinde a Principibus Italiae adjutus Romam venit; sed cum factio Henrici, cui addicta etiam erat familia Frangepaniana, eidem insidias strueret, in Galliam ad Ludovicum VI profectus est, obiitque a. 1119 in monasterio Cluniacensi. Eidem successor datus est Calixtus II prius Guido Archiepiscopus Viennensis in Gallia, propinquus regibus Galliae, Angliae ac ipsi imperatori Henrico. Anno 1120 Romam venit, summa omnium laetitia susceptus, Burdinus Sutrium se recepit, sed a civibus traditus fuit Romanis civitatem obsidione cingentibus, qui eum Camelo impositum, pelle cervecina contectum, facie ad caudam, quam froeni instar tenebat, versa, Romam deduxerunt. Pontifex eum relegavit ad monasterium Cavense, ubi in sua perversitate obiit. Sub hoc Pontifice demum, post varios utriusque partis conatus, acerrimasque contentiones concordia redintegrata est in comitiis a. 1122 Vormatia habitis. Nimirum Henricus, cum se paullatim a suis destitui cerneret, paternae calamitatis exemplo

deterritus, liberam in omnibus Ecclesiis electionem et consecrationem, omnem etiam per annulum et baculum investituram Deo, ejusque Apostolis Petro et Paulo concessit; tantum ut consecratus intra sex menses regalia per sceptrum a Rege acciperet, electionesque Episcoporum et Abbatum Teutonici regni, praesente rege, vel ejus commissario, absque simonia et aliqua violentia fierent, et si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani et Provincialium consilio ancipitem electionem Rex decideret, saniorique parti pondus adjiceret. Possessiones vero Ecclesiarum et omnium, qui pro Ecclesia laboraverunt, quod attinet, se eas redditurum promisit, opemque ac praesidium Ecclesiae Romanae spopondit. Celeberrima haec pacta scripto tradita, et mutuis firmata subscriptionibus, paulo post in conventu Bambergensi summo Principum consensu et applausu recepta fuit. Haec conventio dicta est *Transactio Calixtina* (*a*).

§. 6. *Concilium Lateranense I Generale IX.*

Nihil sane jucundius Calixto II Pontifici, nihil Ecclesiae Catholicae salubrius accidere potuit, quam ut extincto diuturno schismate, sedatisque bellis, tandem pacis foedere animi sociarentur, et Imperatores ad Ecclesiae unitatem redirent. Ut igitur tanti momenti negotium consumaretur, Calixtus II a. 1123 nonum inter oecumenica concilium Roma in Lateranensi Basilica indixit, ex quo illi inditum Lateranensi I nomen. Astiterunt illi 300 Episcopi, praesidente Calixto Pontifice. Praecipua, cur cogeretur, causa fuit, ut pacta in conventu Vormatiensi inter imperium et Ecclesiam Romanam de investituris concordata, non solum totius Synodi judicio confirmarentur, sed etiam per Imperatoris legatos coram Patribus ratihaberentur, sicque pax optatissima Regnum inter et Sacerdotium coalesceret. Hoc eodem Concilio porro provisum est de ferendis suppetiis Ecclesiis Orientis, et Hispaniarum adversus Mauros, et renovatae indulgentiae ab Urbano II quondam concessae crucesignatis, ac omnibus, qui aliquid ad sacram militiam contulerint. Demum complures canones conditi sunt, quibus condemnarunt simoniam et concubinatum Clericorum; vetuerunt sub anathematis poena oblationes Ecclesiis factas auferre, possessiones ecclesiasticas dispensare vel donare, excommunicarunt falsam monetam cudentes, et eos qui molestarent visitantes loca sacra etc. (*b*).

(*a*) Mabill. Act. SS., Otho Frising. Chron. l. 7. c. 8. (*b*) Mabill. Act. SS., Mansi T. XX. p. 891., Pandulphus Pisan. in vita Paschal., Baluzius in vita Maurit., Burd. in Missell. l. 3. p. 471., Mansi T. XXI. p. 49., Segerius Abbas., S. Dion. in vita Ludov. Crassi.

§. 6. *Schisma Anacleti II.*

Calixtus II fatis concessit a. 1124, et in ejus locum, potentia Roberti Frangepanis, intrusus fuit Honorius II, prius Lambertus Episcopus Ostiensis, in quem post voluntariam cessionem Theobaldi legitime electi omnes Cardinales consensum suum dederunt. Mortuo a. 1130 Honorio II a majori parte Cardinalium electus est Gregorius Cardinalis S. Angeli, Innocentius II dictus; at Cardinales absentes, Romam reversi, hanc electionem absque suo consensu factam rejecerunt, et apposuerunt Petrum Leonis Cardinalem, qui se Anacletum II nominavit, cui fere tota Roma pecuniis obstricta erat. Devinxit sibi quoque Siciliam, cujus ducem Rogerium titulo regio decoravit. Innocentius, ut securitati suae prospiceret, in Galliam ad Ludovicum VI profectus est, ubi Episcoporum conventum egit ad comprobandam suam electionem, circa quam nonnulli Galli dubitabant. Dein cum S. Bernardo in Germaniam venit ad Lotarium II Henrici V successorem, qui Pontificem a. 1133 Romam deduxit, ipse vero a Papa Imperator fuit coronatus. Anacletus ad Castrum S. Angeli se recepit, ubi mortuus est. Illius factio adhuc Victorem IV substituit, ast suasu S. Bernardi Innocentio se subjecit.

§. 7. *Concilium Lateranense II Generale X.*

Extincto schismate, Innocentius II a. 1139 celebravit Concilium Lateranense II inter oecumenica X, ad quod convenerunt circiter 1000 Episcopi. Haec synodus acta Petri Leonis rescidit, omnesque ordinationes ab ipso factas in irritum misit, Petrobusianos et Arnaldistas ceu haereticos condemnavit, novosque canones ad restaurandam disciplinam ecclesiasticam edidit, Canones disciplinares damnant simoniam et Clericorum concubinatum; probibent monachis et canonicis regularibus medicinam exercere, et causas in foro civili agere; vetant laicis Ecclesiarum decimas possidere, statuunt ut Tregua a Mercurii suprema die usque ad diluculum diei Lunae sub poena excommunicationis custodiatur; interdicunt digladiationes sub poena privationis sepulturae ecclesiasticae; excommunicant incendiarios, cavent ut Ecclesiae cathedrales ultra tres menses non vacent *(a)*.

(a) Otho Frising. l. 7., Conradus Hursperg. ad an. 1139.

§. 8. *Dissidia inter Fridericum I, et RR. Pontifices saeculo XII.*

A dimidio saeculi XII omnis imperatorum cura et sollicitudo eo tendebat, ut Romani Pontificis auctoritas angustiores intra limites coerceretur. Eorum certe nullus majori virium contentione, animique constantia in id incubuit, quam Fridericus I. (Barbarossa), Princeps quidem litteris bene instructus, fortis et magnanimus sed ad superbiam et vindictam proclivis. Prima vero Friderici cura haec erat, ut antiqua jura regia in Italiam a Conrado III praedecessore penitus neglecta recuperaret. Quum enim pleraeque ampliores Italiae urbes, in primis Mediolanensis excusso Germanorum jugo, totidem constituissent respublicas, majoresque imperii vassalli consueta Imperatori servitia detrectarent, Fridericus, superatis a. 1154 Alpibus in Italiam profectus, veterem rerum ordinem revocare statuit, in celeberrimis comitiis Roncaliensibus. Verum Mediolanensibus reluctantibus, Fridericus ad bellum nondum paratus, urbem hanc proscripsit, indeque Papiam progressus, regni Italiae coronam accepit. Quo peracto, cum exercitu suo Romam versus movens, tristem mox Hadriani IV Papae diffidentiam est expertus. Cognito quippe Friderici regis adventu, Papa de consiliis ejus incertus, derelicta protinus urbe, in arcem vicinam securitatis causa secessit, missisque Legatis, veram ejus mentem exploravit. Cum Fridericus optatam Pontifici et Ecclesiae Romanae Cardinalibus opem spopondisset, Arnaldum Brixiensem turbarum incentorem, aliosque perduelles Romanos magna ipsorum clade compressisset, Papa animum suum ita jam erexit, ut obviam illi procederet Sutrium usque. Fridericus imperii corona redimitus est anno 1155.

Post peractam coronationem Hadrianum inter et Fridericum grave ortum est dissidium. Cum enim Eskylum Lundensem Episcopum ab Apostolorum liminibus redeuntem, Friderici milites in Lotharingia spoliassent, vexassent, et etiamnum captivum detinerent, ut majorem ab ipso pecuniae summam emungerent, Hadrianus IV, missis per Legatos literis, ipsum circa tanti sceleris ultionem indormientem, ad sceleratos praedones plectendos, et Episcopum in libertatem asserendum excitare est conatus. Heae autem literae gravi dissidio occasionem praebuerunt, propter verba quaedam ambigua, quibus Pontifex Imperatori in memoriam revocabat, quam gratanter S. Romana Ecclesia insigne coronae beneficium ipsi contulerit. Quibus perlectis Fridericus toto excanduit animo, haec videlicet verba eo accipiens sensu, ac si imperium Pontifici ipsi

deberet, illudque ceu feudum a Romana Ecclesia teneret. Remissis Legatis, imperator literas encyclicas ad omnes subditos scripsit, quibus supremam, et a quovis, Deo inferiore, independentem imperatoris potestatem asserebat. Ad demulcendum igitur Friderici animum, Hadrianus missis ad illum literis significabat, se beneficii vocabulum pro *benevola actione* accepisse, quod nempe coronando imperatorem adeo praeclaris dotibus instructum, bene egisset. His demum pacatus Fridericus, pacem et amicitiam Hadriano Pontifici reddidit.

Anno 1158 Imperator altera vice in Italiam profectus, Mediolanum obsidione cinxit, et ad deditionem compulit. Deinde quatuor Jurisconsultos scholae Bononiensis ad comitia Roncalensia venire jussit, ut cum praefectis Urbium Lombardicarum majestatica Imperatoris jura discuterent, per eosque hanc juris publici regulam stabiliendam curavit: Imperatorem esse Orbis Dominum. Quapropter nova ipsum inter et Hadrianum Pontificem lis orta est, aegre dirempta morte Pontificis, qui fatis cessit anno 1159. Sed brevis fuit de pace Regnum inter et Sacerdotium laetitia: quoniam novi mox sparsa fuere semina dissidii.

Mortuo siquidem Hadriano, cum alii Cardinales instigante Vilhelmo Siculo, Rolandum E. R. Cardinalem et Cancellarium, Imperatori ob legationem sub Hadriano susceptam invisum, sub Alexandri III nomine, alii tres Octavianum Cardinalem, qui Victorem IV se nominavit, Papam elegissent, Fridericus Imperator, ut Victor IV ceu legitimus Papa agnosceretur, anno 1160 conventum 50 Episcoporum Papiae celebrandum indixit citatis etiam ad hoc tribunal competentibus. Victor comparuit, non item Alexander. Auditis Episcoporum sententiis et relationibus, denique studium placendi Imperatori effecit, ut Victor Pontifex proclamaretur, Alexander ejusque fautores diris devoverentur. Tantae tamen auctoritatis non erat conventus Papiensis, ut Ludovicum VII Galliae, Henricum II Angliae et Vilhelmum Siciliae Reges, Patriarcham Hierosolymorum atque aliis ad partes Victoris amplectendas adducere potuisset: imo Alexander III nihil de jure suo decedens, Fridericum Imperatorem frustra aliquoties admonitum anathemate ferivit, majorisque securitatis causa in Galliam ad Ludovicum VII se recepit an. 1161. Imperator ira incensus an. 1162 urbem Mediolanensem Alexandri III partibus addictam solo aequavit. Mortuo anno 1164 Victori subrogatus fuit Paschalis III, antea Guido Cremensis Episcopus, ejusque intrusio in conciliabulo Herbipolitano ab imperatore et 40 Episcopis confirmata. Verum opinione citius Friderici in Italia vires coeperunt languescere, ex quo civitates pleraeque Longobardiae in foedus coierant,

et Alexander III Papa a. 1165 Romam reversus, cum Vilhelmo Siciliae rege, socias manus junxerat. Anno igitur 1166 Fridericus in Italiam formidabilem duxit exercitum, Romam arcta obsidione cinxit, hacque demum Urbe potitus, Paschalem III in sede B. Petri locavit. Sed qui terrorem, incendia et vastitatem circumtulerat, grassante in exercitu ejus pestilentia et majori suorum parte amissa, vix incolumis in Germaniam evasit. Tot malorum auctorem, omnesque fautores ejus, Alexander III anathemate confixit, illumque regno et imperio privavit. Non ita diu post Mediolaneuses Urbem suam magna diligentia instaurarunt: Alexandriam etiam novam civitatem, sic a nomine Pontificis dictam, Cremonenses, Insubres et Placentini aedificarunt, ut esset adversus Friderici fautores in Longobardia propugnaculum. Mortuo anno 1170 Paschali III, ab Imperatoris factione substitutus fuit Joannes Strumensis Abbas, qui Calixti III nomen assumpsit, sicque schismati funesto novum additum fomentum. Ipse vero Fridericus, altera in Italiam tentata expeditione, acie cum Mediolanensibus ad Lignanum congressus, amissis, ut ferunt, armatorum viginti quinque millibus, in fugam actus ad Papiam se recepit, rebusque suis desperatis, assumpto famuli habitu, noctu abscessit, et vix sospes Alemaniam repetiit. Tot igitur fractus cladibus, et populis omni ex parte rebellantibus, ad pacem et Alexandri obedientiam animum adjecit. Et revera Alexandri cum Friderico reconciliatio a. 1177 ad effectum perducta est Venetiis. Quum prior venisset Pontifex laetissimo exceptus populi plausu, missa 24 Julii ad Imperatorem, qui pridie advenerat, honorifica legatione, eumdem excommunicationis vinculo solvit. Inde ad Ecclesiam S. Marci deductus Fridericus, pro foribus sedente Papa, insigni animi modestia, se demisit, regiaque deposita chlamide, pedes Pontificis osculatus est, qui eum vestigio manibus suis elevatum ad pacis osculum admisit. Tum progressi simul intro in Ecclesiam ita, ut Imperator Pontificis dexteram sustentaret, quum peractus fuisset hymnus gratiarum actionis, et Papa imperatori benedixisset, Veneti Ducis palatium ingressi sunt, festivum celebraturi convivium. Altera die, cum Pontifex rem divinam peregisset, et Fridericum Eucharistiae participem fecisset, pacis conditiones jurejurando ab Imperatore confirmatae sunt *(a)*.

(a) Otho Frising. de gest. Frid., et l. 2. c. 2., Radevicus de gest. Frid. l. 1. c. 8. et 9., Baronius ad an. 1160., Ughelli Ital. sacr. t. 4., Murat. Ann. Ital.

§. 9. *Concilium Lateranense III Generale XI.*

Inita Venetiis cum Friderico pace, Alexander III generale Concilium 300 Episcoporum in Lateranensi Basilica egit an. 1179, quod inter Lateranensia III, et inter Oecumenica undecimum numeratur. Ipsi praefuit Alexander III, qui tria praecipua capita Patribus congregatis proposuit, nempe: 1. de mediis vitandi deinceps discordiam in electione summi Pontificis, et de schismaticorum damnatione; 2. de damnatione Valdensium et Albigentium; 3. denique de restauratione disciplinae ecclesiasticae. Primum quod attinet, canone primo patres statuerunt, ut ille Romanus Pontifex habeatur, in quem duae partes Cardinalium conspiraverint; canone autem secundo irritas declararunt Antipaparum electiones. Secundum quod attinet discussionis punctum, Synodus canone 28 damnavit Valdenses et Albigenses, omnesque eorum fautores; Principes vero et populos catholicos ad bella contra eos concitavit, propositis indulgentiis, et poenitentiarum relaxationibus. Demum ut regnanti morum corruptelae salubris medela afferretur, eadem Synodus praecepit: 1. Ut Ecclesiae nimiis procurationum impensis non graventur: 2. Ut Episcopus, si aliquem sine certo titulo ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret donec beneficium ecclesiasticum obtinuerit; 3. Ut beneficia ecclesiastica non promittantur, antequam vacent; 4. Ut monachi non recipiantur pretio ad monasteria, nec peculium habeant; 5. Ut Clerici ad saecularia tribunalia causas non agant; 6. Ut Clericus duo vel plura beneficia non possideat; 7. Ut Laici Ecclesias gravibus exactionibus non premant; 8. Ut usurarii manifesti non admittantur ad communionem Altaris, nec ad christianam sepulturam, nec eorum oblationem quisquam accipiat. Ex toto 27 Concilii Lateranensis III canones numerantur *(a)*.

§. 10. *Dissidium S. Thomae Cantuariensis cum Henrico II Angliae rege.*

Henricus II Angliae rex more reliquorum Principum Europaeorum jus investiturae exercebat, et variis modis Ecclesiae libertatem in discrimen vocabat. Acerrimus jurium ecclesiasticorum vindex fuit Thomas Baket, Cantuariensis primum Ecclesiae Archidiaconus, postea regni cancellarius, demum agente Henrico rege, Cantuariensis Episcopus electus

(a) Mansi T. XXII.

a. 1162, qui mox regis iracundiam in se concitavit. Praecipuae causae erant, quod invito Rege Cancellarii munere se abdicaverit, quod injustam tributi probibuerit exactionem, quod pravam consuetudinem, qua rex Episcoporum electiones differri curabat, ut vacantium Ecclesiarum fructibus diutius frueretur, vehementer improbaverit, quod denique jurisdictionem criminalem in Clericos tribunali regio subducere sit conatus. Inde postmodum acerrima orta est disputatio in genere de juribus et consuetudinibus regni Angliae, quas violari et restringi nolebat Henricus. Convocatis igitur a. 1164 Claredunam omnium Ordinum Comitiis, rex interrogavit Episcopos num consuetudines regni Anglicani hactenus vigentes observare vellent, uec ne? Cumque ore Primatis sui respondissent, velle se, sed salvo honore Dei, salvoque Ordine suo, irritatus plane ex eorum conventu discessit. Tandem in secundiis comitiis, plerique Episcopi metuentes, imo ipse Thomas, etsi diu reluctatus, consenserunt. Is domum reversus, et a ministris quibusdam domesticis acerrime reprehensus, quasi fidem catholicam abnegasset, tantum inde concepit dolorem, ut seipsum a Sacrificii oblatione suspenderet, sibique severam poenitentiam imponeret, donec absolutionem peccati sui acciperet a Papa Alexandro III, qui tunc in Gallia morabatur. Quod resciens Papa, poenitenti solatia ingessit, ejusque culpam excusavit. His et aliis exarcebatus Rex, eodem adhuc anno Episcopos Northantonem convocavit, ex quorum sententia Archipraesul Thomas damnatus, omniumque bonorum mobilium ipsius confiscatio decreta est. Cum vero is a judicio supremae Curiae ad Romani Pontificis tribunal appellasset, rex illum perjurii ac perduellionis accusavit, eique licentiam denegavit, regno egrediendi. Eo tamen non obstante Thomas, mutata veste, ad regem Galliae Ludovicum VII confugit, qui ipsum benigne ac honorifice suscepit; quamvis Rex Angliae postulasset, ne ipsum in regno suo pateretur. Papa ab Angliae Regis Oratoribus interpellatus, Thomam ab alio, quam a se, minime judicandum respondit: neque justum esse, ut in Angliam mitteretur, inter inimicos judicandus. Cum interea Thomas Senonas pervenisset, causam coram Summo Pontifice peroraturus, Alexander non tantum paterno illum sinu excepit, verum etiam Ecclesiae Romanae auxilium illi promisit et in monasterio Pontiniacensi hospitium assignavit. Itaque rex Angliae furore percitus, Cantuariensis Ecclesiae et omnium Clericorum Archipraesuli adhaerentium proventus inferri jussit, et omnes ipsorum cognatos regno exturbavit, juramento prius adstrictos ut Pontiniaci degentem convenirent, suacque calamitatis spectaculo cruciarent. Anno 1170 institutum est in Gallia fami-

liare colloquium inter Henricum Regem et Archiepiscopum Cantuariensem, in praesentia multorum Procerum utriusque gentis, duorumque Sedis Apostolicae Legatorum. Rex pacem et securitatem ipsi et co-exulibus restituit, Ecclesiaeque Cantuariensis possessiones se redditurum promisit, quin tamen consuetudinum, quas ardore tam pertinaci defenderat, ulla mentio fieret. Thomas in Angliam reversus excommunicavit omnes illos Episcopos quorum aliquae partes fuerant in coronatione Henrici junioris. Episcopi excommunicati, aliique proceres persuaserunt Regi, ut serio injungeret Thomae absolutionem excommunicatorum. Illo autem prorsus abnuente, Rex absens vehementer accensus, in haec verba erupisse dicitur: tot se habere secum homines, gratia et beneficiis cumulatos, neminem tamen eorum esse, qui ipsum de uno Sacerdote, regnum suum ita perturbante, vindicaret. His regis verbis confisi, quatuor impii satellites, ipsum primo in palatio Archiepiscopali probris ac conviciis aggressi, tandem in ipsa Ecclesia Cantuariensi gladiis impetentes, flexis genibus orantem, impavidum, suamque animam Deo commendantem nefanda caede mactarunt. Divulgato mox tam horrendo facinore, Henricus acri concussus dolore per tres dies jejunabat, solitarius sedebat, nullam regendae reipublicae partem attingebat, missisque Legatis Papae significabat, revera insontem se esse a caede Thomae Cantuariensis. Papa ipsi injunxit, ut jurejurando suam innocentiam testificaretur, cruciatam expeditionem contra infideles se subiturum sponderet, Appellationes ad Sedem Apostolicam permitteret, jejuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus vacaret, habituque poenitentia prae foribus Ecclesiae veniam peteret. Ipse vero Thomas Cantuariensis ab Alexandro III Pontifice ritu solemni in Sanctorum Martyrum album est relatus idibus Martii a. 1173 (a).

§. 11. *Dissidia inter Sacerdotium et Imperium sub Coelestino III R. P.*

Alexandri III in Pontificatu successores Lucius III, mortuus 1185, Urbanus III mortuus 1187, et Gregorius VIII intra breve regiminis tempus perpetuis cum urbe Roma et Friderico I imperatore litibus erant impliciti. Aula Romana timebat, ne corona Siciliae cum imperio Germanico conjungeretur; ex quo Henricus VI, Friderici filius, Constantiam, Rogerii I

(a) Acta S. Thom. Cant. Vita S. Thomae c. 15., Matth. Par. Hist. Angl. ad an. 1163., ep. S. Thom. ad Alex. III., Gervasius in Chron. Hist. Quadrip. L. 4., Rog. Hovedens.

Siciliae Regis filiam posthumam, pacta cum Vilhelmo Siciliae Rege pace, uxorem duxerat. Gregorii VIII in Sede Apostolica successor Clemens III parum oppido gessit, quod memoratu dignum sit. Mortuus a. 1191. Majorem agendi vim exercuit Coelestinus III, eodem adhuc anno Pontifex electus. Cum enim Henricus VI Rex, motibus Germaniae compositis, Italiam adiisset a. 1191 partim, ut coronam imperii a Pontifice acciperet, partim ut sibi regni Siciliae, Apuliae, Calabriaeque possessiones post mortem Vilhelmi jure uxoris vindicaret, Coelestinus III Pontifex ab initio coronam ei imponere recusabat. Civibus autem romanis sua apud Coelestinum officia se interposituros promittentibus sub conditione, si Tusculum urbem turbulentam ipsis tradiderit, rex hanc conditionem libenter acceptavit. Ab hoc temporis momento Papa Henricum, ejusque uxorem Constantiam coronavit, cum jurium ecclesiasticorum conservationem, et patrimonii S. Petri restitutionem integram jurasset. Peracto inaugurationis ritu, Henricus Coelestino Pontifici Tusculum cessit, et Papa Civibus Romanis illud tradidit, per quos deinde imis a fundamentis dirutum est *(a)*.

Idem Coelestinus grave habuit dissidium cum Leopoldo Austriae Marchione et Henrico VI imperatore, in causa Richardi Regis Angliae. Cum nimirum Richardus, vulgo Cor-Leonis cognominatus, in suo ab expeditione Hierosolymitana reditu tempestate in Istriae oram dejectus, a Leopoldo Austriae Marchione captus, Viennae in carcerem conjectus, et postea Henrico VI traditus fuisset, qui captivum diutius anno in vinculis detinuit; Papa Coelestinus, in primis Eleonorae Reginae matris et Praesulum Normanniae precibus excitatus, Leopoldum anathemate percutit, ac imperatori ejusque ditionibus censuras ecclesiasticas etiam comminatus est, nisi Principem cruciatum quantocyus liberum dimitteret. Verum Richardus miserae captivitatis vinculis solutus non est, nisi soluto gravi argenti pondere. Cum tamen haec pactio non sine vi et coactione fuisset inita, Richardus brevi post reditum in Angliam tempore, missis Romam Legatis, injuriam sibi illatam amare questus, Sedis Apostolicæ patrocinium enixe imploravit. Cœlestinus ambos Principes ad pretii restitutionem est exhortatus, ast nihil profecit *(b)*.

Idem Pontifex etiam rem habuit cum Philippo Augusto Galliae Rege in causa divortii. Cum enim Philippus post obitum Isabellae, Ingeburgem Canuti Danorum Regis sororem matrimonio sibi copulasset, eam formosam licet, omnique culpa

(a) Ann. Angl. ad a. 1191., Baronius ad an. 1186. (b) Matth. Paris l. c., Petrus Bless.

carentem, mox tamen ita fastidiebat, ut de matrimonii bujus solutione serio cogitaret. Is igitur Episcoporum, Procerumque regni sui, praeside Archiepiscopo Rhemensi, Compendii congregatorum suffragia hac de re exquisivit. Consanguinitate quorumdam testimoniis probata, conventus praeeunte Archiepiscopo Rhemensi, simulque Sedis Apostolicae Legato, divortium decrevit, Ingeburge licet repugnante. Cum vero Canutus Daniae Rex de injuria sorori illata apud Coelestinum III graviter expostulasset, Papa legatos in Galliam misit, qui causam cognoscerent ac judicarent. Illi Concilium Parisiis ad causae bujus examen celebravere, quod vero, obstante Regis praepotentia omni prorsus fructu caruit. Quod iniquo admodum animo ferens Pontifex, scriptis ad Michaelem Senonensem Archiepiscopum literis, non solum amare coquestus est, sed etiam Concilii sententiam rescidit. Nibilominus tamen Rex eodem adhuc anno Mariam Agnetem, Ducis Moravorum filiam duxit, Ingeburge repudiata Pontificis tutelam implorante, qui autem senis et viribus fractus, causam hanc non amplius urgebat (a).

§. 12. *Innocentius III.*

Coelestini III in Pontificatu successor fuit Innocentius III, antea Lotharius, Comitis Signiae filius, vir magni animi, vivo Religionis zelo accensus, liberalibus, sacrisque studiis insigniter excultus, acerrimus jurium et bonorum Ecclesiae Romanae vindex, qui Marchiam integram, Ducatum Spoletanum, Comitatum Assisii, Montem Bellum, aliasque civitates et arces, a Patrimonio S. Petri avulsas recuperavit, salubres leges contra venalitatem suorum officialium tulit, variasque causas propria auctoritate cognovit, atque diremit. In causa repudii ipse Idemburgi favit adversus Philippum Augustum, Galliae regem, scriptis pluribus literis, ut eum ad officium revocaret. Ast Rege cedere nescio, Papa ad ulteriora progressus, Cardinalem Legatum in Galliam misit, qui coacto Viennae Allobrogum Archiepiscoporum conventu, totam Regis ditionem interdicto subjecit. Tum lugubri ictu perculsus Rex tandem resipuit, Ingeburgem thoro, ac trono restituens. Tum demum Innocentius III regnum Galliae interdicti vinculis solvit.

Idem Pontifex Alphonso Regi Legionensi, qui filiam Alphonsi Castellae regis, non obstante canonico impedimento, thalami sociam delegerat, non solum matrimonii usum prohibuit, sed reluctante rege, etiam subditos illius interdicto

(a) Giannone Stor. civil. di Napoli T. II. L. XIV. p. 312., Matth. Paris. p. 144., Gulielmus Neubrigensis L. IV. c. 26.

subjecit, Leoni Armenorum Regi coronam ac vexillum sancti Petri misit. Bulgaros ad Romanae Ecclesiae obedientiam revocavit, missa ad Joannitium eorumdem Regem Legatione. Alphonsum IX Castellae Regem bellum adversus Saracenos meditantem ad sua cogitata perficienda excitavit, simulque Hispaniae Episcopis praecepit, ut censuras distringerent in illos Reges, qui initam violarent pacem, quam diu rex bello Saracenico esset occupatus *(a)*.

§. 13. *Simultas Innocentii III cum Joanne Angliae Rege, sine terra nuncupato.*

Cum mortuo a. 1205 Humberto Archiepiscopo Cantuariensis Cathedra viduaretur, monachi elegerunt Renaldum, unum de suis Archiepiscopum, eumque impetrandae confirmationis causa Romam miserunt, ea tamen conditione, ne itineris sui causam cuiquam panderet. Is vero Angliae regno vix egressus rem totam divulgavit. Quam viri levitatem monachi Cantuarienses adeo moleste tulerunt, ut alium, quem ipse Rex expetierat, Joannem Greci, Vigorniensem hucusque Episcopum eligerent, unde gravissimae ortae sunt dissensiones. Cum enim alii ex ipsis etiam monachis Renaldo, alii Joanni suffragarentur, Innocentius III Papa utrumque rejecit, et 15 monachos, communi ceterorum suffragio delectos Romam venire jussit, qui ipso praesente digniorem eligerent. Electus autem fuit hac occasione Stephanus de Langthon, gente quidem Anglus, ast Lutetiae Parisiorum educatus, et ob idipsum Regi valde invisus, quem Papa Romae Archiepiscopum consecravit. His non parum exacerbatus Rex, datis ad Innocentium literis querelarum plenis inter alia significavit: Langthoni electionem se numquam ratihabiturum, nec juri renuntiaturum, quod Reges a multis retro annis exercuissent; monachos insuper ex illo monasterio dispulit, redactisque ad fiscum eorum bonis, in exilium misit. Quae cum ita essent, Papa Londinensi, Eliensi ac Vigorniensi Episcopis in mandatis dedit, ut Regem saniorem ad mentem revocarent, et si obsequi monitis nollet, censuras ecclesiasticas adhiberent. Minis ejusmodi eo magis accensus Rex significavit: si Angliae regno sacra interdicerent, omnes Episcopos et Clericos se expulsurum, atque Romanos, quoquot in regno morarentur, mutilaturum naso et oculis. Episcopi nihilominus impetrata perfecerunt, regnum Angliae interdicto subjicientes, seque ipsos extra regnum Regis ira subduxerunt. Biennio

(a) Platina de vitis PP. p. 475., Franz. Pagius Brev. RR. PP. T. III. p. 161 L. II. ep. 78., ep. 266. L. XIV ep. 3. 4. 5., Daniel. Hist. Franc. P. IV. p. 96.

post, cum res necdum esset composita, iisdem Episcopis provincia demandata, Regem nominatim excommunicandi, si de sententia sua intra trimestre non desisteret, quod etiam diligentissime exequebantur. Exestuante sic Regis iracundia, plurimisque ab eo admissis factis violentis, Pontifex Joannem e regia dignitate amovendum pronunciavit, et Philippo Augusto Regi Christianissimo negotium dedit, armis ut ipsum domaret, et Angliae regnum sibi subjiceret. Regni jacturam veritus Rex fasces deniqne submisit, ac teste Deo spopondit : Summo Pontifici in omnibus se subsecnturum, Stephanum Longthonem recepturum, omnes Episcopos, Clericos et Monachos ab exilio revocaturum, iisque indemnitatem praestiturum, Angliam demnm , ac Hiberniam cum consensu Bororum regni in feudum Pontifici daturum, et in subjectionis Vasalliticae signum , praeter consuetum S. Petri obulum, 1000 argenti marcas quotannis soluturum. Qua Regis demissione Angliae Proceres offensi, anno 1215 fundamentalem legem Magnae Chartae titulo notissimam ab illo extorserunt , quae nostris adhuc temporibus praecipuum columen est libertatis Anglicanae *(a)*.

§. 14. *Dissidium ejusdem Pontificis cum Othone IV Imperatore.*

Mortuo anno 1197 Henrico VI, cum Erfordii a majori Principum parte primus in Regem electus fuisset Philippus Sueviae Dux , Henrici VI frater, ab aliis Otho IV , Henrici Leonis Saxonia Ducis filius, Papa ab utroque rivali interpellatns, in Othonis partes facile propendebat, discussisque candidatorum meritis, Othoni regnum Romanorum confirmabat. Armis deinde jura sua defendebant , nunc in hanc, nunc in illam partem inclinante victoria, donec Sedis Romanae Legati inducias inter utrumque conciliarunt an. 1207. Quum vero Philippus anno sequenti ab Othone Villelsbachensi Comite Palatino nefaria proditione Bambergae occisus fuisset, Otho solus rerum summa potitus , jurisjurandi religione Ecclesiae jura confirmabat, inter alia pollicitus: 1. in omnibus se Apostolicae sedi obedientiam, honorem et reverentiam praestiturum. 2. Liberam et canonicam Episcoporum per capitula electionem tuiturum. 3. Appellationes ad sedem Romanam in causis Ecclesiam attinentibus haud impediturum; 4. omnem negotiorum ecclesiasticornm curam Ecclesiarum Pastoribus relicturum ; 5. reditus vacantium ecclesiarum, bonaque defunctorum Praelatorum non sacrilege sibi vindicaturum; 6. Sedi Romanae iu

(a) Matth. Paris. p. 198., Warton Ang. Sacr. t. I. p. 144., Cavens hist. litt. t. II. p. 231., L. X. epist. 462., Matth. Paris ad ann. 1212.

extirpandis haeresibus omni sua auctoritate adfuturum. 7. Ditiones, quas Innocentius recuperaverat, non repetiturum, potissimum autem bona a Mathilde Comitissa Ecclesiae Romanae testamento legata. Haec et alia cum solemni jurejurando spopondisset, ab Innocentio III an. 1209 Romae coronatus est. Haec tamen pax Othonem inter et Innocentium inita brevissimi temporis erat. Cum enim Otho datae fidei immemor, Romanae Ecclesiae jura ditionemque invasisset, a Pontifice excommunicatus est, ejusque subditi obedientiae vinculo soluti sunt an. 1210. Eo classico excitati Principes Fridericum Henrici VI filium, a summo Pontifice et a Philippo Galliae rege adjutum, Regem eligunt. Quo cognito Otho ex Italia, ubi res magnas gerebat a. 1211 redit in Germaniam, quam sequenti anno secutus Fridericus apud Moguntiam coronatur. Inde bellis ardere coepit Germania, sed fractis an. 1214 ad Bovinas Othonis viribus, praevaluit Fridericus. Otho in terras suas Brunsvicenses se recipiens obiit an. 1218 *(a)*.

§. 15. *Concilium Lateranense IV Generale XII.*

Cum Latini Constantinopolim subegissent, et faciliorem aditum ad transmittendum in Asiam aperuissent Innocentius III ad propagandam in ulteriora Orientis fidem an. 1215 Concilium Lateranense IV, Generale XII convocavit, cui adstiterunt Episcopi 412, et in his Patriarcha Constantinopolitanus, et Hierosolymitanus, Apocrisarii Alexandria et Antiochia missi, Abbates et Priores plures, nec non Imperatorum Orientis et Occidentis Legati, multorumque Regum ac Principum. Concilii initium fiebat, sermone recitato ab Innocentio III super illud Lucae XXII: « Desiderio desideravi manducare hoc Pascha. »In hoc concilio: 1. condemnati sunt errores Albigensium, Almorici et Joachimi Abbatis. 2. Decreta est expeditio cruciata adversus Saracenos, et statutum, ut Clerici partem proventuum ecclesiasticorum per tres annos conferrent in subsidium terrae sanctae. 3. Possessiones Raymundi Comitis Tolosani translatae in Simonem Monfortium. 4. Perculsi anathemate non solum pyratae, eorumque fautores; sed etiam Christiani, qui Saracenis arma, naves, instrumenta bellica subministrarent. 5. Actum etiam de rebus imperii, et Friderici II confirmata electio, rejecto Othone. Omnes canones sunt 70, quorum 21 obligat quemlibet Christifidelem ad Confessionem et Communionem paschalem sub poena privationis ecclesiasticae sepulturae.

(d) Arnoldus Luc. I. VI. epist. Princip. ad Innoc. III apud Miraeum T. I. p. 191., Conrad. Usperg. p. 323.

§. 16. *Simultates Honorii III et Gregorii IX cum Friderico II.*

Post obitum Innocentii III an. 1216 electus fuit Honorius III Cantius Sabellius antea dictus, cui graves simultates mox cum Friderico imperatore natae sunt. Cum enim Fridericus post solemnem inaugurationem an. 1220 Romae peractam, crucis signum ad expeditionem in terram sanctam suscipiendam, ex manu Hugolini Cardinalis Ostiensis accepisset, fidemque jurejurando firmasset, eam tamen in longum tempus variis usus tergiversationibus distulit. Cum praeterea ditionem Pontificis multifariam vexasset, Episcopos diversos per Apuliam et Siciliam constituisset, depulsis, quos Papa eisdem praefecerat Ecclesiis, collectos etiam et census novos ab Ecclesiis exegisset, acriorem Honorii Papae indignationem provocavit. Tandem Joannis Briennii Hierosolymorum Regis interventu pacis foedus coaluit, et Principes christiani ad eamdem cum Imperatore expeditionem excitati sunt. Sed dum cunctaretur Fridericus II, vitales auras linquit Honorius III an. 1227.

Honorio III successit Hugolinus Romanus Ecclesiae Cardinalis, Gregorius IX exin dictus, cujus precibus et monitis tandem victus Fridericus II, serios orientalis belli apparatos fecit. Cum vero expeditionem in longum tempus differret mox morbum, mox negotia causatus, Pontifex eum anathemate percussit an. 1227. Tandem post diuturnas moras, quin prius absolutionem ab excommunicatione peteret, in Orientem profectus est, ubi initis cum Sultano Babyloniae induciis in decem annos duraturis, in templo sepulchri Domini suis ipse manibus coronam regni Hierosolymitani capiti suo imposuit, et in Italiam inglorius rediit. Reducem Imperatorem Gregorius iterata excommunicatione excepit. Demum Imperator, recuperatis in Apulia omnibus, quae in ejus absentia Papa occupaverat, interventu Principum Pontifici reconciliatus, anathemate solvitur an. 1230, cum pariturum se mandatis Apostolicis, sacras electiones permissurum, Ecclesiae libertatem restituturum, damna Ecclesiae illata resarciturum, et belli sumtus resuturum coram Sedis Apostolicae Legatis jurasset. Verum brevi delibata pace, cum Fridericus quasdam Lombardiae civitates, Pontificis partibus addictas armis compescuisset, Ecellinum Gibellinae factionis tyrannum Ducem constituisset, Sardiniam filio suo naturali Entio possidendam tradidisset jamque totus eo collinearet, ut urbem Romam summo Pontifici eriperet, aliaque jura Papalia everteret, Gregorius eum diris denuo devovit an. 1239. Talionem redditurus Fridericus, editis primum scriptis contumeliosis, Gregorium Papam acerrime perstrin-

xit, deinde belli fortunam tentans, in propria illum ditione invasit. In iis rerum angustiis Gregorius ad ulteriora progressus, adversus Fridericum concilium Roma indixit anno 1239. At Imperator Episcopos ad Concilium proficiscentes, per Entium filium in transitu maris captos, in custodiam conjecit, ingressusque Campaniae castellum quoddam, quo praecipui Papae consanguinei clausi erant, vi coepit, et omnes, quo ibi invenit, suspendi jussit. Quo dolore oppressus Gregorius obiit (a).

§. 17. *Concilium Lugdunense I Generale XIII.*

Trigesimo quidem a Gregorii IX obitu die Pontifex electus est Coelestinus IV, qui tamen dies dumtaxat 17 in Pontificatu vixit. Mortuo Coelestino IV, postquam Sedes Romana annos fere duos vacasset, communibus suffragiis Pontifex renunciatus est Sinibaldus Cardinalis, qui nomen Innocentii IV sumpsit. Is ab initio statim Pontificatus sui honorificam misit ad Fridericum legationem, quae de pace tractaret. Pontifex spopondit Friderico absolutionem sub sequentibus conditionibus 1. ut dimittat Episcopos captivos; 2. ut Ecclesiis et Praesulibus damna illata resarciat; 3. ut expeditionem in Orientem suscipiat. Fridericus anno 1244 has conditiones acceptavit; at mente subito mutata non solum pacis conditiones rejecit, verum etiam Innocentio insidias struxit: quare Papa in Gallias ad S. Ludovicum Regem profectus est, ibique concilium Lugdunense I celebrandum indixit anno 1245; quod inter oecumenica habetur XIII. Praesedit summus Pontifex, eique ad dexteram sedit Balduinus II Constantinopolitanus imperator, ad sinistram vero alii Principes laici. Interfuere, tres Patriarchae, Constantinopolitanus, Antiochenus et Aquilejensis, 140 Archiepiscopi et Episcopi Italiae, Galliae, Hispaniae, Britanniae, plures Abbates et conventuum religiosorum Superiores, Regum Galliae et Angliae oratores, ac Friderici imperatoris procuratores, quos inter praecipuus erat Thaddaeus de Suessa, vir disertissimus, qui in Concilio Friderici causam audacter propugnabat. Synodum auspicatus est Pontifex, et solitis cum caeremoniis, habitoque ad Patres sermone dixit tot esse Ecclesiae mala, quot Christi vulnera, nempe Tartarorum in Christianorum terras irruptiones, schisma Ecclesiae graecae, haereses quaquaversus pullulantes, Saracenorum superbam in ter-

(a) Albert. Stad ad an. 1239., Petrus de Vineis l. 1. ep. 31., Muratori., Reynold ad an. 1222., Matth. Paris hist. maj. ad 1227., Platina in vita Greg.

ram sanctam dominationem, et simultates Friderici II imperatoris. Ab hoc itaque vulnere sanando exorsus Pontifex, in ipso statim concilii limine Friderici causam dijudicandam proposuit. Frustra spondebat imperatoris nomine Thaddaeus, Dominum suum in terram sanctam cum valido milite profecturum, provincias Ecclesiae Romanae ereptas redditurum, omnia damna compensaturum, Graecorumque imperium ad obedientiam Sedis Apostolicae redacturum. Nulla fides promissis habebatur; negabat enim Pontifex, fidem ullam haberi posse Friderico, homini fraudulento, qui saepius jam promissis non steterit. Cum Thaddaeus eloquentia nihil proficeret, et ad Concilium generalius appellaret, Innocentius IV approbante Synodo, imperatorem haereseos, sacrilegii, perjurii, aliorumque criminum accusatum sacrorum communione exclusit, et imperiali dignitate, regnoque Apuliae ac Siciliae spoliavit. Confecto hoc negotio, 17 Canones sunt editi, quorum priores duodecim respiciunt formam judiciorum ecclesiasticorum, decimus tertius bonorum ecclesiasticorum conservationem praecipit, inter alia statuens, ne Episcopi Ecclesias sibi commissas pro aliis obligent, nec pro se, vel ipsis Ecclesiis contrahant debita, quibus possit imminuere gravamen, decimus quartus rogante Balduino II decernit, ut dimidia pars omnium proventuum beneficiorum, in quibus per sex menses ad minus beneficiarii non resident, in subsidium imperii Constantinopolitani conferatur, decimus quintus et decimus sextus denique agunt de subsidiis ad terram sanctam recuperandam et ad incursus Tartarorum cohibendos necessariis. Papa electionem novi Imperatoris urgens, Principum Germaniae suffragia in Henricum Raspe Hassiae ac Thuringiae Landgravium inclinavit, quem ut opprimeret Fridericus, collectas raptim copias Conradum filium contra ipsum ducere jussit. Acies juxta Francofurtum commissae; fusus quidem fuit Conradii exercitus, Friderici tamen animus erectus, audito Henrici obitu, qui anno 1247 contigit. Verum mox imperatori alter objectus est aemulus Gulielmus Hollandiae Comes, qui sub initium, imperatore in tumultus cisalpinos intento, rem satis prospere egit. Interim Fridericus bellum in Italia continuans, rebelles quidem Siculos satis acerbe castigavit; ast in Lombardia a. 1248 mulctatus, sub qualicunque conditione absolutionem Pontificiam petiit. Tergiversante autem Papa, utpote qui levem atque instabilem Friderici animum toties fuerat expertus, extremas ad angustias delapsus est Imperator; proscripto haud absimilis, sicariorum insidiis obnoxius, fidelium communione extorris, de-

mum anno 1250 in Apulia mortuus est sine reconciliatione ecclesiastica (*a*).

§. 18. *Gregorius X et Rudolphus Habsburgicus.*

Quum post Conradi IV tempora, toto funesti Interregni tempore misera Germania perennibus discordiis, rapinis ac caedibus dilaceraretur, Principes Electores Francofurti congregati, Rudolphum Habsburgicum an. 1273 imperatorem designarunt, virum exiguarum quidem opum, sed pietate, justitia, bellica virtute, ingeniique dexteritate celeberrimum, quo generis sui auctore gloriatur Augustissima domus Austriaca. Hic mense post Aquisgrani coronatus totus in eo fuit, ut res turbatas componeret, nemini plus concedere coactus, quam Papae Gregorio X. Cum enim Gregorius esset vir, jurium Sedis Romanae tuendorum studiosissimus, an. 1274 in Lugdunensi Concilio, Rudolphi Romanorum Regis electi oratoribus, qui regiae electionis confirmationem petituri illuc venerant, Othonis IV et Frederici II capitulationem signandam proposuit, ab iisque declarationem exegit, Rudolphum Regem omnibus juribus in urbem Romam renunciare, nec Siciliam imperio esse obnoxiam. Eadem promissa Lausanae coram Pontifice confirmavit Rudolphus an. 1274, sacram expeditionem se subiturum pollicitus, hocque insigni obsequii specimine Gregorium adeo sibi conciliavit, ut Principem illum paulo post Romanorum Regem confirmaret, imperii insignia eidem promitteret, Alphonsum denique Castellae Principem, post obitum Conradi Friderici II filii, anno 1254 in Romanorum Regem electum, incusso censurarum terrore, ad deponenda imperii insignia excitaret (*b*).

§. 19. *Concilium Lugdunense II Generale XIV.*

Cum Gregorius X ardenter cuperet, ut nova expeditio cruciata in Orientem susciperetur, Graeci ad fidei unitatem revocarentur et disciplina ecclesiastica restauraretur, missis quaquaversum litteris et nunciis, Principes et Antistites, inprimis Michaelem Palaeologum imperatorem Graecorum ad generale Concilium Lugduni celebrandum incitavit. Convenere ad hoc Concilium an. 1274 quingenti Episcopi, multi Abbates ac Principum oratores, inter quos fuere nuncii Palaeologi Im-

(*a*) Bernard. Guidon. in Chron. RR. PP., Muratori Annal. Ital. Harduini Conc. T. VII. (*b*) Chron. Colmar. p. 40., Annal. Keron. et Eberard. an. 1273, 1277., Raynaldus ad an. 1274. §. 6. 50. 55.

peratoris, cum litteris unionem, obedientiam, sinceramque cum Sede Apostolica fidem profitentibus. Synodo praefuit ipse Gregorius Papa. Nihil quod memorari magnopere mereatur, in prioribus duabus sessionibus actum est. Tempore vero inter utramque medio Gregorius Papa Archiepiscopis et Episcopis persuasit, ut decimas omnium reddituum ecclesiasticorum in subsidium belli Hierosolymitani ad sexennium se daturos sponderent. In sessione III, jussu Pontificis lectae sunt constitutiones quaedam de electionibus, postulationibus ac provisionibus, et inter alia statutum, ut si quando fuerit electio in aliqua Ecclesia celebrata, electores electionem ipsam, quam citius electo communicent, electus vero consensum suum intra mensem a tempore factae communicationis praestare teneatur; caeterum quivis electus intra tres menses post datum consensum confirmationem electionis a Superiore petere non omittat. Post sessionem tertiam advenere Graecorum Oratores, significantes esse se omnino paratos ad agnoscendum R. Pontificis Primatum, nec ullo modo repugnare, Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere. Facta unione Summus Pontifex 29 Junii Missam solemnem celebravit, et symbolum fuit cantatum graece et latine cum additamento particulae *Filioque*. Terque Graeci repetivere illa verba: « Qui ex patre Filioque procedit. » Paulo post in sessione quarta Imperatoris Orator ejus nomine schisma ejuravit idemque Graecorum Praesulum Legati praestitere. In sessione quinta et sessione sexta ac ultima lectae sunt plures constitutiones Pontificiae, quarum notatu digniores agunt de coercenda nimia Religionum non approbatarum multitudine, et de reformanda Ecclesiae disciplina. Demum persolutis precibus consuetis, Pontifex synodo finem imposuit. Universim 30 Canones numerantur in Concilio Lugdunensi II conditi. Absoluto Concilio Graeci pro lubrica animi sui mobilitate a formula Concilii Lugdunensis recesserunt, atque ita totum unionis negotium mox in irritum cecidit. Quapropter Martinus IV Papa Michaelem imperatorem an. 1281 excommunicavit, Michael vero Pontificem in liturgia aulica commorari vetuit. Mortuo anno 1281 Michaele, ejus filius et successor Andronicus publice protestatus est, se nonnisi patris voluntati cedentem, unioni cum Latinis accessisse, et Vecco Patriarchae Constantinopolitano consilium suggessit munere suo se abdicandi, quod mox Josephus recepit. Is suis sedibus dispulit Episcopos, qui unionem inierant cum Latinis, et schismaticos substituit: ita malum revocatum est (*a*).

(a) Mansi T. XXIV. p. 37., Joan. Cimen. hist. l. 5., Leo Allatius de Eccl. occid. et orient. consensione.

§. 20. *Alii Pontifices saeculi XIII.*

Mortuo anno 1276 Aretii Gregorio X tres successere Pontifices: Innocentius V, Hadrianus V, Joannes XXI eodem omnes anno electi, et a vivis erepti, quorum Pontificatus nihil fere complectitur, quod nostra sit memoria dignum. Joanni XXI an. 1277 successit Nicolaus III Ursinus, magni animi et singularis prudentiae vir, sub quo auctoritati Sedis Romanae novae additae sunt vires. Quum enim Carolus Andegavensis Siciliae Rex Vicariatum imperii a Clemente IV Papa, imperio vacante sibi delatum, etiam post Rudolphi Habsburgici electionem adhuc retineret, Rudolphus aegerrimis propterea quaerelis Nicolaum III oppugnaret, Papa, expositis gravissimis periculis in totam inde Italiam redundaturis, Siciliae regem eo adduxit, ut non tantum Hetruriae cederet, imperiique vicariatum dimitteret, sed etiam urbis imperio, quod senatorio nomine a Clemente IV acceperat, lubens discederet. Rudolphus vicissim omnia Romanae Ecclesiae privilegia et donationes a priscis Imperatoribus factas diplomate confirmavit, cumque paulo post Cancellarius Caesaris in Italam eum potestate missus, ecclesiasticae ditionis populos in verba Imperatoris Sacramento adegisset, Nicolaus III graves adeo effudit quaerelas, ut Rudolphus novo diplomate Romanae Ecclesiae jura ratihaberet, in primis vero Romandiolam, Exarchatum Ravennatem et Bononiam Pontifici donaret. Post Nicolai III obitum communibus suffragiis electus est anno 1281 Martinus IV natione Gallus, qui regibus potentissimis resistere non est veritus. Cum quippe Carolus Andegavensis Siculos graviori jugo premeret, Procerum complures exteras et alienas regiones petierunt, eorumque unus Joannes ad Petrum III Aragonum regem profectus, publicas Siculorum calamitates adeo graphice descripsit, ut is Siciliam jure uxoris vindicare sibi statueret, et Michaelis Palaeologi Graecorum imperatoris, sibi a Carolo metuentis, adhortationibus benignas aures praeberet. Dum res haec gliscebat, an. 1282. 30 Martii, quae tum dies altera erat Paschatis, cum pro consuetudine sua hilaritatis causa ad Regium montem, procerum ac plebejorum effusissima multitudo se conferret, Gallus quidam vim conatus est afferre mulieri Siculae. Ad hanc lasciviam Panormitani imo eodemque tempore, dum campanae ad vespertinum officium pulsarentur (unde Sicularum Vesperarum nomen) strictis undique gladiis convolantes, inopinantes Gallos ad unum omnes confoderunt. Quod exemplum aliae quoque Siciliae civitates et loca secuta eamdem stragem continuarunt, ut in universa Sicilia funditus extirparentur Galli. Hac opportunitate Petrus Arragoniae Rex in rem suam

usus, Siciliam occupavit, atque Panormi, universo populo plaudente regni coronam accepit, etsi Papa Martinus anathematis sententiam tulerit in Panormitanos, eosque omnes, qui regnum Ecclesiae Romanae stipendiarium invaderent, vel conjuratis opem ferrent. Rebus in summo utrinque discrimine positis, Papa Petrum Arragoniae regem cedere nescium diris devovit, eumque ecclesiasticas censuras contemnentem Arragoniae regno, et Catalauniae et Valentiae Principatibus privatum dixit, totamque ejus ditionem Philippo III Galliarum Regi attribuit, Carolo Valesio filio minori armis vindicandam. Haec tamen omnia sperato caruerunt effectu. Petrus namque Siciliae mansit dominus, contraria Papae molimina insolenter risit, seque Arragoniae ac Siciliae Equitem jocose appellavit. Carolus vero Andegavensis, recuperatione Siciliae binis vicibus frustra tentata, tantum inde aegritudinis contraxit, ut an. 1285 diem obierit supremum, quem eodem adhuc anno secutus est Martinus IV (*a*).

§. 21. *Controversia Bonifacii VIII cum Philippo Pulchro Rege Galliae.*

Cum Philippus Galliae Rex a Clero Gallicano subventionem postulasset ad belli, quod cum Eduardo I Angliae rege gerebat, sumptus sustinendos, Bonifacius omnia bellorum fomenta inter Franciae et Angliae Reges extingui cupiens, Philippo Regi non solum injunxit, ut bello desisteret, verum etiam edita a. 1296 Constitutione, quae incipit bis verbis: « Clericis laicos » Praelatis de proventibus vel bonis ecclesiasticis aliquid dare, Principibus civilibus aliquid exigere absque licentia Sedis Apostolicae sub poena excomunicationis prohibuit. Haec constitutio adeo offendit Philippum, ut extraneis ingressum in Regnum denegaverit, commercium cum illis exercere, et pecunias extra Regnum efferri vetuerit, tandemque amplo edito responso declaraverit, jus naturae subverti, cum prohibeatur Clericis, ne contra hostiles incursus Regi, regno et seipsis manum porrigant adjutricem. His oppido inflexus Bonifacius, scriptis ad Regem litteris, inter alia significavit, se non prohibuisse Regi pro suis regnique necessitatibus subsidia praestari, dummodo id non fieret absque Sedis Apostolicae licentia. Quinimo Episcopis et Abbatibus Provinciae Rhemensis enixe rogantibus, ut omnes quaerelarum causae rescin-

(*a*) Cenni Mon. dominat. pontific. T. II. p. 121., Raynald. ad 1267. n. 5., Fontanini del Dominio temporale p. 7., Giannone Hist. Neap. P. III. p. 51, Martini litterae apud Acher. T. III. p. 684., Daniel hist. Franc.

dantur, Bonifacius, edito anno 1297 alio diplomate, quod incipit: « Noveritis nos, » sensum prioris Bullae mitigavit. — Sublata quidem videbatur dissidii causa, ast nova improviso emersit, quum Philippus Rex ambos Cardinales Columnenses, Jacobum et Petrum, Ghibellinorum fautores, adeoque infensissimos Papae adversarios in amicitiam ac tutelam suam recepisset, etsi a Pontifice dignitate ac redditibus fuissent spoliati. Infausto dissidio novas addidit vires Bernardus Saisseti Apamensis Episcopus, qui missus a Bonifacio ad Regem, ut illum ad bellum sacrum impelleret, indictasque eum in finem decimas ad alium usum convertere vetaret, non solum verbis contumeliosis Regem proscidit, sed etiam censuras illi intentavit, nisi statim obtemperaverit. Rex indignatus Narbonensi Archiepiscopo eum in custodiam tradidit, missoque ad Pontificem nuntio rogavit, ut eum exauctoraret et justitiae permitteret. Pontifex novas ad Regem epistolas minaces scripsit, quae spectante Rege in ignem conjectae sunt. Attamen solutus est Apamensis Episcopus, regnoque abire jussus, Bonifacius asperiores ad Regem dedit litteras, quae incipiunt his verbis: « Ausculta fili charissime, » eumdem acerbius redarguit, quod Vicario Christi obedire recuset, viris ecclesiasticis ac populo gravissimas molestias afferat, beneficiorum collectiones a Romano Pontifice factas impugnet, in his et similibus causis sibi jus dicat, Regaliorum jure abutatur, vacantium Ecclesiarum Cathedralium redditus immoderate percipiat etc. Quibus perlectis Rex acri percitus ira, anno 1302 non solum Regni Gallicani Barones, ac Praelatos sed etiam urbium, communitatum, et universitatum Procuratores congregavit, mandans iisdem, ut de Bulla Bonifacii, aliisque litteris, suam sententiam dicerent. Proceres asseruerunt, se paratos esse ad regni jura defendenda; ast Clerus datis litteris Pontificem rogabat, ut concordiae conservandae studeret. Pontifex edita eodem adhuc anno Bulla, cujus initium: « Unam sanctam, » manifestavit: temporalem potestatem subesse spirituali, ab eaque instrui ac judicari. His oppido exulceratus Rex, an. 1303 Ordinum conventum Parisiis celebravit, in quo Guillelmus de Plessiaco acerbe in Pontificem invectus, variorum criminum eum accusavit, et in generali Concilio exauctorandum edixit. Tandem Bonifacius VIII morarum impatiens Regem excomunicavit, regno sacris interdixit, et subditos ab obedientia absolvit. Rex in iram actus Guillelmum Nogaretum celeberrimum juris Magistrum, regiique sigilli custodem cum Sciarra Columna in Italiam misit, ut si qua ratione possent, Pontificem intercíperent, et in Gallias abducerent. Nec eorum conatum fortuna omnino destituit. Collecta quippe exigua militum manu,

Anagniam ingressi, in Palatium Pontificis impie irrumperunt, atque Bonifacium triduo in iisdem aedibus captivum detinuerunt: tamen Anagniae cives pudore suffusi, correptis armis, illam colletitiam manum brevi dissiparunt, et Bonifacium debitae restituerunt libertati. Quem tamen ardens animi dolor paucis diebus ex hac vita subtraxit. In ejus locum suffectus est Benedictus XI ex Ordine Dominicano, antea Nicolaus Cardinalis Episcopus Ostiensis, vir apprime doctus, pius et humilis, qui matrem suam nonnisi vili indutam habitu excepit. Is pacem cum Philippo Rege Galliae instauravit. Obiit an. 1304. Ferunt extinctum veneno ei in ficubus propinato Perusiae (a).

§. 22. *Sedes Pontificia Avenionem translata.*

Cum post Benedicti XI obitum ob Cardinalium dissensionem aliis Gallum, aliis Italum volentibus, Sedes Pontificia undecim mensibus vacasset, Nicolaus Albertinus eam proposuit rationem, ut Cardinales Gallum optantes tres ex Gallis ad Pontificatum idoneos nominarent, alii vero unum ex illis tribus eligerent. Electus fuit Bertrandus De Gotta Archiepiscopus Burdigalensis Regi male affectus propter injurias a Carolo Valesio Regis fratre Bertrandi consanguineis illatas. Cardinalis Albertinus, qui facile praevidere poterat Bertrandum electum iri, clam Regi significavit ut Bertrandum sibi conciliaret. Philippus invitavit Bertrandum ad colloquium, eidemque manifestavit ipsum Summum Pontificem creatum iri, si quibusdam conditionibus annuere vellet. Annuit Bertrandus, et Regis amicus factus est. Erant autem conditiones sequentes: 1. Ut plenissimam veniam Philippo concederet eorum, quae contra Bonifacium egerat. 2. Ut consiliariis, et fautoribus, in eadem causa eamdem gratiam largiretur. 3. Ut Cardinalibus Petro et Jacobo Columnensibus gradum Cardinalatus restitueret. 4. Ut Bonifacii acta rescinderet, et ejus memoriam ad nihilum redigeret. 5. Ut decimas omnium redditcuum ecclesiasticorum in Gallia ad resarciendas impensas in bello contra Flandros factas sibi assignaret. Sextam condictionem Rex suo tempore et loco manifestandam sibi reservavit, eamque ad Ordinis Templariorum abolitionem spectasse creditum est. Rex nuntium misit ad Cardinalem Albertinum et Bertrandus electus est Pontifex, qui nomen sumpsit Clementis V et Sedem Pontificiam Avenionem transtulit a. 1305 partim suo ingenio, partim in gratiam Philippi Regis, ubi ejus successores consederunt, us-

(a) Sext. Decret. lit. De Immunit., Raynold ad an. 1296., Gullelmi Nangii continuator ad an. 1301, S. Ant.III. P. Chron.

que ad annum **1376. Translatio haec incommoda et mala plurima** procreavit. Antea Pontifices orbi terrarum leges dictabant, nec legibus unius regis erant obnoxii; antea sua praesentia Italiae factiones comprimebant, in primis Ghibellinorum agros late vastantium, hostilesque passim rapinas, ac caedes exercentium furorem coercebant. Ex quo autem extra Italiam versabantur, non solum Romani, verum etiam reliqui Europae Principes, eorum decreta et censuras parvi pendebant. Quum ditionum Pontificiarum maxima pars in manibus hostium esset, vel misere pessumdata, ex Italia nonnisi tenues percipiebant reditus, vel potius nullos, adeoque damnum inde redundans per taxas ordinarias et extraordinarias reparare conabantur, urgentes severissime annatas, expectativas reservationes, provisiones etc. quae amaris populorum quaerelis ansam praebuerunt. Per hunc porro Pontificum secessum gravissime rerum ecclesiasticarum perturbationes, pessimique abusus inter Clericos, in primis majores, invaluerunt, ita quidem, ut non deessent Ecclesiarum Praesules, qui Papas Roma absentes imitati, jam residentiae laboriosae onus fastidirent, et extra suas dioeceses ultro, citroque vagarentur, aliisque saepe negotiis intenti, quam quae sui officii essent. Pontifices Avenione residentes toti a Galliae Regis nutu pendebant, itaquidem, ut Galliae Rex interdum Paparum Avenionensium influxum interpellaret ad alia Europae regna, in primis Germaniam misere perturbanda. Sic teste historia constat, caeso an. 1308 Alberto I Austriaco, Philippum Galliae Regem Pontificis auxilium fretum, id potissimum egisse, ut fratri suo Carolo Valesio imperii coronam acquireret (*a*).

§. 23. *Concilium Viennense. Generale XV.*

Cum Philippus Rex Galliae in conventu a. 1307 Pictavii instituto, coram Clemente V, ac Legatis Regum Angliae et Siciliae manifestasset se velle, ut Ordo Equitum Templariorum aboleretur, Bonifacii nomen e cathalogo Pontificum deleretur, et ejus ossa exhumarentur, nec non tamquam haereticus damnaretur, Clemens V respondit, se hoc non praestiturum absque Concilio generali. Anno igitur 1311 oecumenicum Concilium Viennae in Delphinatu celebrandum indixit, cui praeter summum Pontificem interfuere Cardinales, et plus quam 300 Episcopi. In prima sessione Clemens assumpto pro

(*a*) Stephanus Baluzzi vit. PP. Aven. Paris. 1693, Muratorii Antiqq. Ital. T. III p. 397, P. de Marca de concord. Sacerd., Thomassinus disc. vet. et nov. T. III. L. II. c. 58.

themate versu Psalmorum 110 « In concilio justorum et congregatione: magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus,.. » causas celebrationis Concilii exposuit, videlicet: haeresum damnationem, Ordinis Templariorum abolitionem, subsidium terrae sanctae ferendum, denique disciplinae ecclesiasticae reformationem. Damnatae ante omnia fuere haereses Fraticellorum, Dulcinistarum, Beguardorum et Beguinarum. In altera sessione, praesente Philippo Galliarum Rege cum filiis et fratribus, Pontifex sententiam de Ordinis Templariorum extinctione promulgavit, Sacro approbante concilio. Ipsorum bona equitibus S. Joannis Hierosolymitani assignata, exceptis iis, quae in regnis Castellae, Arragoniae et Lusitaniae sita erant: haec ad sustinendos belli Saracenici sumptus destinata sunt. Quod ad personas attinet, Concilium sanxit, ut exceptis nonnullis, quorum cognitionem Summus Pontifex sibi reservavit, ad judicium synodorum provincialium remitterentur. Quo finito, Bonifacii memoria vindicata est, declaratumque, ipsum fuisse Catholicum et legitimum Pontificem. In tertia ac postrema sessione de subsidio terrae sanctae sermonem babuit Clemens V, et Episcopi Gallicani decimas ad sexennium concesserunt Philippo regi promittenti, se infra annum in Orientem transfretaturum, quod ab universo Concilio approbatum est. Demum variae Constitutiones, fidem et morum disciplinam spectantes, in hac synodo editae sunt, quorum plurimae in Clementinarum Collectione habentur (*a*).

§. 24. *Dissidium Joannis XXII cum Ludovico Bavaro.*

Mortuo an. 1314 Clemente V, post duorum annorum vacationem pontificatus ob Cardinalium dissidia, an. 1316 pleno Cardinalium suffragio electus est Joannes XXII, antea Jacobus Eusins Card. Episcopus Ostiensis, qui grave habuit dissidium cum Ludovico Bavaro. Nimirum mortuo Henrico VII Imperatore, post mensium fere 14 interregnum, divisis bifariam Principibus, plures Ludovicum Bavarum, quem Ludovicus Severus ex Mathilde Rudolphi Habsburgici filia susceperat, alii Fridericum Austriacum, Alberti filium, Rudolphi nepotem, anno 1314 Imperatorem designarunt. Itaque certatum est inter utrumque de Germaniae regno, donec Friderico an. 1322 in fatali proelio ad Muhldorfium capto, res an. 1325 ita convenit, ut Ludovicus esset imperator. Pontifex eidem objecit, quod nondum coronatus imperatorem ageret. Ast cum

(*a*) S. Anton. Chron. P. III. lit. 2., Odoricus Ragnold. ad an. 1311, Mansi T. XXV p. 667. seqq.

Ludovicus litem belli fortuna diremptam incertae alieni arbitri fortuna committere nollet, Papa Joannes toto excandescens animo, edita Bulla, excommunicationem ipso facto incurrendam Ludovico intentabat, si vel minimam reipublicae administrandae partem attingeret, antequam ipse definitivam sententiam tulisset. Ludovicus vicissim ut par pari rependeret, Papam nefandae haereseos contra Christi et Apostolorum paupertatem accusatum suprema Ecclesiae dignitate excidisse pronunciavit. Exacerbatus cum his, tum aliis rebus Joannes an. 1327 Ludovicum fulmine Apostolico perculit, omnique dignitate ac regno spoliavit. Is igitur iram animo coquens, et a Ghibellinis invitatus, Italiam adiit, in conventu Tridenti anno 1327 celebrato declaravit, Joannem haereticum desiisse esse Pontificem, Mediolani coronam ferream a Guidone Episcopo Aretino sibi imponi curavit, inde Romam cum 4000 Equitum profectus sumptis an. 1328 imperii insignibus Joannem publica sententia haereticum judicatum, et omni ecclesiastica dignitate submotum, saeculari brachio puniendum tradidit. Imo suasu suorum amicorum, potissimum Michaelis Caesenatis Generalis ministri, Guillelmi Occami, et Bonaegratiae ex Ordine minorum, quos Pontifex ob inobedientiam erga Sedem Apostolicam excommunicaverat, nec non Marsilii Patavini et Joannis a Ganduno, Petrum Corbarium ex Franciscanorum familia ad Pontificatum evexit, qui Nomen Nicolai V sumpsit. Sed umbratilis hic Pontifex, fortuna Ludovici in deterius vergente, brevi fasces submisit Joanni, ab eoque tempore Joannes rempublicam sacram, reluctante licet Ludovico, et Ludovicus imperium, repugnante licet Joanne, administravit. - Mortuo an. 1334 Joanne XXII ad Pontificatum evectus est Benedictus XII, antea Furnarius Cardinalis S. Priscae Ordinis Cisterciensis, vir satis probus ac placidus, qui ad pacis consilia animum adjecit, obstante tamen Philippo Valesii Galliarum et Roberti Siciliae Regis auctoritate, reconciliationem a Ludovico quaesitam recusavit. Successor Benedicti XII, qui an. 1342 sub nomine Clementis VI Summus Pontifex electus est, instigante Rege Galliae, non modo suorum antecessorum anathemata confirmavit, sed et conditiones durissimas Ludovico praescripsit, quas tamen resistentibus Germaniae Principibus, non acceptavit. - Tandem Germaniae Electores aegre simul ferentes, quod Ludovicus suam familiam Brandenburgo ac Tiroli auxerit a. 1346 Imperatorem elegerunt Carolum IV Luxenburgensem, Joannis Bohemiae regis filium, quam electionem Pontifex Clemens VI confirmavit. Parabat igitur Ludovicus novum bellum, absque dubio acre futurum, nisi anno sequenti paralysi correptus in venatione de equo in terram cadens expirasset. Post

repentinam Ludovici mortem imperium quidem a factione Bavaro Gunthero Schivarzemburgico datum est ineunte an. 1349, eo autem paulo post mortuo, Carolus IV communibus suffragiis agnitus est. Ubi fatis cessit Clemens VI, inauguratus est Pontifex Stephanus Aubertus Cardinalis Episcopus Ostiensis, electus a. 1352 et sublatus e vivis a. 1362 et Innocentii VI nomen assumpsit. Eidem eodem anno successit Urbanus V antea Guilelmus Grinsaldus Abbas S. Victoris Massiliensis, Ordinis Cluniacensis (a).

§. 25. *Magnum schisma Pontificium seu Occidentale.*

Cum Pontifices Avenione morantes ditiones suas in Italia per praefectos regerent, hi vero cives premerent, arces struerent, aliorum libertati imminerent; Florentinis signum ad libertatem praeferentibus, multae civitates a. 1375 deficiunt. Eo territus Gregorius XI, qui Urbano V successit, hortante S. Catharina Senensi, an. 1377 Romam rediit, et anno sequenti 1378 fatis cessit. Post ejus mortem foedum ac dinturnum schisma ad annos circiter 40 Romanam Ecclesiam laceravit. Cum enim de eligendo novo Pontifice mentis haberetur, Clerus, populusque Romanus ad Cardinales concurrunt, eosque rogant, ut Romanum, vel saltem Italum crearent Pontificem. Undecim erant Cardinales Gallici, qui Pontificem e suo gremio volebant; quatuor Italici, quorum unus ex gente Ursina ad Pontificatum maxime aspirabat; sex erant Avenione, et unus negotiorum causa aberat; sed Cardinales in Conclave congregati, populum tumultuantem veriti, Bartholomaeum Bariensem Archiepiscopum, patria Neopolitanum, Pontificem designarunt, qui Urbani VI nomen assumpsit. Is vero, natura severus et imperiosus, cum mores Cardinalium acerbissime redarguisset, Cardinales Galli praetexto vitandi caloris aestivi, Anagniam, atque hinc in urbem Fundanam aufugerunt, ibique Urbani VI electionem nullam declararunt, ac Robertum Comitis Sabaudiae consanguineum, Cardinalem Gebbennensem 27 Septembris a. 1378 Pontificem crearunt, qui assumpto Clementis VII nomine Avenionem secessit, et suam ibi sedem fixit. Hoc pacto in duas partes scissa est tota respublica christiana, Germania, Anglia, Polonia, totoque Septemtrione pro Urbano, Gallia vero a Cardinalibus suae gen-

(a) Nic. Burgundus Hist. Ludov. L. I. p. 5. 13., Albertus Argent. p. 122 Vit. PP. Aven. Baluzzi p. 111 116., Lunigil Cod. diplom. Ital. P. I. p. 37 51., Mussatus in Lud. Bavaro §. 3., Daniel hist. Franc. T. II. p. 455. Avent. L. VII. p. 621, seq., Baluzii Miscell. T. II. p. 272., T. Villani L. XII. c. 39.

tis persuasa pro Clemente stantibus, cui deinde Castilia et Arragonia accesserunt. Ipsa etiam Italia primum divisa fuit, usque dum Urbanus praeter expectationem Gallorum res suas estrenue defendens, Clementem Italia excedere coegit. Non possunt tragice satis describere historici infelices et cruentos hujus schismatis eventus. Nil nisi mutua ubique resonabat Urbani et Clementis excommunicatio, depositio, oppugnatio, cassatio Actorum cum suis consectariis teterrimis; imo armisque se invicem impetebant. Anno tandem 1389 mortuus est inter has turbas Urbanus, paucis admodum ejus mortem flentibus. Post Urbani obitum Cardinales Itali elegerunt Petrum de Thomacelli, gente Neopolitanum, qui in Pontificatu appellatus est Bonifacius IX. Cum schismatis diuturnitas taedium pareret, in ipsa Gallia et provinciis obedientiae Clementis Academiae, Theologi, Magnates, Reges, curiae, docti denique ac indocti agere coeperunt de mediis tollendi discordiam toti Ecclesiae funestam. Optimum pene omnibus est visum, intercedere apud utrumque Pontificem, si forte impetrari possit, ut Pontificatu cederent, submitterentque concilio generali causam suam. Sed nihil actum fuit, utroque Pontifice cedere nolente.

Mortuo an. 1394 Clemente VII duo et viginti Cardinales, non curantes litteras regis, suspensionem novae electionis enixe urgentis, statim elegerunt Petrum de Luna sub nomine Benedicti XIII, ea tamen conditione, ut paratus esset ad concordiam, per viam cessionis, si opus fuerit. Interim continuatae sunt in Gallia consultationes de tollendo schismate quacunque ratione, tergiversantibus ad quaevis concilia Pontificibus, sibi invicem contrariis, Benedicto XIII praecipue summae ambitionis viro, cujus pertinacia exulcerata Ecclesia Gallicana an. 1397 in conventu Parisiensi utriusque Pontificis auctoritati et obedientiae se subtraxit. Quo judicio publicato Benedictus XIII Caroli VI Galliae regis jussu an. 1398 Avenione in palatio suo inclusus est, adhibita foris custodia, ne suo arbitrio recedere posset. Anno 1403 favore Ducis Aurelianensis fuga dilapsus in Catalauniam primo patriam suam, deinde Perpinianum discessit, remque suis artibus eo adduxit, ut Cardinales ac Cives Avenionenses obedientiam illi restituerent.

Neque Bonifacii IX mors an. 1404 secuta funestum schisma Pontificium ullo modo exstinguere potuit. Huic enim eodem anno Cosmum Melioratum Cardinalem Bononiensem sub nomine Innocentii VII virum satis eruditum, et Innocentio post biennium mortuo, sub conditione cessionis voluntariae statim Benedicto afferendae, si et ipse pari via sedare tempestatem voluerit, substituerunt Cardinales Itali Angelum Corarium, cui

Gregorii XII nomen inditum est. Is mox post dignitatis suae aditum, datis literis, missis legatis et institutis profectionibus, alios in eo sensum impellere conabatur, revera sibi cordi esse Ecclesiae Catholicae salutem. Eamdem in hac fabula personam, sed longe callidius sibi imponebat Benedictus. Reipsa tamen ambo malebant videre Ecclesiam laceratam, suoque capite destitutam, quam cedere imperio. Inter haec certamina Cardinales utriusque obedientiae, hortantibus Academiis, viris doctis, et potissimum Carolo VI Galliae Rege, in unum Collegium conjuncti Concilium generale indixere, in quo de abrogando utrique contendentium Pontificatu ageretur, novoque eligendo Pontifice, qui universae Ecclesiae acceptus esset (a).

§. 26. *Concilium Pisanum.*

Concilium a Cardinalibus convocatum coaluit a. 1409, et habuit duos fines sibi propositos, nimirum extirpationem schismatis et Ecclesiae reformationem. Convenerunt illuc Cardinales utriusque partis, tres Patriarchae, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus, Archiepiscopi et Episcopi ultra 180, multi Abbates, et Theologiae Doctores. Consederunt pariter Oratores Regum Franciae, Angliae, Lusitaniae, Bohemiae, Siciliae, aliorumque Principum. Praefuit Cardinalis Pictaviensis, utriusque Collegii Decanus. Post triplicem citationem Gregorii et Benedicti, prima, secunda et tertia sessione ad valvas Ecclesiae factam, in tertia sessione ambo contumaces declarati sunt, et Pontificatu indigni. In quarta sessione Legati Roberti Regis, missi ad Gregorii partes propugnandas, sequentes difficultates Concilio proposuerunt: 1. Utrum Cardinales, ei, quem ut legitimum Pontificem agnoscebant, obedientiam subtrahere potuerint, ante causae cognitionem et sententiam latam? 2. Utrum Concilium generale convocare possint? 3. Utrum Gregorius parere Concilio teneatur, cujus pars erant ejus adversarii, pars illi subtraxerat obedientiam? Qua ratione duo Collegia, quorum unum legitimum, alterum illegitimum, in unum convenire potuerint, et alterum alteri jus eligendi Summum Pontificem tribuere? Insuper petebant, ut Concilium alium in locum transferretur, in quo Gregorius libere Pontificatu cederet, modo idem praestaret Benedictus. Ast, quum Synodus responsionem in alium diem distulisset, insalutatis Patribus abierunt. In sessione quinta duo Antipapae iterum de contu-

(a) Poggius Hist. schismat. Baluz. in praef. et Not. ad vit. Pap. Aven. S. Antoniu. P. III. Chron. tit. 22. c. 11., Bulvei hist. Acad. Paris. T. IV., Daniel. Hist. Franc. T. II. p. 866.

macia accusantur. In sessione sexta, septima et octava deputati sunt a singulis natinnibus Commissarii, qui testes audirent, et instrumenta examinarent litigantium causam spectantia. Sessione ipsa octava declaratum est, Cardinales utriusque obedientiae jure potuisse uninnem inire et Concilium generale congregare ad pacem Ecclesiae procurandam. In sessionibus proximo seqnentibus continuata est testium auditio, et instrumentorum lectio. In sessione decima quinta, e suggestu lecta fnit sententia depositionis in Gregorium XII et Benedictum XIII lata, omnes Christiani vinculo obedientiae solnti, et sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae prohibitum eorum alicui auxilium vel favorem praestare. In sessione decima sexta, Cardinales solemniter prnmiserunt, si quis eorum Pontifex electus fuerit, eum Concilium continuaturum, donec ab eo facta sit debita et sufficiens Ecclesiae reformatio in capite et in membris. Demum in sessione decima nona, post solemnem Missam ingressi in Cnnclave Cardinales unanimi consensione Petrum de Candia Ordinis FF. MM. Archiepiscopum Mediolanensem, et Cardinalem Presbyterum Summum Pontificem elegerunt, qui sibi Alexandri V nomen adscivit. In sessione vigesima, vigesima prima, et vigesima secunda lecta sunt decreta synodalia, quibus omnes dispensationes super matrimoniis aliisque casibus forum conscientiae spectantibus per Benedictum et Gregorinm concessae, omnes item collationes, provisiones et translationes dignitatum et beneficiorum, omnesque Clericorum ordinatinnes per eosdem factae confirmabantur, dummodo canonice nec in detrimentum unionis factae essent. Quod vero attinet reformatinnem Papa neoelectus eamdem prorogabat ad alterius usque Concilii Oecumenici, ad triennium indicti celebrationem, eam interserens causam, quod multi Praesules jam discessissent (a).

§. 27. *Schisma continuatur.*

Quum Gregorius XII et Benedictus XIII Concilii Pisani auctoritatem vilipenderent, et muneris functionibus non desisterent, schisma non sublatum, sed auctum est. Benedictus Perpiniani, Gregorius prope Aquilejam Episcoporum conventum coegit, in quo uterque acta Concilii Pisani condemnavit. Alexander V prudens, et magni animi vir, Romam Ladislai Regis Neapolitani, qui pro Gregorio XIII stabat, praesidiis occupatam, nunquam pervenit, sed decimo post suam electionem mense Bononiae obiit. Ei sexdecim Cardinalium suffra-

(a) Mansi T. XXVI. p. 1131. seqq. Lenfant. Hist. Conc. Pisan. T. II.

giis suffectus est Ludovici Andegavensis, Siciliae Regis commendatione Balthasar Cossa Neapolitanus, Presbyter Cardinalis et Bononiae Legatus, vir quidem in temporalibus magnus, in spiritualibus omnino nullus, atque ineptus, qui in Pontificatu Joannis XXIII nomen assumpsit. Mortuo an. 1410 imperatore Ruperto, hujus successor Sigismundus partes Gregorii, qui metu Venetorum Cajetam secessit, Ladislai Regis Neapolitani clientelae se permittens, deseruit, et Joannem ceu Pontificem agnovit. Ladislaus autem ex conditionibus pacis a. 1412 cum eodem initae, Gregorium XII regno suo expulit, unde ille Ariminum se recepit, cujus possessores, domini de Malatesta Joannem repudiabant *(a)*.

§. 28. *Concilium Constantiense.*

Ad extirpandum schisma, errores Viclefi et Hussi damnandos, et reformationem Ecclesiae in capite et membris perficiendam, urgente potissimum Sigismundo imperatore, Joannes XXIII anno 1414 Concilium generale Constantiae celebrandum indixit. Convenerunt illuc, praeter Joannem XXIII et Sigismundum imperatorem, Cardinales 22, Patriarchae titulares 3, Archiepiscopi 20, Episcopi 192, et ingens aliorum Praelatorum, Abbatum, Generalium ac Doctorum numerus. In prima sessione Synodi ministri et Officiales sunt electi. Tempore inter primam et alteram sessionem medio, praeter Sigismundum imperatorem, Constantiam pervenerunt Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, et deputati Gregorii XIII et Benedicti XIII, totumque Concilium divisum est in nationes, Gallicam, Germanicam, Italicam et Anglicam, quibus postea Hispanica accessit. Quatuor nationibus in palatio Apostolico congregatis, Antiochenus Patriarcha Joannem XXII Concilii nomine supplex rogavit, ut Pontificatu cederet. In secunda sessione Pontifex juratim promisit, se Pontificatui renunciaturum, si hac occasione Ecclesiae unio procurari possit. Ast, quum in sequenti congregatione novi electio Pontificis proponeretur, Joannes XXIII re occulte communicata cum Friderico Austriae Duce, Concilio se furtim surripuit, et Schaffusiam aufugit, oppidum Friderico subjectum, ne Pontificatu se abdicare cogeretur. Quae res in Concilio audita Patrum animos admodum perturbavit, sed eos consternatos Sigismundus erexit. Eodem tempore Joannes Gerson Regis Galliae et Parisiensis Universitatis in Synodo Legatus, pro concione dicens, Concilii Generalis auctoritatem supra Papam asseruit. In tertia

(a) Leonardus Aretinus.

sessione ad Synodum confirmandam articuli sequentes confirmati sunt: 1. Synodum fuisse, et esse rite ac juste Constantiam convocatam; 2. Per recessum Joannis, caeterorumque Praelatorum nullatenus esse dissolutam; 3. Non prius esse dissolvendam, quam ablato schismate, unio et pax universae Ecclesiae reddita fuerit; 4. Nec esse transferendam ad alium locum, nisi ex causa rationabili, et ab ipso Concilio deliberanda et concludenda. In quarta sessione sequens decretum promulgatum est. Quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quae pertinent ad fidem, et extirpationem schismatis, et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et in membris. In quinta sessione eadem constitutio synodali definitione confirmata est. In sexta sessione decreta est ad Joannem Pontificem Legatio Cardinalium, Episcoporum, Abbatum et Doctorum, qui reditum Constantiam illi suaderent, vel intimarunt publicationem Bullae, in qua declararetur se non amplius esse Papam. Ast cum ex ejus responso pateret, neutrum illi arridere, Synodus decrevit, legibus fore in eum procedendum. In septima sessione citatio in Joannem XXIII publicata est ad novem dies, infra quos rediret Constantiam et in Concilio cum suis compareret, de fuga, aliisque criminibus responsurus, dato ei salvo conductu. Qua occasione Joannes prius in castrum Lauffenburg, deinde Friburgum se contulit. Eadem in sessione Hieronymi a Praga causa ventilata est. In octava sessione Joannis Viclefi articuli 45 damnati sunt, ejusque libri igni addicti. Tempore inter VIII et IX sessionem medio Joannes XXIII Friburgi interceptus et in custodiam traditus est. In sessionibus nona, decima, et undecima, Joannes ab officio suspenditur, eique lata sententia nuntiatur. In duodecima sessione lecta est exauctorationis sententia in Joannem XXIII lata. Quo peracto, Joannes in arcem Gottliben abductus, Geidelbergae primum, deinde Manhemii custoditus est ab Electore Palatino. In sessione decima tertia decretum editum est de communione sub una specie a laicis, iisque jejuniis sumenda, contra Bohemos Hussitas. In sessione decima quarta Gregorius XII per Carolum Malatesta Pontificatui sponte renuntiavit, et ne deesset proemium facto voluntario, primus ei in Collegio Cardinalium assignatus est locus, et pingue munus Legati Apostolici in Marchia Anconitana. In sessione decima quinta damnata est Viclefiana haeresis, cujus assertor convictus Joannes Huss, et brachio saeculari traditus, et rogo est addictus. Hac eadem sessione

doctrina Joannis Parvi Doctoris Parisiensis de licito, imo meritorio tyrannicidio, a subditis etiam dolose perpetrato proscripta fuit. Ansam huic libro componendo dederat contentio de jure successionis post mortem Caroli VI Regis Galliae orta inter Ludovicum Aurelianensem Regis fratrem, et Joannem Ducis Burgundiae ejus patruum, qua durante Ludovicus fuit occisus. In sequentibus duabus sessionibus frustra adlaboratum est in eo, ut Benedictus XIII Pontificatu cederet. In sessione decimanona Hieronymus a Praga suos quidem errores revocat, ast postea Palinodiam retractat, ut adeo in sessione vigesimaprima damnatus, saeculari potestati traderetur, et vivus combureretur. Praeterimus subsequentes sessiones, in quibus minoris momenti res gestae sunt, usque ad sessionem trigesimam primam, in qua exauctorationis sententia lata est in Benedictum XIII ejusque sententiae ac censurae in sessione proxime sequenti rescissae sunt. In sessione trigesima nona decretum est, ut Pontifex in locis ab ipso de Concilii consensu, vel in defectum Pontificis ab ipso Concilio indicendis, quinquennio post, hocque absoluto septemnio post, ac deinceps singulis decenniis Concilium generale celebret; in casu vero schismatis Pontificii proximo anno Concilium convocetur; ac inchoato Concilio, Antipapae ab omni administratione sint suspensi. In sessione quadragesima definitum est, ut Pontifex cum delegatis singularum nationum reformet Ecclesiam in capite, et in membris, statumque Romanae Curiae: ut porro numerus Cardinalium reducatur, et Papa corrigat defectus, qui in reservationes, annatas, collectiones et confirmationes beneficiorum dispensationes, indulgentias et decimas irrepserant, omnemque Simoniam extirpet. In sessione 41 omnium consensione electus fuit Summus Pontifex Otho Columnensis, Martinus V dictus, qui petentibus post coronationem nationibus, datam pro reformatione fidem renovavit. In sessione quadragesima secunda Martinus V exhibuit reformationis formam, juxta articulos 18 in sessione quadragesima propositos. In sessione quadragesima tertia Martinus V quaedam reformationis decreta promulgavit de exemptionibus abrogandis, de abolendis unionibus beneficiorum, de fructibus beneficiorum vacantium non attribuendis Romano Pontifici, de nullitate electionum, postulationum et quarumvis provisionum simoniace factarum, de dispensationibus revocandis, de decimis, aliisque oneribus Ecclesiae et personis ecclesiasticis non imponendis: reliquos reformationis articulos ne vel a longe attigit. In sessione quadragesima quarta Martinus Concilii proxime futuri locum civitatem Papiensem designavit. Tandem in sessione quadragesima quinta absolutum est Concilium, quod annis

quatuor et sex mensibus duraverat. Benedictus XIII Perpiniani vivens contemptis Patrum decretis et nomen et insignia pontificia retinuit, et in ejus locum anno 1423 mortui sublectus est a duobus reliquis ejus factionis Cardinalibus Aegidius Mugnos, Gente Hispanus, Clemens VIII nominatus, qui tamen quarto post anno, agente Alphonso, Rege Aragoniae, Martino V se subjecit, atque ita post 50 annos schisma Pontificium extinctum est *(a)*.

§. 29. *Concilium Basileense.*

Ut decreto sessionis 39 Concilii Constantiensis satisfieret, Martinus V Pontifex quinquennio post aliud generale Concilium Papiae indixit, illucque Legatos suos misit anno 1423. Sed cum nulli adhuc Episcopi Transalpini advenissent, et praeterea lues pestifera ibi grassaretur, Synodum Senam transtulit. In hanc urbem pauci Episcopi confluxere, et de reformationis articulis minime inter se convenientes. Ibi damnatio Viclefitarum et Hussitarum Constantiae facta confirmata, sententia contra Petrum de Luna Antipapam ratihabita, item de Graecorum ad unitatem Ecclesiae reductione actum est. Ast cum bellorum tempestates undique ingruerent, et Alphonsus Arragonum Rex in odium Pontificis partem Petri Lunensis pene extinctam resuscitaret, ejusque causam, missis oratoribus, ageret; Martinus V an. 1424 Concilium dissolvit, atque in sequens septennium celebrandum alterum Basileae indixit. Mortuo inter haec Martino V, qui ei in Pontificatu successit Eugenius IV antea Gabriel Condulmerus Venetus Cardinalis, istud ipsum convocavit an. 1431 omniaque a praedecessore ordinata, in primis Juliani Cardinalis Legationem ipsique commissam praesidendi potestatem confirmavit. Paucis Praelatis statuta die congregatis, Concilium auspicatus est Julianus Cardinalis, sermone ad synodales habito. In sessione prima praeter plura alia legitimam Synodi auctoritatem attinentia, decretum Constantiense contra Concilii perturbatores confirmatum est, iisque poenarum minae intentatae. Vix autem celebrari coeperat Synodus, cum illius dissolutionem Eugenius IV decrevit, Julianum Legatum revocavit, aliudque Concilium Bononiae celebrandum indixit, inter alia causatus et paucitatem Episcoporum, et bellum inter Philippum Burgundiae ac Fridericum Austriae Duces fervens, et viciniorem Graecis locum, quibus Basileam adire aut haud facile esset. Ast Synodus revocationis Bullae acerrime restitit, Episcopos absentes ad iter accelerandum excitavit, Si-

(a) Mansi T. XXVIII. p. 520. T. XXVIII. p. 1. Jacob Lenfant. Hist. Conc. Const. Amst. 1714.

gismundi imperatoris, et Caroli VII Galliae regis tutelam et patrocinium imploravit, effecitque, ut ambo Principes, et ipse Julianus Cardinalis, scriptis ad Papam literis, eumdem monerent, ut synodum Basileae celebrari sinat et absolvi. In sessione secunda renovatum est decretum sessionis quartae Synodi Constantiensis. In sessione tertia Synodus Eugenium IV monuit, ut Concilii dissolutionem de facto revocet, et intra tres menses vel accedat ipse ad Concilium, vel mittat Legatos cum plenaria potestate: alioquin Synodus necessitatibus Ecclesiae providebit, et procedet secundum quod juris fuerit divini et humani. In sequentibus sessionibus causa Bohemorum Hussitarum dirempta est. Tribus fere annis in dissensione elapsis, tandem an. 1434 Sigismundi imperatoris et Caroli VII Regis Galliae interventu pax restituta est inter Concilium et Pontificem. Nimirum in sessione XVI literae Eugenii IV Synodo oblatae sunt, quibus Pontifex declaravit Concilium Basileense legitime inchoatum, et continuatum fuisse. In sessione XVII praesente Sigismundo imperatore, Romanae Sedis Legati sunt admissi tanquam Concilii praesides, nomine et loco Eugenii Papae. In subsequentibus sessionibus permultae reformationis decreta edita sunt contra Clericos concubinarios, annatas, reservationes beneficiorum, expectativas, de modestia, gravitate, devotione in celebrando divino officio, de festis Sanctorum, spectaculis, choreis, commessationibus, nundinis in Ecclesiis ac coemeteriis minime tolerandis, etc. In sessione vigesima quarta Legati Sedis Apostolicae Concilium pro unionis negotio perficiendo in uno ex locis maritimis Italiae Graecis magis accepto, v. g. Florentiae celebrari postularunt: Synodus vero se opposuit, et Eugenium IV ad rationem reddendam evocavit. Unde Christiani Principes, potissimum Sigismundus imperator, et Hispaniae Rex contra Patres Basileenses protestati sunt. Tandem Eugenius IV, edito Bononiae diplomate Basileensem conventum Ferrariam transtulit. Quum post sessionem vigesimam quartam Episcopi sensim atque sensim Basilea discesserint, Concilium legitimum esse desiit. Nihilominus tamen pars Synodi reliqua, duce Ludovico Cardinali Arelatensi, ex secundi ordinis Sacerdotibus fere conflata, sessiones suas usque ad mensem Majum an. 1443 Basileae continuavit. Jam in sessione XXVI Eugenius IV multorum criminum immerito accusatus, et in jus vocatus est ad diem sexagesimam. Eugenius Papa vero Basileenses iterato excommunicavit, eorum acta rescidit, civibusque sub excommunicationis poena praecepit, ut eos intra mensem ex urbe sua pellerent. At illi minime territi, in sequentibus sessionibus Eugenium a Pontificatu deposuerunt et in sessione trigesima nona Antipapam elegerunt Amadaeum

Sabaudiae Ducem, Felicem V dictum, qui deposito regimine Ripoliae, loco ditionis suae amaenissimo, quasi in secessu ascetico vivebat. Tandem in Sessione quadragesima quinta, quae omnium ultima erat, etsi postea aliquae sessiones Lausanae habitae sint, decretum est, ut proximum concilium generale infra triennium Lugduni celebraretur, nec tamen dissolutum jamjam censeretur Concilium Basileense (a).

§. 30. *Concilium Ferrariense seu Florentinum.*

Ad perficiendam utriusque Ecclesiae unionem, Eugenius IV Papa Concilium Basilea Ferrariam transtulit a. 1438, eoque ut migrarent, missis Legatis, Graecos invitavit. Numerantur sexdecim hujus concilii sessiones cum Graecis celebratae. Prima Praelatorum ibi congregatorum cura fuit, tum, ut Basileenses damnarent, omniaque eorum decreta a tempore factae translationis edita, aut posthac addenda nulla et irrita declararent, tum, ut articulos fidei Graecos inter, et Latinos controversos, v. g. *De processione Spiritus Sancti*, *de additione particulae Filioque*, *de Purgatorio*, *et statum animarum ante judicii diem*, *de usu azimorum et Sanctae Sedis auctoritate* discuterent. Ast ingruente jam intra Ferrariensem civitatem pestilentia, translatum fuit Concilium Florentiam a. 1439, ubi consumptae fuere inter disputationem sessiones novem. In sessione prima, quae est, computatis sessionibus Ferrariae celebratis, decima septima, Patres concluserunt, ut Graeci de modo ineundae concordiae inter se conferrent, eumque in proxima sessione in medium afferrent, sed eo non invento, consilium de privata disputatione inierunt, Septemviris utriusque partis selectis, qui de propositis quaestionibus dissererent. Verum cum publica disputatio summo Pontifici magis placeret, octo sessionibus proxime sequentibus de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio inter Joannem de Monte Nigro Provincialem Lombardiae Ord. Praedicatorum, et Marcum Ephesinum ita disputatum est, ut Graecorum plurimi, in primis Bessarion Nicaenus, et Isidorus Ruthenus Archipraesules se ad unionem valde propensos ostenderent. Rebus ita constitutis, moritur in pace Ecclesiae Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, propter adversam valetudinem synodo absens, eoque mortuo, decretum unionis graece et latine conscriptum fuit, et in publica sessione lectum, latine quidem a Juliano S. Sabinae Cardinali, graece

(a) Mansi suppl. Concil. T. IV., Natal. Alex. Diss. 8. de Conc. Senens. et Basil. T. VIII., Aeneae Silvii Com. Hist. l. 3. de Conc. Basil. etc.

vero a Bessarione, cui Papa Eugenius, Cardinales, Imperator Joannes Palaeologus, et Ecclesiae utriusque Episcopi et Abbates, uno excepto Marco Ephesino, subscripsere. Decreti hujus articuli sequentes sunt: Spiritus Sanctus procedit per unam spirationem a Patre et Filio, veluti uno principio; 2. Particula *Filioque* ad dogma magis evolute confitendum Symbolo licite adjici potuit; 3. Eucharistia, sive in fermentato, sive in azymo non tantum valide, sed etiam juxta cujusvis Ecclesiae ritum, licite consecratur; 4. Datur Purgatorium, animae purgatorii fidelium precibus adjuvantur. Visio beatifica animabus plene purgatis non differtur. 5. Romanus Pontifex in universum orbem tenet Primatum, successor est B. Petri totiusque Ecclesiae caput, cui pascendi universalem Ecclesiam a Jesu Christo plena potestas tradita est. Quibus peractis, Graeci Florentiae discesserunt, et agente potissimum Marco Ephesino novam perfidiae notam sibi incusserunt. Post discessum Graecorum, Concilium Patres Basileenses veluti haereticos et schismaticos proscidit, et decretum pro unione Armenorum, quorum Patriarcha Apocrisarios illuc miserat, edidit, quo praeter dogma SS. Trinitatis, et Incarnationis, forma et materia Sacramentorum explicantur, demum tribus sessionibus sequentibus Amadeum Antipapam haereticum et schismaticum declaravit, decretum unionis cum Jacobitis edidit. Mortuo a. 1447 post multas aerumnas Eugenio IV electus est Nicolaus V vir pacis amantissimus, qui Felicem V a Carolo VII Galliae rege pressum ad deponendum Pontificatum adduxit, eumque primarium Cardinalem, Episcopum Sabinensem, et Vicarium perpetuum Sedis Apostolicae in quibusdam terris creavit; hinc dissolutum fuit etiam Conciliabulum Basileense (*a*).

§. 31. *Concordatum nationis Germanicae cum Sede Apostolica.*

Durante inter Basileenses et Eugenium IV dissensione, Germani neutralitatem profitebantur, donec dexteritas Æneae Sylvii eos in partem Eugenii inclinavit. Nicolaus V, qui Eugenio successit, anno 1448 ad Dietam Ashaffenburgensem, ab aliis Viennensem haud immerito dictam, quam Fridericus III imperator indixerat, misit suum Legatum Joannem de Carvajal, Cardinalem S. Angeli, ut cum natione Germanica pacisceretur. In hac pro retinendis, et dimittendis decretis Basileensibus acriter certatum; post multas demum concertationes, adnitente potissimum Aenea Sylvio imperatoris pro-

(*a*) Harduin. Collect. Concil. T. IX. p. 535., Mansi Concil. T. V. p. 197.

curatore, delinitis ecclesiasticis Electoribus, initum est concordatum Viennense, vel etiam Ashaffenburgense dictum, probabiliter inde quia Ashaffenburgi imperatori facultas data fuit illud ineundi. In hoc Concordato statutum fuit: 1. Ut Pontifex conferat omnia beneficia in curia Romana vacantia, i. e. illa beneficia, quorum possessores Romam profecti ibidem, aut loco intra duos dies ab urbe dissito, decesserint; nec non ea, quae per depositionem, translationem, abdicationem electionis aut postulationis rescissionem a Pontifice factam vacaverint; 2. Ut Capitula Ecclesiarum Metropolitanarum et Cathedralium, ac Monasteria jus habeant eligendi Episcopum et Abbatem; electio vero a Pontifice confirmetur, nisi Pontifex ex rationabili causa electo digniorem et Ecclesiae utiliorem substituat. 3. Ut majores post Pontificalem dignitates in Ecclesiis Cathedralibus, et principales in Collegiatis conferat Pontifex. In reliquis vero beneficiis conferendis Pontifex et Episcopus per menses alternent, unde Januarius, Martius e. s. p. menses papales dicti sunt; 4. Annatarum loco Pontifici de Episcopalibus et Abbatiis certae pecuniarum summae, (nonnulli dicunt annatas reductas fuisse ad quintam partem proventuum primi anni) de minoribus autem beneficiis dimidiae annatae intra duos a beneficio accepto annos, per modum gratuitae subventionis pendantur, ea tamen mitigatione, ut si idem beneficium uno anno saepius vacaverit, nonnisi semel solvantur; 5. Beneficia quorum annui redditus summam 24 florenorum non excedunt, ab omni tributo sunt libera.

§. 32. *Sanctio pragmatica in Gallia.*

Quum Basileenses per Legatos a Carolo VII Galliae rege expetiissent, ut decreta Basileensia reciperet, Rex a. 1408 Praelatos ac Proceres regni Avarici Biturigum congregavit, huicque conventui ipse praesedit. In hac congregatione, auditis tam Basileensium, quam Eugenii IV Legatis, lex condita est, qua decreta Basileensia perplura ad Ecclesiae reformationem spectantia cum quibusdam modificationibus, Regis auctoritate sanciebantur; et haec lex vulgo *Sanctio Pragmatica* audit. Constat titulis 23, quos inter eminent: 1. restitutio libertatis electionum Episcopalium secundum veterem formam, et abolitio nominationum Papalium, aut regiarum ad Episcopatus; 2. limitatio appellationum Romanarum, hoc fere modo, ut legitimus servetur ordo instantiarum, et causae in ultima demum instantia ad Curiam Romanam delatae non Romae dijudicentur, sed judicibus aliis nationalibus in partibus delegentur; 3. sublatio omnium annatarum, quae tantum Eu-

genio IV Papae ad tempus vitae adhuc concedebantur; 4. Auctoritas generalium Conciliorum supra Pontificem; 5. convocatio Concilii Generalis omni decennio facienda etc. Quamdiu Carolus VII regni Gallicani habenas moderabatur, Sanctio Pragmatica plurimum ibi auctoritate valebat; quidquid etiam Eugenius IV datis ad Regem literis moliretur. Idem postea animo agitabat Pius II Papa, antea Aeneae Sylvii nomine clarus, qui cum Carolo VII Galliae regi Sanctionis Pragmaticae abrogationem, scriptis ad eumdem literis acrioribus persuadere nequivisset, post aliquod tempus Ludovicum XI Caroli successorem eo adduxit, ut Rex anno 1461 Sanctionem Pragmaticam abrogaret. Pio defuncto, suprema Senatus Parisiensis Curia a. 1465 vindicias libertatum Ecclesiae Gallicanae adversus Aulam Romanam Ludovico XI obtulit. A quo tempore Sanctioni Pragmaticae suus iterum honos in Gallia redditus est (a).

§. 33. *Simultas inter Julium II Pontificem et Ludovicum XII Galliae Regem.*

Julius II anno 1503 Pontifex creatus a Venetis repetiit terras ad Patrimonium S. Petri spectantes, quas illi post mortem Alexandri VI occupaverant. Has cum Veneti reddere nollent, Julius cum Maximiliano imperatore, Ludovico XII Galliae et Ferdinando Hispaniae rege contra Venetos foedus pepigit. Veneti in arcto positi Julium Papam sibi reconciliarunt, ita ut non solum ipse a foedere resiliret, verum etiam Ferdinandum regem Hispaniae abstraheret, eidemque regni Neapolitani possessionem et investituram concederet. Rex Ludovicus ira inflammatus Ecclesiae Gallicanae conventum in urbem Turonensem congregavit anno 1510, ubi Antistites interrogavit: utrum Principi, salva conscientia, liceat, jus suum adversum Papam tueri, fidem pactorum per Julium violatam ulcisci et quatenus teneatur venerari arma spiritualia, in manibus aggressoris sui posita, et in causis temporalibus adhibita? Cum Regi ex animi conscientia ad propositas quaestiones fuisset responsum, is pro pacis studio, quo ducebatur, Legatos misit ad Pontificem, qui eum monerent, ut datam fidem servaret; sed Julius magis excanduit, et regi excommunicationem intentavit. Ad bellum igitur ventum est satis funestum, quo fervente, Ludovicus pessimo concilio coepit cum Maximiliano imperatore de concilio propria auctoritate cogendo, ad Julium Papam in ordinem redigendum, novumque

(a) Cosmas Guernierius du Puy comment. in Tractat. Libert. Eccles. Gall., Gobelinus Comment. L. VII.

Pontificem constituendum agere. Id Conciliabulum Pisanum dictum, Pisis inchoatum est an. 1511 tribusque sessionibus absolutum. Cum vero Pisani huic conventui non foverent, imo seditio adversus Synodales excitaretur, Synodum Pisis Mediolanum transtulere. Ibi monitorium editum est contra Pontificem, ut intra 24 dies attentata contra Synodum rescinderet. Cum vero Julius neque hoc praestare, nec synodo se sistere voluisset, contumaciae accusatus, et ab omni Pontificatus administratione, tam in spiritualibus quam in temporalibus suspensus est (a).

§. 34. *Concilium Lateranense V.*

Cum Julius Maximilianum Imperatorem sibi reconciliasset, ut conatibus Ludovici XII obicem poneret, Concilium Romae celebrandum instituit, quod inter Lateranensia numeratur quintum. Concilium hoc oecumenicum 4 nonas Maji a. 1512 praesidente ipso Papa coeptum et sessionibus 12 absolutum est, quarum prioribus quatuor praefuit Julius II, quintae Raphael Cardinalis Episcopus Ostiensis, Julio II lethali morbo decumbente. Eo mortuo promotus fuit in ejus locum Joannes Mediceus, Florentinus, patre natus Laurentio tota Italia celeberrimo, dictus in Pontificatu Leo X qui statim concilii continuationem declaravit, et promulgavit, Cardinales, et alios Praelatos, qui fuerant Pisani concilii auctores veniam depraecantes, imposita salutari poenitentia, censuris absolvit, et ad pristinas dignitates admisit, atque Procuratores Ludovici XII Regis comiter et perhumane in Concilio excepit, qui Regis nomine Pisanum conventum ejurantes Leoni obedientiam praestiterunt. Ipse vero Ludovicus tot casibus agitatus vita excessit a. 1515 eique in regno successit Franciscus Valesiorum Dux, Ludovici gener. Adfuerunt huic concilio 114 Episcopi pene omnes Itali. In sessione prima ordinantur Concilii praeliminaria, et creantur officiales. Sessione II et III damnantur conciliabuli Pisani acta, ac decernuntur poenae in schismaticos Cardinales, aliosque conciliabuli Pisani auctores. Sessione IV lectae sunt literae patentes Ludovici XI Gallorum Regis, ad Pium II Papam, Pragmaticam Sanctionem abrogantes, ejusque proscriptio postulata. Sessione V electio Rom. Pontificis, quae simoniace fieret, irrita pronuntiatur, Cardinales vero sic eligentes poenis canonicis subjiciuntur. Sessione VI praeside Leone X habita diversi designantur Praelati, quorum alii Curiae Apostolicae reforman-

(a) Guicciard. Hist. sui temp. l. 11. p. 4., Bicker hist. Conc. g. l. 4. c. 2

dae, alii fidei propagandae alii pragmaticae sanctioni abolendae operam navent. Sessione VII lecti sunt supplices libelli Bernardini Carvojal et Friderici a S. Severino schismaticorum Cardinalium, quibus illi ejurato schismate et Conciliabulo Pisano, veniam postularunt, pristinae dignitati propterea restituti. Sessione VIII damnantur omnes Averrois Arabis asseclae contendentes, animam rationalem mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus. Sessionis IX Bullae reformationis Romanae Curiae ex ambone leguntur, et multiplices constitutiones promulgantur ad corrigendos Clericorum mores. Sessione X declaratur, Montes, qui dicuntur pietatis, non esse usurarios, sed justos ac licitos, nec libros novos imprimendos, nisi praecesserit examen, et Approbatio Inquisitoris haereticae pravitatis, aut ordinarii Praelati sub poena excommunicationis. Sessione XI ad obedientiam summi Pontificis deputati Patriarchae Maronitarum admissi, lata etiam lex concionatoribus servanda, lecta simul et approbata concordata Bononiae inita inter Leonem X Papam et Galliae regem Franciscum I, quae in locum abolitae Sanctionis pragmaticae substituuntur. Principalia puncta eorum erant sequentia: 1. Sublatis Capitulorum electionibus, Regi Galliae potestas tributa Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Praelatos Regni sui intra sex a die vacationis menses designandi, relicto Pontifici, eos confirmandi jure; hoc autem ex causis canonicis confirmationem denegante, Rex post trimestre alios nominare debeat, Rege autem cunctante, jus collationis ad Papam devolvebatur. 2. Pontifici reservatum fuit jus beneficia Regni Gallicani in Curiâ Romana vacantia conferendi. 3. Statutum, ut ex nominandis ad beneficia saltem tertia pars sit insignita gradu doctorali ex Theologia vel jure canonico. 4. Pontifici annatae concessae et causae canonicae majores, in jure canonico designatae ejusdem foro conservatae, at expectativae et reservationes beneficiorum pontificiae abrogatae sunt. 5. Vetitum est appellare omissis instantiis intermediis. 6. Decretum, ut loca interdicto non subjiciantur, nisi domini, vel magistratus dederint ansam, et ut illi soli excommunicati sint vitandi, qui qua tales per sententiam judicis fuerit denuntiati. Sessione XII qua Concilium dirimitur, excommunicantur, quicumque domos Cardinalium tempore electionis novi Pontificis invadunt; omnia et singula in synodo statuta et gesta confirmantur, denique ad expeditionem contra Turcas exequendam, decimae fructuum ex Ecclesiis, monasteriis et beneficiis indicuntur (a).

(a) P. Jovii vit. Leon. X. in vit. ill. vir. T. II. p. 5., Petrus de Marca Concord. imp. et sacerd. p. 824., Harduin. Conc. T. IX., Rihar. Hist. conc. general. L. IV. Part. II.

§. 35. *Modus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas.*

Regulariter Episcopatus et Abbatiae Capitulorum electione conferebantur. Si autem electio canonibus adversabatur, aut electus indignus erat, vel moriebatur in Curia Romana, aut ad aliam Ecclesiam transferebatur beneficiatus, tunc Pontifex jus conferendi beneficium sibi reservaverat. Hisce reservationibus, contra quas nationes reclamabant, modus positus est in Anglia, Germania, et Gallia per concordata. Hinc inde, et potissimum in Gallia, in locum electionis introducta fuit nominatio regia.

Electionem R. Pontificis quod attinet, cum Nicolai II decretum dissidia in electione Pontificis non praecaveret, Alexander III in Concilio Lateranensi III an. 1179 statuit, ut legitimus Pontifex non sit, nisi ille, in quem duae partes Cardinalium eligentium consenserint; qui vero a minori parte electus Pontificatum usurpaverit, is excommunicetur cum asseclis, et solummodo in articulo mortis absolvatur. Cum Cardinales tum alias, tum praesertim post Clementis IV obitum ob diversa studia electionem Pontificis ad duos annos et novem menses protraxissent, Gregorius X Clementis IV successor, ut huic malo mederetur anno 1474 in Concilio Lugdunensi II celeberrimam constitutionem de Conclavi edidit, qua statuit: ut si Cardinales in civitate in qua Pontifex moritur, praesentes fuerint, absentes decem diebus tantummodo expectare teneantur, quibus elapsis, omnes conveniant in palatio, in quo Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo Clericis vel Laicis servientibus. In eodem autem palatio unum conclave omnes habitent, et claudatur (servato libero ad secretam cameram aditu): undique ita, ut nullus intrare valeat, vel exire, exceptis iis, qui de voluntate omnium Cardinalium, pro iis tantum, quae ad electionis negotium pertinent, vocantur. Nulli etiam fas sit, ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuntium mittere, vel scripturam. Qui vero contra fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Si inter tres dies, postquam conclave intraverint, non fuerit electio Pontificis peracta, per spatium quinque dierum, singulis diebus tam in prandio quam in coena, uno solo ferculo sint contenti. Quibus electione non facta decursis, panis tantum, vinum et aqua eisdem ministrentur; electionis quoque hujusmodi pendente negotio, nihil de camera Papae recipiant. Cardinalibus absentibus nil juris relictum est obmovendi quidpiam adversus peractam electionem (*a*).

(*a*) Mansi T. XXIV p. 37. seqq.

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. *Scriptores Saeculi XI et XII Graeci.*

Celebriores Scriptores in Ecclesia Orientali fuere: Theophylactus Acridae Archiepiscopus et totius Bulgariae Metropolita, vir doctissimus, qui referente Baronio ab anno 1061, et ultra annum 1081 non mediocrem sibi famam paravit, interpraetando Scripturae sacrae clarus, cujus etiam sequentia supersunt monumenta: 1. Commentaria in quatuor Evangelia, in Acta Apostolorum, in epistolas S. Pauli, in Habacuc Jonam, Nahum et Osee; 2. Oratio in adorationem Crucis, Epistolae variae et Institutio Regia ad Constantinum Porphyrogenitum, etc.

Euthymius Zigabenus professione monachus S. Basilii, mandato Alexii Comneni scripsit Panopliam dogmaticam orthodoxae fidei adversus omnes haereses, Commentaria in quatuor Evangelia et in Epistolas S. Pauli, nec non Catenam in Pentateuchum.

Theodorus Balsamon, Patriarcha Antiochenus cui debentur; 1. Commentaria in canones Conciliorum et canonicas Episcoporum epistolas; 2. Commentarius in Nomocanonem Phocii; 3. Responsa varia et imperatoria edicta causas ecclesiasticas spectantia; 4. Meditationes, sive responsa varia ecclesiastica, etc.

Joannes Zonaras Aulae Proto-Secretarius ab Alexio Comneno imperatore creatus, deinde monachus Ordinis S. Basilii, posteris reliquit; 1. Chronicon, seu annales ab orbe condito ad annum 1118; 2. Commentarios in canones Apostolorum et sacrorum Conciliorum nec non in epistolas canonicas SS. Patrum Dionisii et Petri Alexandrinorum, Gregorii Thaumaturgi et Basilii; 3. Canonem de S. Virgine.

Michael Glycas, vir variarum disciplinarum, praesertim historicarum gnarus, scripsit Annales ad annum usque 1118 pertingentes, atque plures Epistolas, quarum nonnullae ad Constantinum Palaeologum Caesarem scriptae sunt.

§. 2. *Scriptores saeculi XI et XII Latini.*

S. Anselmus circa an. 1034. Augustae in Pedemontio natus, discipulus Lanfranci prius monachus deinde Abbas Beccensis ac tandem ob ingenium et vitae sanctitatem a Guillelmo II Angliae Rege ad Archiepiscopatum Cantuariensem evectus an. 1093.

Cum summam pecuniae in vicem gratitudinis quasi pro collata tanta dignitate Regi solvere nollet, ad declinandam regis persecutionem Romam devotionis causa profectus est, ac deinceps Lugduni permansit usque ad obitum Guillelmi. Regnante in Gallia Henrico I, Anselmus novis de jure Investiturarum litibus est implicitus. Cum enim in Angliam redux Archiepiscopatum de manu ejus recipere nollet, Rex denique Anselmum secum transigere coegit, ut scilicet Investiturae solemnitas quidem abesset, salvum tamen maneret juramentum Regi praestandum. Inter ejus opera eminent: Monologium, seu soliloquium, in quo existentiam Dei, et attributa philosophice demonstrat; et Proslogium, liber apologeticus contra Gaulionem, Libri duo contra Gentiles: Cur Deus homo; de conceptu Virginis, et originali peccato; Dialogi de Veritate; de libero arbitrio, de casu diaboli; Liber de concordia praescientiae, praedestinationis, et gratiae Dei cum libero arbitrio; Dialogus de passione Domini; denique varii tractatus ascetici.

Rupertus natione Germanus, Ordinis S. Benedicti monanachus, et coenobii Tuitiensis Abbas, virtute ac pietate eximius, perplures lucubrationes argumenti exegetici reliquit, quibus praestant; 1. Commentaria in multos S. Codicis libros; 2. Libri 42 de SS. Trinitate et operibus ejus; 3. Libri 13 de victoria Verbi Dei ad Canonem Abbatem scripti; 4. Libri 12 de divinis officiis; 5. Libri 4 in Regulam S. Benedicti; 6. Libri 9 de glorificatione Trinitatis et de processione Spiritus Sancti etc.

S. Bernardus an. 1091 Fontanis in Burgundia nobilibus parentibus natus, jam puer in vitam piam et asceticam propendens, an. 1113 monasterium Cisterciense nuper fundatum ingressus, et post duos annos monasterii Clarevallensis ejusdem Ordinis Abbas constitutus est. S. Bernardus fuit saeculi sui lumen et decus, et quoniam suavissima eloquentia pollebat, Doctor mellifluus appellatus est. Sua scientia, eloquentia et virtutibus ingentem nominis famam, tantamque apud omnes venerationem et auctoritatem nactus est, ut reges et Pontifices ei obtemperarent, et gravissima in utraque republica negotia secundum ejus voluntatem dirigerentur. Obiit an. 1153. Ex ejus operibus potiora sunt: Libri 5 de consideratione ad Eugenium Papam III, olim ejus discipulum; tractatus de moribus et officio Episcoporum; liber de eligendo Deo; tractatus de praecepto et dispensatione; tractatus de gratia et libero arbitrio; liber de vita et gestis Malachiae Armecani in Hibernia Archiepiscopi Epistolae et perplures sermones.

Petrus Lombardus, a patria sic cognominatus, Petri Abelardi discipulus et scolasticorum facile princeps, Theologiae Professor Parisiensis, Canonicus deinde Carnotensis, demum

ab anno 1159 Parisiensis Archiepiscopus, vir summae auctoritatis, mortuus an. 1164 et post obitum apud Alexandrum III haereseos nomine delatus. Praeter Glossas in Psalterium et in epistolas S. Pauli etiam scripsit quatuor Libros Sententiarum, dictus propterea Sententiarum Magister. In interpretanda Scriptura Sacra sententiis S. Augustini presse institit.

Petrus Blassensis, Archidiaconus Londinensis scripsit Epistolas 138, sermones 65 et varios Tractatus, quorum memorabilior est Tractatus de Pastoribus, sub titulo: Quales sunt: in quo mira suspicitur dicendi libertas.

Petrus Mauritius, cognomento Venerabilis, nobili stemmate in Alvarnia natus, ex milite monachus et Abbas Cluniacensis, posteris reliquit: 1. Libros 4 Epistolarum; 2. Tractatus adversus Judaeos; 3. Tractatus adversus Petrobrusianos; 4. Libros 2 de miraculis sui temporis; 5. Sermones quatuor; 6. Hymnos et Rhytmos quosdam, nec non statuta Congregationis Cluniacensis.

§. 3. *Scriptores Graeci Saeculi XIII, XIV, XV.*

Nicetas Acominatus, primum Secretarius, deinde Logotheta sub Alexio Comneno et Isaccio Angelo imperatoribus, scripsit Historiam ab obitu Alexii Comneni imperatoris, ubi desierat Zonaras, usque ad annum 1203 libris 21 deductam, et libros 5 thesauri orthodoxae fidei.

Gregorius Pachymeres, acerrimus Latinorum hostis, cui debentur; 1. Paraphrases Aristotelis et Dionysii Areopagitae nondum impressae; 2. Historia rerum Byzantinarum sub Michaele et Andronico Palaeologis, ab anno 1258-1308; 3. Tractatus de processione Spiritus Sancti, et quaedam minora scripta philosophica.

Nicephorus Calixtus, anno circiter 1333 florens, vitam probabilius monasticam in S. Sophiae Asceterio professus, ex Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii, aliorumque monumentis Historiam Ecclesiasticam libris 18 contexuit.

Nicephorus Gregoras, Ecclesiae Constantinopolitanae Cartophylax, deinde Monasterii incola, Historiae Byzantinae libros 11 scripsit, quibus res a Constantinopoli per Latinos capta usque ad annum 1761 complexus est. Multa praeterea exaravit scripta philosophica et theologica.

Gregorius Phranza, illustri stemmate ortus, primum imperatoris camerarius, deinde magnus imperii Logotheta, tandem monachus, Chronicon rerum Byzantinarum ab an. 1259-1477 libris 4 exaravit.

Baessarion, patria Trapezuntius, ex monacho S. Basilii Archiepiscopus Nicaenus; unionis utriusque Ecclesiae in Con-

cilio Florentino insignis promotor, et vel propterea ab Eugenio IV Cardinalis creatus, a Nicolao V. Episcopus Sabinensis, mox Tnsculanus dictus, Patriarchae etiam Constantinopolitani dignitate auctus, variisque legationibus Sedis Apostolicae nomine functus, quieruditos Graeciae viros, expugnata Constantinopoli, in Italiam profugos tecto, animoque recepit, et Rem-publicam Venetam copiosissimae Bibliothecae haeredem instituit, mortuns Ravennae an. 1472, Praeter Tractatum de Sacramento Eucharistiae, et Verbis Christi, quibus ejus corpus conficitur, Librum de Spiritu Sancto adversus Marcum Ephesinum, et alterum ejusdem argumenti adversus Alexandrum Lascarem, nec non multa alia scripta magis philosophica, quam theologica posteris reliquit.

Georgius Gemistius Platho, Baessarionis in philosophia Platonica praeceptor, in Concilio Florentino unioni aliquandiu contrarius, postea Latinorum causae magis favens, quo in primis auctore, Cosmus Medicaeus Platonicae philosophiae, ita incensus est, ut celeberrimam Academiam Platonicam Florentiae institueret. Extant hodiedum plura ejusdem scripta philosophica et theologica.

§. 4. *Scriptores Latini saeculi XIII.*

Alexander Halensis, Anglus, vir pietatis eximiae, in facultate Parisiensi Theologiae et Philosophiae Doctor, S. Bonaventurae praeceptor, singulare Ordinis Fratrum Minorum lumen, et ab iis Doctor irrefragabilis dictus, Lutetiae Parisiorum an. 1245 mortuus. Ejus permulta scripta partim scripturistica, partim theologica recenset Waddingus in Bibliotheca Ordinis Minorum.

Hugo de Sancto Caro, ex Barzinoneta Delphinatus oppido oriundus, Dominicanus, Theologiae in facultate Parisiensi Doctor, primus Ordinis Cardinalis ab Innocentio IV creatus, mortuus Lugduni an. 1264, qui praeter postillam in universam Scripturam Sacram, etiam Concordantias Bibliorum quas deinde Conradus Halberstadiensis, additis dictionibus indeclinabilibus, locupletavit.

S. Thomas Aquinas, nobilissima Comitum Aquinatum familia ortus an. 1225 in Arce Roccasicca in regno Neapolitano, a puero educatus apud monachos Cassinenses, tantoque monasticae vitae amore captus, ut invita matre et familia Ordinem ingrederetur Dominicanorum, nec ulla ratione ab eo instituto revocari posset, vir eruditione et modestia plane incomparabilis, Alberti Magni discipulus, Theologorum facile princeps, propter egregia scripta et morum innocentiam Doc-

tor Angelicus dictus, in celeberrima facultate Parisiensi, Romae, Bononiae, Pisis, et Neapoli docendi munere functus, recusato Archiepiscopatu Neapolitano a Clemente IV sibi oblato, mortuus an. 1274 in monasterio Fossae Novae Cisterciensis Ordinis, ad quod diverterat, in Gallias iter faciens, ut Concilio Lugdunensi II, de mandato Gregorii X interesset, et a Joanne XXII in Sanctorum numerum relatus an. 1328. Scripta ejus octodecim tomos in folio efficiunt, quorum alia sunt philosophica, theologica alia. Maxime autem celebrantur: 1. Commentarii in Aristotelem; 2. In quatuor libros sententiarum; 3. Expositio in librum Job, in 50 priores psalmos, in Cantica canticorum, in Joannem et in omnes epistolas Pauli; 4. Catena aurea in 4 Evangelistas; 5. Summa catholicae fidei contra gentiles; 6. Summa theologiae; 7. Quaestiones disputatae de variis materiis dogmaticis et moralibus; 8. Expositio missae, Officium de festo Corporis Christi; 9. Sermones pro dominicis diebus, et pro Sanctorum solemnitatibus etc.

Sanctus Bonaventura, antea Joannes de Fidanza, Balneoregii in Hetruria a. 1221 natus, Parisiis educatus, ibidemque eodem cum Sancto Thoma Aquinate die primus ex ordine Sancti Francisci, cui nomen dederat, Theologiae Doctor creatus, et professor constitutus, annos vix 34 habens Ordinis Franciscani Minister Generalis, ac deinde Albanensis Episcopus, et Ecclesiae Romanae Cardinalis a Gregorio X renunciatus anno 1274, vir profundus, subtilis ac disertus vulgo Doctor Seraphicus dictus, durante Concilio Lugdunensi II, cui interfuit, mortuus, a Sixto IV a. 1482 in Sanctorum numerum relatus, et a Sixto V inter Ecclesiae Doctores conscriptus. Ex ejus scriptis notanda veniunt; 1. Commentarii in varios Scripturae S. libros, et in libros sententiarum Petri Lombardi; 2. Breviloquium, in quo de principalibus fidei dogmatibus agit, v. g. de Deo, de Trinitate, de creatione, de peccato, de Incarnatione etc.; 3. Soliloquium; 4. Itinerarium mentis ad Deum; 5. Plurimi parvi tractatus morales, mystici et ascetici, v. g. de vitiis et eorum remediis, de virtutibus cardinalibus, de institutione vitae christianae etc. 6. Plures sermones sacri de tempore et de sanctis; 7. Varia opuscula ad Monachos etc. etc.

Albertus M., Suevus, ex nobili Bolstandiensium stirpe, Magnus a stupenda dictus eruditione, religiosus Dominicanus, suique ordinis in Germania Provincialis, celeberrimus SS. Literarum Coloniae primum, deinde Parisiis interpres, Thomae Aquinatis praeceptor, ab Alexandro IV Episcopus Ratisbonensis creatus, cui dignitati, cum aliquandiu invitus, reluctante literarum amore, praefuisset, abdicato Episcopatu Coloniam

reversus, scholis theologicis regendis, librisque scribendis totum se devovit, mortuus Coloniae a 1280. Ejus opera dialectica, mathematica, physica, methaphysica, ethica et theologica 21 tomos in folio implent. Potiorem mentionem merentur; 1. Commentarii in plures Scripturae S. Libros, et in 4 Libros Magistri sententiarum; 2. Summa Theologiae; 3. Libellus de adhaerendo Deo; 4. De virtutibus; 5. Libri XII de laudibus B. V. Mariae; 6. Plures sermones sacri, inter quos 32 de Sacramento Eucharistiae etc.

Rogerius Bacconus, gente Anglus, splendida satis familia natus Ordinis S. Francisci ab anno 1240 sodalis, Theologiae Doctor Oxoniensis, a sui temporis hominibus Doctor Mirabilis salutatus, qui mira solertia et sagacitate excogitavit microscopia, telescopia, specula ardentia, aliasque machinas, communem hominum captum vel longissime superantes. Viri hujus plura scripta theologica, philosophica et chemica extant, inprimis celebrantur; Liber de situ orbis; Compendium studii theologici; de speculis ardentibus, de utilitate scientiarum etc.

Jacobus de Varagine, Ligurum oppido, primum Ordinis Praedicatorum in Lombardia Provincialis, deinde Genuensis Archipraesul a Nicolao IV renuntiatus, mortuus an. 1298. Biblia sacra primus in italicam linguam summa fide et diligentia transfudit. Scripsit vitas Sanctorum, sub titulo: Legenda inaurata: Sermones de tempore et de Sanctis; Mariale seu librum de laudibus Deiparae Virginis, denique Gennense Chronicon.

Jacobus de Vitriaco, Canonicus regularis coenobii B. Mariae Ogniacensis, Cardinalis a Gregorio IX creatus scripsit; 1. Historiae orientalis et occidentalis libros tres; 2. Vitam S. Mariae Ogniacensis; 3. Conciones in Evangelia et Epistolas totius anni.

Aegidius patria Romanus ex amplissima Columnensium familia, Ordinis Eremitarum S. Augustini Prior Generalis, deinde ab an. 1294 Bituricensis Archiepiscopus, ob eximiam eruditionem Doctor fundatissimus dictus, Avenione mortuus an. 1316. Multa scripsit philosophica, theologica et moralia. Ex theologicis notanda veniunt; 1. Libri duo in Exameron; 2. Commentarii in Cantica Canticorum, in Epistolas S. Pauli ad Romanos et I ad Corinthios, in primum et secundum librum sententiarum Petri Lombardi; 3. Compendium theologiae; 4. Liber de potestate ecclesiastica et laica tempore dissidii Bonifacii VIII cum Philippo Pulchro.

§. 5. *Scriptores latini saec. XIV.*

Ex ingenti scriptorum latinorum multitudine, quos Saeculum XIV tulit, praestantiores tantum ingenio et eruditione seligam: Joannes Duns Scotus, probabiliter ex Scotia oriundus, juvenis adhuc Franciscanorum Ordinem ingressus, Doctor Subtilis vulgo dictus, anno circiter 1301 evocatus ad Universitatem Oxoniensem, ubi admirabili cum applausu docuit, ac triennio post a Franciscanis Lutetiam accitus, Doctoratus insignibus condecoratus, scholarumque theologicarum Rector designatus, an. 1308 mortuus Coloniae Agrippinae, quam illo urbem, jussu sui Generalis petierat, pubblici Doctoris munus obiturus. Scripta ipsius partim philosophica, partim theologica (*a*) collegit Ludovicus Waddingus (*b*).

Durandus a S. Portiano, Avernus, Ordinis S. Dominici sodalis, in theologica facultate Parisiensi Doctor, Sacri Palatii Magister, postea Episcopus Aniciensis, demum ad Meldensem Episcopatum translatus, Doctor vulgo resolutissimus dictus, mortuus an. 1334. Praeter Commentarios in 4 Libros sententiarum scripsit Librum de Jurisdictionum origine; Tractatum de statu animarum sanctarum a corpore resolutarum; Quaestiones theologicas et Quodlibeta.

Thomas Bradvardinus, gente Anglus, Doctor profundus cognominatus, Professor in Universitate Oxoniensi, et Cancellarius Ecclesiae cathedralis Paulinae Londinensis, multa reliquit scripta philosophica, mathematica ac theologica.

Guilelmus Occamus, natione Anglus, genere vitae Franciscanus, Scoti discipulus, sectae philosophorum nominalium coryphaeus, a Joanne XXII excommunicatus, mortuus Monachii an. 1347. Inter ejus scripta eminent; 1. Dialogus inter Magistrum et discipulum; 2. Quaestiones et decisiones 8 de potestate Papae; 3. Disputatio de potestate ecclesiastica et saeculari etc.

Nicolaus Lyranus, Normannus, Lyrae in dioecesi Ebroicensis natus, Franciscanus, Doctor Parisiensis, et in magno Franciscanorum Conventu Parisiis per plures annos Scripturae S. interpres, mortuus an. 1340. Dictus est vulgo Doctor planus et utilis, Brevia scripsit in universam Scripturam S. Commentaria; Tractatus contra Judaeos; Librum de Corpore Christi; Commentarios in Libros sententiarum etc.

(*a*) Tractatus XVI. (*b*) T. I. Xtt. Lugd. 1659. t.

Joannes Gersonius ex patria sic dictus, Theologiae in Academia Parisiensi Professor, deinde ejusdem Academiae Cancellarius, mortuus Lugduni a. 1420. Scripta ejus, quorum magna est multitudo, pleraque minoris quidem molis suut, veritatibus plena, distingui possunt in hierachica, dogmatica, moralia, mystica, pastoralia et miscellanea.

Petrus de Alliaco, Cameracensis Episcopus et in Cardinalium Collegium a Joanne XXIII cooptatus, mortuus est a. 1425. Praeter Commentarios in 4 libros Magistri Sententiarium, scripsit quaestiones in Hexameron, Commentarios iu Psalterium, in 7 Psalmos poenitentiales, in Cantica Canticorum, et Librum in ipso Concilio Constantiensi de Ecclesia et Conciliorum auctoritate.

Alphonsus Tostatus, gente Hispanus, Doctor Salmauticensis vir ingenio, judicio, et eruditione plane eximius, Episcopus Abulensis, mortuus quadragenario haud major, a. 1454. Commentariorum in utrumque Testamentum 24 graudia volumina, et alia varii argumenti opuscula edidit.

S. Antouinus Florentiuus ab urbe Patria sic dictus, Ordinis Praedicatorum, deinde Florentinus Episcopus, et Auditor Rotae Romanae vir insignis pietatis, mortuus a 1459, ac coelitibus adscriptus a. 1520. Inter ejusdem opera eminent; 1. Summa historialis, seu Chronicou tripartitum; 2. Summa theologica; 3. Summa confessionalis.

Thomas a Kempis, cognomento Malleolus, modico in dioecesi Colonieusi oppido ad Rhenum oriundus, Canonicus Regularis S. Augustiui. Sub ejus nomine editi sunt 4 Libri de imitatione Christi, ut taceamus sermoues varios et Tractatus: obiit a. 1471.

Diouysius de Rykel, ex dioecesi Leodieusi, monachus Cartusianus, doctor estaticus dictus, scripsit; 1. Commeutarios iu totam Scripturam; 2. Enarratioues in omues epistolas et evaugelia totius anni; 3. Summam fidei orthodoxae; 4. Octo libros dialogorum de fide; 5. Libros 5 coutra Koranum: obiit a. 1471.

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Ejus capita praecipua.*

Non obstantibus haereticorum molimiuibus, eamdem semper et immotam perseverasse fidei, morumque doctrinam, haud

negabit, qui Scriptorum ecclesiasticorum volumina, et conciliorum acta vel oculo volanti perlustraverit. Plura fidei dogmata, quorum mentio expressa quidem in Scripturis Sacris, et in symbolis antiquioribus non occurrit, quae tamen in traditione adservata sunt, veritatis declarandae gratia, et imminente necessitate, hoc aevo uberius exposita, pleniorique in luce collocata, aut si mavis, definita fuere. Sic in Concilio Lateranensi II a. 1197 definitum fuit contra Valdenses, potestatem valide administrandi Sacramenta in Sacerdote improbo perseverare, dummodo adsit in ipso intentio necessaria, saltem faciendi id, quod facit Ecclesia. Quod dogma eucharisticum attinet, hoc aevo nihil novi definitum, ut falso conjiciunt novatores, sed antiquissima Ecclesiae doctrina de commutatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi a Concilio Lateranensi IV can. 1 veluti fidei dogma proposita, et vocabulum Transubstantiationis synodali auctoritate consecratum est. Divinum confessionis Sacramentalis praeceptum aperte supponit eadem Synodus, cum canone vigesimo primo illius tempus determinat, ac modum, ut nimirum omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, injunctam poenitentiam pro viribus adimpleat, suscipiatque reverenter ad minus in Paschate Eucharistiae Sacramentum: alioquin et vivens ab Ecclesiae ingressu arceatur, et moriens christiana careat sepultura. In concilio Lugdunensi II aeque, ac Florentino Ecclesiae Catholicae doctrina de Spiritus S. a Patre Filioque processione, quae antiquum erat fidei depositum, adversus Graecos distinctius ac antea exposita, et declaratum est, in additione particulae *Filioque* neque contrarium, neque adversum quid adjectum fuisse, sed fidei, confessioni et symbolo Patrum congruum et conveniens. Dogma catholicum de Ecclesia vera, non e solis praedestinatis conflata de facto confirmatum est a Concilio Constantiensi, quod sessione XV praeter alias plures Joannis Huss propositiones, et sequentem confixit ceu erroneam: « Unicam esse sanctam universalem Ecclesiam, quae est Praedestinatorum universitas. » Patres Concilii Florentini in Decreto unionis fidem orthodoxam luculentissime explanarunt de igne purgatorio, Purgatorii quidem poenas et preces ad animarum hujusmodi poenis addictarum liberationem aut levamen utiles admittentes, at poenas illas ignis cruciatu haud definientes. In eodem Concilio definitum fuit: Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, successorem esse B. Petri, totiusque Ecclesiae caput, eidemque pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Jesu Christo

plenam potestatem traditam esse; In Decreto Eugenii IV de Armenorum institutione doctrina Ecclesiae Catholicae de septem Sacramentis, solide stabilitur, et statuit: septem Ecclesiae Sacramenta esse, nec plura nec pauciora; cui decisioni non solum praescriptio, sed etiam utriusque Ecclesiae Latinae et Graecae consensus patrocinatur. Reliqua Ecclesiae dogmata suis locis commemorabimus (*a*).

§. 2. *Controversia de Immaculata conceptione B. V. Mariae.*

Sententia pia: Beatissimam Virginem Mariam sine originis labe fuisse conceptam, jam antiquioribus Ecclesiae saeculis haud erat ignota, nec in ipso Patrum coetu deerant, qui in laudem Mariae nonnulla proferrent huic doctrinae affinia. S. Augustinus nihil aliud significare voluisse videtur, scribens: « Cum de peccato agitur, de B. Virgine quaestionem esse nolo » (*b*). S. Hieronymus de Maria ita scripsit: « Vere hortus deliciarum..., sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis » (*c*). Res majori attentione digna visa est, cum anno circiter 1140 Canonici Lugdunenses festum immaculatae conceptionis B. V. Mariae, inconsulta, Sede Apostolica, in sua Ecclesia celebrarent, hanc inter alia thesin tuiti: Mariam Virginem peccati omnis et maculae expertem fuisse conceptam. Festi hujus novitas viros recepti moris tenaciores mire offendit; imo S. Bernardus Claravallensis, scripta ad Canonicos Lugdunenses epistola, eos perstrinxit, quod novam induxerint celebritatem, quam ritus Ecclesiae nescit etc. Ceterum vir Sanctus, et celebris Mariae laudator, sententiam suam ex Ecclesiae auctoritate totam suspendit. Piam de immaculata conceptione sententiam clypeo suae auctoritatis defendebant Ordinis Seraphici Sodales, et eorum coryphaeus erat initio saec. XIV. Joannes Duns Scotus, qui in suis scriptis propugnavit: Deum potuisse, decuisse, et fecisse, ut B. V. Maria sine macula originali conciperetur. Franciscanis se opposuerunt Fratres Praedicatores, praeeunte S. Thoma Aquinate inter alia scribente: « Mariam in peccato conceptam....., sed post conceptionem sanctificatam fuisse. » Inde acerrimae lites *Thomistarum* et *Scotistarum* ortae sunt, satis longa serie annorum agitatae, pacique ecclesiasticae inimicissimae. Ad eas igitur componendas Concilium Basileense Sessione XXXVI doctrinam de immaculata Conceptione

(*a*) Mansi Collect. Conc. (*b*) Lib. de nat. et grat. c. 36. (*c*) Lect. 2. Noct. in Festo Concept.

strepitum excitarunt sententiae theologicae Petri Abaelardi, natione Galli, in quibus multae argutiae dialecticae et insolentes, termini philosophici circa mysteria Religionis reperiebantur, ac publica censura notabantur. Is enim in doctrina dogmatum ab eo progressus principio: debere Christianum a fide recedere, si intelligere non valet; de natura Dei, et de mysterio SS. Trinitatis argute adeo ac temere disputavit, ut a Conciliis et privatis Doctoribus haeretica labes ipsius nomini adspergeretur. Summa errorum ejus in Compendium retulit S. Bernardus Clarevallensis, inter alia pronuntians: eum cum de Trinitate loquitur, sapere ut Arium, cum de gratia, sapere Pelagium, cum de persona Christi, Nestorianum. Propter doctrinae, quam ore, scriptisque tradidisse ferebatur, novitatem, Petrus Abaelardus in Concilio Suessionensi, quod Radulphus Rhemensis Archiepiscopus a. 1121 coire jusserat, non tantum multiplicis erroris contra rectam fidem accusatus, sed etiam librum de Trinitate, a se exaratum, flammis tradere, et Symbolum S. Athanasii ex scripto recitare compulsus est, quo magis hominis novatoris superbia retunderetur. Etiam in altero Concilio Senonensi anno 1140 celebrato, Ludovico VII Rege, S. Bernardo, aliisque viris praesentibus, doctrina Abaelardi examinata et damnata est. Quum vero Capitula ex ipsius libris excerpta palam praelegerentur, ipse nolens recantare, concilio se subduxit, et ad Innocentium II appellavit, qui tamen acceptis Concilii et S. Bernardi litteris, non modo Senonensium decreta confirmavit, sed etiam libros Abaelardi concremari, eumque, perpetuo indicto silentio, custodiae mandari jussit. Sedavit denique hanc tempestatem prudens charitas Petri Venerabilis Cluniacensium Abbatis, qui Abaelardum S. Bernardo et Innocentio II reconciliavit, eique blandis verbis persuasit, ut reliquam vitae partem extra tricas Scholasticorum in Cabillonensi Cluniacensium monasterio transigeret. Eum vero emendatum et poenitentem obiisse, testis est Petrus Venerabilis in epist. ad Heloissam, idemque confirmat Cronicon Cluniacense (*a*).

§. 4. *Gilbertus Porretanus*, *Roscellinus*.

Brevi tempore post S. Bernardus aliud certamen satis acre sustinuit cum Gilberto Porretano, Episcopo Pictaviensi, qui cum in pluribus Galliae urbibus, maxime Parisiis philosophiae ac theologiae praecepta profiteretur, de rebus divinis dispu-

(*a*) Abaelardi Introd. ad Theolog. L. II. c. 1. S. Bernardus ep. 190. ad Innoc. II., S. Bernardus ep. ad Ivonem Cardin. 193., Otto Frising. etc.

tans, inter alia propositiones quasdam paradoxas temere effudit. Hos autem errores Gilberto objectos commemorat Otto Frisingensis, et quidem quod 1. divinam naturam, vel essentiam, seu divinitatem, qua Deus est, ab ipso Deo distinxerit et asseruerit, Divinitatem non esse Deum, sed nonnisi formam, qua Deus est; 2. quod inde concluserit, proprietates trium personarum divinarum non esse ipsas personas; adeoque in Deo distinguendum inter substantiam, qua Deus est, et inter Hipostasim; quod denique 3. docuerit, divinam naturam non esse incarnatam, sed personam Verbi, omniscium non esse Filium Dei etc., neminem posse apud Deum mereri aliquid praeter Christum. Haec Gilberti asserta Cleri Dioecesani, praesertim Arnaldi et Calonis Archidiaconorum animos adeo percellebant, ut ab iis anno 1146 haereseos nomine arcesseretur ad Eugenium III. Papam, tunc Senis morantem. Is autem anno sequenti Concilium Parisiis indixit, in quo multis objectionibus pulsatus Gilbertus doctrinam suam tanta dicendi peritia defendit, ut plenior caussae hujus discussio differretur ad frequentius Concilium Rhemense; quod a. 1148 habitum est. Ibi Gilbertus praesens, erroris a S. Bernardo convictus fuit; quapropter Eugenius P. ejus doctrinam proscripsit, districte praecipiens, ne Gilberti librum legere vel transcribere quis auderet, nisi prius eum Romana Sedes correxisset. Tandem Gilbertus, ejuratis erroribus, ad suam sedem reversus est.

Eadem fere fata expertus est Roscellinus, Clericus Compendiensis, magnus disputator, dialecticorum nominalium quasi parens, ac Petri Abaelardi praeceptor. Cum enim omnium nominalium more supponeret, universales conceptus seu ideas esse nonnisi flatum vocis, imo veram et essentialem realitatem tantum inesse individuis, in eam incidit cogitationem: tres personas Trinitatis tres esse res, seu realitates ab invicem differentes, secuturum enim alias fore, quod Pater et Filius sint incarnati. Hanc vero differentiam explicabat per exemplum trium Angelorum, vel trium animarum, redacta personarum divinarum unitate ad unitatem tantum voluntatis et consensus. Haec et similia cum effutiret ab aliis Sabellianismi, ab aliis Arianismi, ab aliis Tritheismi accusatus, in Concilio Suessionensi a. 1092 sententiam revocare coactus est. Verum postea in eamdem scrobem relapsus, neque in Anglia, neque in Gallia stabile domicilium figere potuit. Latet tamen quaenam ulteriora fata subierit vir valde contentiosus. Credibile tamen, eum tandem Ivonis Carnotensis suasu Ecclesiae satisfecisse, et in Aquitania vitam suam finiisse (a).

(a) S. Bernard. serm. 80. in Cantica, Mansi T. XXI. p.707., Anselmus l. 2. ep. 25., Ivo Carnot. ep. 27.

§. 5. *Methodus tradendi Theologiam.*

Jam a temporibus Lanfranci, Anselmi, aliorumque amor Theologiae scholasticae in dies latius serpsit, et in multis Galliae, Angliae et Germaniae scholis ingenii acumen Religioni explorandae accomodari, ac philosophia Aristotelica Theologiae jungi coepit. Facile est cogitatu, Monachos libros Aristotelis describentes ita captos fuisse peripateticae philosophiae methodo, ut eam in scholas theologicas inveherent. Distinguuntur vulgo tres diversae Scholasticorum classes seu aetates. Ad primam classem referuntur Theologi scholastici saec. XI et XII, videlicet Anselmus, Roscellinus, Hildebertus, Petrus Abaelardus, Hugo, Petrus Lombardus. Ad saecundam aetatem spectant Alexander Halensis, Albertus M., Thomas Aquinas, Bonaventura, et Joannes Duns Scotus, quorum conatu Neo-platonismi reliquiae fuerunt extirpatae, et Stagiritae philosophia in ipsa Theologiae penetralia recepta. Praecipui aetatis tertiae Magistri habentur Durandus a S. Portiano, Guilelmus Occamus, Petrus de Alliaco, quorum totus labor in eo erat, ut Theologiam argutiis philosophicis, et infinitis quaestionibus subtilibus onerarent. Quia haec methodus ingeniis solidioribus displicebat, quidam cum philosophia sollicitum pietatis studium sociandum, et ad hunc finem omnem Theologiam dirigendam esse existimabant, cujus rei exemplum observare licet in Hugone (mortuo 1141) et Richardo a S. Victore (mortuo 1175). Erant etiam, qui duce S. Bernardo, in explicandis, comprobandisque Religionis dogmatibus, repudiata philosophia, solam Scripturam S. et Traditionem magistram sequerentur, fideique mysteria non intellectu metiri, sed sanctiori animi affectu amplecti, et mystice contemplari conarentur. Sed longe plurimi, dum philosophiam Aristotelis sugillarent, e spuriis Dionysii Areopagitae scriptis Theologiam mysticam construxerunt (*a*).

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS

§. 1. *Manichaei recentiores.*

Fuerunt hac periodo homines, quorum alii captata severiori disciplina, vel luxuriante somniorum ingenio, alii im-

(*a*) Fabric. Biblioth. lat. Hist. Franc. t. 8., Anselm. l. 2. ep. 41., Alexander Hal. Summa Theol., Brucher Hist. crit. philos. t. 3. p. 809.

matura subtilitate rebus divinis optata, Romanorum Pontificum imperium et Ecclesiae auctoritatem proterve excutere, pleraque Catholicornm dogmata, et instituta salubria petulanter sugillare, novaque phantasiae commenta effingere conabantur. Hos inter numerantur *Manichaei recentiores*, verisimiliter progenies Paulicianorum saeculi IX, a Germanis *Cathari* aut *Gazzari*, a Mediolanensibus *Patarini*, a Gallis *boni homines*, ab aliis *publicani* appellati. Ejusdem fere farinae homines erant *Bogomili*, quod continuis suspiriis misericordiam Dei implorarent, quibuscum Graecis, caeterisque Orientis Christianis aliquandiu pugnandum fuit. Haec secta ante annum 1118 in Bulgaria coaluit, et Constantinopoli quoque innotuit imperante Alexio Comneno, qui eam ex tenebris callide in lucem protraxit. Cum enim sectae hujus princeps Basilius, medicus, habitu monachus etiam in regia urbe errores suos spargeret, Alexius imperator, fidem se illi habere simulans, effecit, ut omnia sectae suae arcana aperiret. Quibus divulgatis imperator omnes Bogomilos pertinaces, eorumque ducem Basilium comburi jussit. Referente Euthymio Figabeno, monacho erudito, qui imperatoris jussu Bogomilorum errores litteris mandabat, ii mundi primordia tribuebant Angelis caelo ejectis, Vetus Foedus rejiciebant, dogma SS. Trinitatis funditus evertebant, statuentes: Filium et Spiritum Sanctum esse a Deo creatos, Christo umbratile affingebant corpus, exploso aquae baptismo, quem Joannis esse dicebant, statuebant Christi baptismum per spiritum, orationes quascumque, si dominicam excipias, repudiabant, Liturgiam et Eucharistiam Catholicorum sugillabant, S. Crucem, cultum Sanctorum et imaginum superstitionis loco habebant, etc. Ex toto manifestum est, doctrinam eorum ad Docetismum Gnosticorum quam proxime accedere (a).

§. 2. *Petrobusiani, Henriciani.*

Petrobusianorum signifer fuit Petrus Brusius (de Bruis) Sacerdos et Canonicus Gallus, qui anno circiter 1110 in Gallia meridionali errores suos disseminavit, non sine turbis. Perhibent plurimos rebaptizatos, fracta altaria, combustas Cruces, exsibilatos ac pessime habitos Sacerdotes tum ab eo, tum ab ejus asseclis fuisse, imo addunt, Petrum Brusium ad ligna fractarum crucium carnes coxisse in Quadragesima. Demum post 20 annorum itinera captus est, et a furibunda plebe combustus ad Fanum et Abbatiam S. Aegidii. Petrus Venerabilis

(a) Suicerii thes. eccl. t. 1. p. 703., Zonaras Annal. l. 18., Baronius ad an. 1118. t. 12. p. 139.

narrat, eos docuisse: 1. Paedobaptismum nullum, templa evertenda, cruces frangendes et abolendas esse; 2. Corpus Christi in sacrificio missae non offerri; 3. Sacrificia eleemosynas et orationes pro defunctis nihil prodesse. Damnati sunt in Concilio Lateranensi II.

Sectam hanc postliminio magis propagavit Henricus monachus aposteta, a quo asseclae dicti sunt Henriciani. His cum exhortationibus, tum simulata pietate Lausanae, Pictavii, Burdigalae, Tolosae in tantam sui admirationem rapuit, ut mares, foeminaeque, saepe durante adhuc ejusdem sermone, ornatum suum abjicerent, ejusque ductui se committerent. Ast cum verso in seditionem populo ex urbe Tolosana pulsus terga dare fuisset coactus, in via interceptus, et Rhemis Engenii III Papae jussu carceri mancipatus est, in quo fatis concessit anno 1149. Illum inter et Petrum Brusium hoc extitit discrimen, quod Petrus Crucem frangi praeceperit, quem Henricus suis praetulit *(a)*.

§. 3. *Arnaldistae, Tancheliani.*

Arnaldus Clericus Brixiensis, Petri Abeelardi discipulus praedicavit contra bona temporalia Clericorum cum saecularium, tum regnlerium, asserens eos unice ex decimis et voluntariis fidelium oblationibus vivere debere. Cum multo redundaret eloquio jam sine more Brixiae suarum declamationum theatrum aperuit, remque christianam ibi usque adeo turbavit, ut Brixienses in Episcopum suum, omnesque Clericos desaevirent. Accusatum a Brixiensi Episcopo Arnaldum damnavit Innocentius II in Concilio Lateranensi II. Anno 1145 Romam petiit vir faneticus, ibique immanes populi iras in Pontificem et Clerum concitavit, inter elia docens: Restaurandum esse Capitolium, renovendem senatoriam dignitatem, denique resuscitandam veterem reipublicae formam. Usque ad annum 1155. Arnaldus Romae delituit, procerum ac nobilium favore tutus. Cum vero Hadrianus IV Pepa, urbem Romam interdicto subjecisset, Romenorum animi ita territi sunt, ut Arnaldum ex urbe dimitterent. Is ad castra Friderici Barbarossae confugiens, captus, et in potestatem Papae traditus est. Demum jussu Petri urbis praefecti ligno adactus, et igne combustus, cineresque in Tiberim projecti sunt, ne stolidae plebi corpus venerationi esset *(b)*.

(a) Baron. Annal. ad an. 1126., Petrus Ven. Tract. adv. Petrobus., Alberi, Chronicon ad an. 1148. (b) Otto Frising., Baronius ad annum 1154.

Non tam doctrinae novitate, quam potius vitae ratione singulari inter haereticos saeculi XII eminet Tanchelinus, vir quidem literarum omnino expers, sed arrogans, vanus, vitaeque voluptatibus deditus, qui tribus armatorum millibus stipatus, incedebat apparatu praetioso, vestibus deauratis ornatus, convivia lautissima instruens, tantaque dicendi facultate natura pollens, ut plebis animos facile sibi devinceret. Cum pervenisset Antuerpiam, nobilem in Belgio civitatem, eam imposturae suae peropportunam invenit. Tum enim ibi erat unicus, qui animarum curam ex socordia abjiciens, suamque neptam quasi in conjugio habens, omni apud populum fide et auctoritate exciderat. Hanc igitur occasionem erripiens Tanchelinus magnam de se opinionem populo male contento injecit, Filium Dei se nominari, templumque suis honoribus dedicari passus. Credibile etiam eum principiis pseu-domysticis addictum, externum ac publicum Dei cultum, sacram coenam et Baptismum repudiasse, atque clandestinos conventus cum suis asseclis egisse. Grassanti huic haeresi constantia plane admirabili obviam ivit S. Norbertus, suaque auctoritate effecit, ut ingens errantium numerus in gremium Ecclesiae catholicae rediret, ipse vero impostor ex urbe Antuerpiensi expelleretur. Tandem referente Roberto de Monte (an. 1124) a quodam Presbytero percussus occubuit (a).

§. 4. *Eudo de Stella, seu Eon, Apostolici.*

Magnam mentis insaniam prodidit Eudo de Stella, sive Eon, ex minori Britannia oriundus, qui cum in latina exorcismi formula haec audivisset verba: « per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuuos » ex analogia vocis: Eum stolide conclusit, sibique persuasit se esse illum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem ». Probabilius Gathari, in quos, teste Roberto de Monte, casu inciderat, mentem ejus usque adeo perturbarunt. Plerique historicorum in eo conveniunt, quod Ecclesiarum maxime et monasteriornm infestator fuerit. Sane cum fatuus ille aliquandiu fuisset ita debachatus anno tandem 1148 in Concilio Rhemensi coram Eugenio III Summo Pontifice, tanquam haereticus est damnatus, et ne alios deliriis suis fanaticis inficeret, perpetuo carceri inclusus, in quo postmodum obiit. Plerique discipulorum ejus, curiae saeculari traditi, et igne damnati sunt.

(a) Robert. de Monte, opp. ad chronograph., Sigeb. ad an. 1124 apud Pistorium p. 61.

Eodem saeculo XII prope Coloniam Agrippinam, Bonam etc. et in regione Petragoriensi Galliae ingentes turbas excitarunt homines quidam rusticani et illiterati, qui divinitus vocatos se gloriabantur, ut suam vivendi rationem ad formam vitae Apostolicae componerent. Teste S. Bernardo, ingenii adeo fanatici erant, ut nuptias damnarent, et tamen foeminis cohabitarent, baptismum parvulorum, invocationem Sanctorum, orationes pro defunctis rejicerent, suam unice sectam Christi veram Ecclesiam esse contenderent, viros ecclesiasticos omnium ordinum vilipenderent, eosque nulla in administrandis Sacramentis potestate praeditos esse assererent, omnem bonorum temporalium possessionem et usum respuerent, et rigidissimam morum disciplinam sequerentur. Sectam hanc anno 1286 condemnavit Honorius IV, hujusque in Pontificatu successor Nicolaus IV Episcopis praecepit, ut Apostolicos severae inquisitioni subjicerent. Primarius hujus sectae auctor fuit Gerardus Sagarelli in agro Parmensi natus juvenis omnis eruditionis expers. Is a Franciscanis, quorum in ordinem suscipi desiderabat, repulsus, Parmae in eorum Ecclesia, anno 1260 mores et vitae rationem Apostolorum, quos in imagine quadam depictos conspiciebat, sequi et propagare constituit. Igitur barbam et capillos aluit, tunicam ad talos pertingentem ex grosso panno albi coloris induit, palium linteum superimposuit, fune se cinxit, et pedes soccis contexit. Deinde pecunia sua dissolutis quibusdam lusoribus projecta, multos post se traxit. Ferunt anno 1280 Gerardum captum et Parmae vivum combustum fuisse. Post ejus mortem Dulcinus Novariensis, vir acri ingenio et animo bellicoso praeditus, nec Scripturae Sacrae facundia destitutus, sectae caput evasit, a quo Apostolici Dulcinistae dicti sunt. Is mox Epistolam ad omnes Christianos dedit, qua vaticinabatur, post tres annos Fridericum Siciliae Regem imperium Romanum, imo dominium in orbem universum consecuturum, et Papam Bonifacium VIII cum omnibus Clericis et monachis interficiendum esse. Tandem post varia itinera, cum vir fanaticus in Pedemontio saeviret, anno 1307 captus et Vercellis concrematus est. Dulcinistae fuerunt condemnati in Concilio Viennensi anno 1311 (a).

§. 5. *Valdenses.*

Valdenses ortum traxere et nomen a Petro Valdo mercatore Lugdunensi opibus affluente, qui anno circiter a carnibus, lacte et omnibus ex coitu genitis abstinerent 1170

(a) Fabricius B. L. T. II. p. 119., Muratori script. rer. Ital., Historia Dulcini, Mostheim hist. Apost.

subitanea cujusdam suorum civium morte perterritus, de emendandis moribus, majorique vitae perfectione sectanda cogitare coepit. Inter prima statim emendationis initia, quum Evangelium S. Matthaei evolvens in hoc incidisset Christi dictum (a) « Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum » omnibus bonis suis se abdicavit, et pauperibus undique confluentibus non tantum eleemosynam suppeditavit, sed etiam Novi Testamenti textum in lingua vulgari exposuit. Sic praedicationis evangelicae jus usurpavit, abusus ecclesiasticos substrinxit, corruptos Clericorum et Monachorum mores castigavit, debitamque superioribus obedientiam abjecit. Doctrina Valdi propagata fuit Lugduni, in aliis Galliae partibus et in Lombardia, ita quidem, ut turmatim accurrerent, qui ab ipso desiderarent informari. Neque mirum ulli videbitur, qui perpenderit, Valdenses egisse vitam ad morum integritatem effictam et compositam, tristes incessisse, vestibus ad talos pendulis, prolixa barba, seminudis pedibus, suos praelatos coluisse summis honoribus, et insignem jactitasse S. Scripturae peritiam. Joannes Archiepiscopus Lugdunensis novellam sectam in herba suffocare est conatus, severe illis prohibens praedicationem. Huic interdicto tamen adeo parum morem gesserunt, quin potius missis a. 1179 legatis ab Alexandro III Pontifice concionandi licentiam peterent, imo teste Chronico Urspergensi, sectam suam religionis nomine a Lucio III rogarent approbari, qui vero an. 1184 in Concilio Veronensi Valdum, ejusque sectatores, cum Catharis Patarinis, et aliis tanquam haereticos condemnavit. A quo tempore majorem in diem poenarum rigorem experti, et ab Ecclesia catholica sensim penitus avulsi diversa peragrarunt loca, exceptis iis, qui vallibus Sabaudiae et Pedemontii habitantes aliquandiu magis in tuto erant.

Valdenses in multos inciderunt errores. Ex ostentatione paupertatis voluntariae condemnabant omnes Praelatos temporalium bonorum possessores, nullumque iis obedientiae obsequium praestabant. Teste Kainero Sacekono, olim sectae hujus Episcopo, asserebant : 1. Ecclesiam Romanam non esse ecclesiam Christi, sed coetum malignantium, idque a temporibus Sylvestri Pontificis, quibus venenum divitiarum effusum fuerit in Ecclesiam; 2. Papam Romanum esse caput omnium errorum; 3. Praelatos esse Scribas, et Religiosos Pharisaeos; 4. Non Praelatis, sed soli Deo esse obediendum; 5. Duo tantum dari Sacramenta a Christo instituta, Baptismum et Eucharistiam; 6. Paedobaptismum esse inutilem; 7. Sacerdotes in mortali peccato constitutos, non posse Eucharistiam conficere, neque

(a) XIX. 24.

Transubstantiationem fieri in manu indigni consecrantis, sed in ore digne accipientis; 8. Missam inanem esse ritum, solius quaestus gratia adinventum; 9. Sanctos non esse invocandos; 10. Reliquias, Canonizationes et Vigilias repudiandas; 11. Miraculis nullam adhibendam fidem; 12. Aedes sacras, aras, earumque dedicationes, imagines, thurincationes, aquam lustralem et Rogationes improbandas; 13. Cantum et officium ecclesiasticum in lingua latina rejiciendum etc. — Morum disciplina apud eos vigebat, supra quam dici potest severa, de qua nunquam non evangelium rigidissimo sensu interpretabantur, adeoque damnabant bella, defensionem famae et vitae, ac mutilationem membrorum, vim pari vi repellendo, inflictionem poenarum capitalium, juramenta et studium acquirendarum opum.

Eorum sacris praeerant Episcopi, quos seniores, vel Majorales vocabant, Presbyteri et Diaconi. Ordines reliquos omnes rejiciebant tanquam recentioris aevi inventum, non institutum aut ipsius Jesu Christi aut Apostolorum. Eorum ministros oportebat esse viros sine litteris, qui Apostolorum more veritatis manifestationem de celo expectabant, sine opibus, qui manuum labore necessariam vitae alimoniam sibi procurarent. Plebs dividebatur in *perfectos* et *imperfectos* seu *fideles*. Imperfecti sine pompa quidem et luxu, reliquorum tamen hominum consuetudini convenientius vivebant; perfecti contra omnino nihil possidebant, vestitu sordido et obsoleto utebantur, frequentissimis jejuniis, vigiliis, aliisque duris exercitiis vires corporis exhauriebant, quo fortiores essent ad expugnandos affectus. Itali nominabantur fratres de Lombardia seu Lombardi; Galli ab urbe Leonistae, vel pauperes de Lugduno, vel a ligneis calceis (gallice sabots) quibus utebantur, Sabatati aut Insabatati nuncupabantur (*a*).

§. 6. *Albigenses.*

A Valdensibus et in doctrina fidei, et in ritibus haud parum discrepabant Albigenses, sic dicti vel ab Albiga, urbe celebri Occitaniae, sive ab Albigesio, quo nomine pars maxima Narbonensis provinciae nuncupabatur, qua in regione primi eorum coetus coaluerunt, et saeculo XII et XIII circa Tolosam, Biterras, verbo in meridionali Gallia grassabantur, veterum Manichaeorum deliria adoptabant, et a Catharis, Brusianis et Publicanis probabilius descendebant. Quod eorum doctrinam attinet, plerique scriptores in eo consentiunt, quod

(*a*) Moneta lib. V. adv. Valdenses.

solam Scripturam S. ceu fidei morumque magistram agnoverint, Sacramenta Catholicorum vilipenderint, eorum liturgiam, disciplinam, aliaque instituta salubria repudiaverint, catholicam Ecclesiam, ejusque ministros, turpissimis probris ac convitiis prosciderint, Papam Ecclesiae lupum impie nuncupaverint, templa sacrilege expillaverint, calices et sacra vasa publico dedecore adfecerint etc.

Cum vero crescente in dies eorum numero, atque audacia, vario tumultu meridionalis Gallia misceretur, multorumque facinora atrocia non amplius ferri posse videretur, Alexander III et Lucius III Romani Pontifices omni studio id egerunt, ut in gremium Ecclesiae catholicae eos reducerent. Ast Raymundi Comitis Tolosani praesidio tecti, templis nihilominus et sacerdotibus vim hostilem inferre pergebant. Ad eos igitur exscindendos Innocentius III incipiente saeculo XIII, legationis Apostolicae munus imposuit monachis Cisterciensibus Rudolpho et Petro de Castro Novo, jussitque, ut una cum Arnaldo ejusdem Ordinis Abbate in Archiepiscopum Narbonnensem inquirerent, eumque sacra exuerent dignitate, quod in causa fidei ignave se gessisset. His anno 1206 se adjunxit S. Dominicus, qui novem annos in haeresis confutationem, verbi divini praedicationem, fideique defensionem fervide incubuit, verbo ac precibus catholicam Religionem in provincia Narbonensi sustentare strenue laboravit. Sed cum in ditione Comitis Tolosani Petrus de Castro Novo, Legatorum unus, ex insidiis trucidaretur, vim pari vi repellere necessarium visum est. Anno nimirum 1207. Innocentius III Papa sacram expeditionem ad eamdem haeresim extirpandam indixit, Regisque Christianissimi Philippi Augusti pietatem, promissis plenariis indulgentiis ad hanc militiam subeundam semel iterumque excitavit; Raymundum vero Tolosanum Albigensium fautorem, in quem non levis ceciderat caedis praefatae suspicio, anathemate confixit. Anno igitur 1209 sacrae, ut dicitur, militiae fiebat initium, facta in terras Raymundi incursione hostili. Comes undique pressus coram Milone Legato Sedis Apostolicae judicio se subjecit. Eo tamen non obstante bellum, summo exercitus duce Simone Montisfortis Comite, varia fortuna et immani crudelitate continuatum, urbes complures, v. g. Biterrae, Carcasso, multaque castella, vi expugnata, et innumeri haeretici partim hostili gladio, partim flammis extincti sunt. Multis adversus Albigenses, eorumque fautores fortiter gestis, Simon Monsfortius a Romano Pontifice verus ac strenuus Miles Christi, et invictus Catholicae fidei Propugnator praedicatus ditione Tolosani Comitis donatus est, ita tamen, ut a Christianissimo Rege, tanquam do-

mino directo, investituram reciperet, quae donatio deinde, frustra reclamante Alphonso, Arragoniae Rege, in Concilio Lateranensi IV ratihabita fuit. — Verum brevi tempore post nonnihil immutata est rerum conditio. Cum enim Simon Monsfortius anno 1218 in secunda Tolosae obsidione lapidis ictu fuisset extinctus, hujus filius Amalricus, Raymundi junioris vires sensim augere videns, jura sua in Ludovicum VIII. Galliae Regem transtulit. Sub Ludovico IX bellum recruduit, quo fervente Raymundus junior summas ad incitas redactus Sedi Apostolicae se submisit.

§. 7. *Sacra inquisitio.*

Ad reliquias haereticorum in Gallia extirpandas Concilium Tolosanum an. 1229 a Romano S. Angeli Cardinali, Sedis Apostolicae Legato celebratum statuit: ut in singulis Parochiis unus Sacerdos, et duo vel tres bonae opinionis laici jurati constituantur, qui haereticos diligenter inquirant; domini locorum de illis detegendis solliciti sint, et illorum latibula destruant: fautores haereticorum terrae suae jactura, et aliis poenis ad arbitrium domini principalis plectantur: domus, in qua fuerit inventus haereticus, diruatur et fundus fisco addicatur: nemo denique ceu haereticus puniatur, nisi ab Episcopo, vel alia persona ecclesiastica fuerit haereticus judicatus. Cum vero Episcopi passim fidei catholicae defensionem, et haereticorum extirpationem levi admodum cura, et plane negligenter persequeretur, Gregorius IX an. 1233. Fratribus Praedicatoribus S. Dominici, qui in territorio Tolosano, et in reliqua Gallia atque Italia erant, plenam potestatem concessit, haereticos inquirendi, judicandique nulla interposita Episcoporum auctoritate, et relicto magistratibus civilibus executionis jure. Primi haereticae pravitatis Tolosae erant Petrus Cellanus et Guilelmus Arnaldus. Ab hoc tempore Tolosae et Carcassone inquisitionis tribunal erectum est; ad quod omnes haeretici, vel de haeresi suspecti, item Magi, Judaei etc. citabantur. Inquisitioni multum roboris addiderunt terrae Principes. Sic Ludovicus IX Galliae Rex an. 1229 leges condidit sat severas, ad haereseos extirpationem in Narbonensi et Arelatensi provincia. Ulterius progressus Fridericus II imperator, publicatis anno 1240 Patavii quatuor edictis, non tantum inquisitores in suam peculiarem tutelam recepit, sed etiam haereticos ab Ecclesia judicatos, saecularibus judicibus puniendos commendavit, obstinatis ignis poenam, poenitentibus vero carceres praestiterit, quas leges poenales postmodum Romani Pontifices Innocentius IV, Alexander IV

et Clemens IV disserte renovarunt et approbarunt. Ita factum, ut Inquisitionis tribunal in aliis Europae regnis introduceretur (*a*).

§. 8. *Joachitae.*

Erant praeterea hac aetate alii homines fanatici, qui somniis ac deliriis suis alios fraudolenter deciperent, eosque inextricabili fere errorum labyrintho implicarent. Ex eorum numero sunt Joachitae, sic dicti a praeceptore suo Joachimo monacho Cisterciensi, deinde Florensis monasterii in Calabria, unde oriundus erat, Abbate. Is arguitur, quod Romanorum Pontificum, totiusque Cleri auctoritatem liberrimo calamo oppugnaverit, gravissimasque calamitates ex haeresi, et infidelium gladio in catholicam Ecclesiam redundaturas praesagiverit, nec erubuerit asserere: Duo jam effluxisse saecula imperfecta, i. e. imperfectos Deum colendi, demerendique modos, videlicet saeculum Patris et saeculum filii: tertium saeculum modo adesse longe perfectius: videlicet saeculum Spiritus Sancti quo purius Evangelium per Fratres Spirituales mundo sit annuntiandum. Haec idea vere insulsa invenitur in Libro famoso an. 1624 Parisiis impresso, qui inscribitur: Evangelium aeternum, et ab aliis Joachimo Abbati, ab aliis Joanni Parmensi Ordinis Minorum Ministro generali perperam tribuitur. Cum Evangelio aeterno confundi non debet Introductorium in Evangelium aeternum, cujus auctor anonymus (probabilius Fridericus Gerardus, Joachimi sectator) totus in eo erat, ut Evangelium aeternum amplificaret, illustraret atque demonstraret: S. Franciscum verum et aeternum Dei Evangelium mundo annuntiasse, et antiquato Christi Evangelio efficaciora, tutioraque salutis auxilia propinasse. Haec et alia deliria an. 1255 non solum Universitas Parisiensis, sed etiam Alexander IV Papa atro stigmate notarunt, ipsos vero Joachitas Concilium Arelatense an. 1260, haereticorum loco habendos declaravit. Ex Joachimi scriptis ansam sumpsit stolida foemina ex Bohemia, nomine Guilielmina vel Guilielma, quae anno circiter 1280 Mediolani sedem fixit, ut primo sibi deinde aliis persuaderet, Spiritum Sanctum in sua persona humanam naturam assumpsisse, se proinde esse Spiritum Sanctum et divinitus destinatam ad Judaeos, Saracenos et Christianos subdolos, redimendos: quatuor igitur Evangelia

(a) Hist. Albing. auct. Joan. Chossanion Par. 1595, 8., Gulelm. Cathal. Hist. Com. Tolos. 1623., Innocent. III. Epist. L. X., Mansi T. XXIII. p. 194., Limborch. Hist. Inquis. p. 48.

ex nunc nullius esse amplius valoris, in eorumque locum a se quatuor alia Evangelia substitutum iri. Post mortem Inquisitiones ossa ejus effossa flammis ultricibus tradiderunt (*a*).

§. 9. *Stadingi.*

Eodem saeculo XIII in utramque potestatem insurrexerunt Stadingi, ex Frisia oriundi, fanatici plerumque nautae ac rustici, a regione Stade sic dicti, in hodierno magno Ducatu Oldenburgensi. Hi primo dominium Comitis Oldenburgensis, cui subjecti erant, excusserunt; deinde Archiepiscopo Bremensi, ad cujus dioecesim pertinebant, decimas, proventus, et omnem jurisdictionem denegabant, monachos et Clericos ad se cohortandos missos maximis injuriis, imo morte afficiebant, denique omnem potestatem spernentes imperatorem, principes, papam, episcopos, omnes Clericos, nec non ipsam Ecclesiam convitiis proscindebant, imo S. Eucharistiam ignominiose tractabant. Postquam per plures annos saeviissent, jussu Gregorii IX Papae anno 1232. Gerardus II Bremensis Archiepiscopus, Henrico Brabantiae Duci et Florentino Hollandiae Comiti junctus, gravi illos lacessivit bello, quo furente Stadingi efferatissima licet rabie pugnantes, maxima clade prostrati sunt, pluribus eorum millibus caesis, ceteris partim aqua submersis, partim varias in regiones dispersis (*b*).

§. 10. *Fratres et sorores liberi Spiritus.*

Fratrum et sororum liberi Spiritus nomine illi verosimiliter designantur fanatici, qui saeculo XIII Belgiam et Galliam, imo plures quoque Germaniae, Italiae et Angliae provincias pervagati, simulata pietate plurimos decipiebant. Qui huic sectae nomen dabant, austerum profitebantur mysticismum, philosophicis principiis subnixum, et ab improbo Pantheismi systemate haud remotum, statuentes: omnia ex Deo emanasse, et ad illum aliquando redditura, animas rationales esse divinae essentiae particulas, mundumque universum esse Deum; hominem animae suae a rebus sensibilibus avulsione, perennique meditatione cum rerum omnium Parente intime conjungi, et eum eo quasi in unum conflari: talem hominem summam adipisci libertatem moralem, omnibusque divinis et humanis legibus superiorem esse, adeoque nec precibus,

(*a*) Eymerici Direct. Inquisit. P. II. q. q. p. 254., Muratori Antiquit. Ital.
(*b*) Robert. de Monte script. rer. German. T. I., Hist. Episcop. Antisiodor. in Labbei nova biblioth.

nec jejuniis, nec Sacramentis, nec publico cultu indigere. Hinc facile explicatur, cur eorum alii, et quidem meliores universam Religionem ad internam animarum pietatem reducerent, manum laborem fastidirent, mendicato viverent, habitu fusco incederent, a matrimonio abstinerent, in Pontifices, Ecclesiam, Sacramenta et bonorum operum praxim declamarent; alii vero pejores non tantum hominem in tali perfectionis gradu penitus impeccabilem, et humanae obedientiae haud subjectum fingerent, sed etiam rejectis vestibus suos conventus nudi frequentarent, et foeminis, qui titulo sororum in eorum erant comitatu, haud erubescentes concumberent. Varia erant eorum nomina. Sic viri in Gallia praesertim Begardi, ab Anglo-Saxonico beggen, bnynsnu; i. e. soepius et enixe orare, vel mendicare; foeminae Beguinae, Begutae, a By et Gud, vel God, i. e. superstitiosae (gallice Bigotte) appellabantur. In Italia viri Bizochi, a voce Bisaccia (pera), alibi etiam Turlupini, et in Germania foeminae Schwestriones, i. e. cohabitatrices audiebant. Eorum hominum errores et scandalo, quum latius serperent, et hostilem Inquisitorum impetum multos per annos sustinerent, demum damnavit, abolevitque concilium Viennense (*a*).

§. 11. *Fraticelli.*

Quum S. Franciscus paupertatem voluntariam, omnisque proprietatis abdicatiónem Ordinis sui sodalibus praescripsisset, post ejus mortem graves inter Fratres Minores ortae sunt lites de principali regulae praescripto, nempe de altissima paupertate. Perplures, et inter hos primus post S. Patriarchae obitum minister generalis Elias, bis propterea a sua dignitate depositus, censebant regulam mitigandam esse, haud dissentiente Gregorio IX Pontifice, qui edita anno 1231 Bulla, severissimae regulae sensum benigniori interpretatione emolliebat. His vero alii restiterunt, maximam partem viri natura tristi ac recondita, dicti vulgo Fratres Zelatores, vel rigidiores, aut Spirituales. Orto inde acriori certamine, Innocentius IV an. 1245 secundum eos, qui regulam S. Francisci mitigatam cupiebant, sententiam tulit, inter alia declarans, posse eos fundos, aedes, suppellectilia, libros, aliaque possidere, iisdemque uti; jus vero dominii et proprietatis ad Romanam Ecclesiam pertinere, sine cujus consensu nihil eorum vendi, permutari, alienarique possit. Hanc tamen interpreta-

(*a*) Conradus de monte Puellarum de erroribus Beggard. in Biblioth. PP. max. Lugd. T. XXV. p. 310., D. Argentre T. I. p. 156 etc.

tionem rigidiores Franciscani contendebant esse summam regulae perversionem. Cum inde mutua augesceret animorum indignatio, satisque diu contraria in studia distraheretur Ordo, Nicolaus III edito an. 1279 celebri decretali quae incipit his verbis. « Exiit qui seminat, » declaravit: Abdicationem proprietatis omnium rerum, tam in communi, quam in speciali, quam regula praecipit, apud Deum esse meritoriam, quam et Christus verbo docuit, et exemplo firmavit; rerum tamen ad vitae sustentationem necessarium usum fieri posse dominio ac proprietate Ecclesiae Romanae servatis. Haec autem interpretatio quibusdam strictioris observantiae adeo parum satisfecit, ut a Coelestino V. facultatem peterent, erigendae Congregationis sub nomine Eremitarum Coelestini Papae; in qua S. Francisci regulam ad litteram observarent. Qua obtenta facultate, in Graeciam secesserunt, ut a voxatione Generalis Ministri, funestum schisma pati nolentis tuti essent. Ast cum Bonifacius VIII. Congregationem abrogasset, jussissetque segreges ad Generalis obedientiam redire, alii quidem paruerunt, alii in Siciliam, Provinciam Occitaniam migrarunt, coactisque ibidem numerosis coetibus, nova odii ac dissensionis semina sparserunt. Joannes XXII. a.1326 damnavit Commentarium Petri de Oliva Franciscani rigidioris, in quo asserebat Ecclesiam Romanam esse meretricem in Apocalypsi commemoratam, regulam S. Francisci tam parum, quam Evangelium a Pontifice mutari posse. Idem Pontifex, edita duplici constitutione non tantum decidit: Decretalem Nicolai III non esse intelligendam de rebus, quae usu consumuntur, in quibus dominium ab usu facti separari non potest, ideoque dominium illud, praeter ea, quae ad res sacras spectant, ad ipsos pertinere, sed etiam ab omnibus tanquam haereticos haberi jussit, qui verbo vel scripto assererent: Christum et Apostolos in iis, quae habuisse leguntur, tantum habuisse absque jure aliquo simplicem usum facti. Sed adversabantur pertinaciter Joanni Papae Fratres Spirituales, eorumque proceres Michael Caesenas, Guilielmus Occamus, et alii ad Ludovicum Bavarum fugiebant, ejus schismate adhaerentes. His Fratribus rigidioribus, vel qui Fratrum minorum speciem praeseferebant, et vitae rationem ad Regulam S. Francisci exactam profitebantur; vel contemptus causa Fraticellorum seu Fraterculorum nomen impositum est. Eos Pontifici jus absolvendi a voto paupertatis et castitatis abnegasse, Christianae fidei veritatem impie vertisse, Sacramenta Novae Legis proterve contempsisse, et Romanae Ecclesiae Primatum temere impugnasse,

in eosque velut contra haereticos passim actum fuisse ab Inquisitoribus, res indubia est (a).

§. 12. *Flagellantes.*

Quum Italia Guelphorum et Gibellinorum factionibus undique quateretur, et ceu mala desuper emissa haberentur, circa an. 1260 quidam Raynerius Dominicanus hominibus omnis aetatis, sexus et conditionis persuasit, publicas flagellationes unicum medium esse iram Dei mitigandi: quo facto in tota Italia comparuere processiones Flagellantium, qui ad umbilicum usque nudati flagellis se caedebant, ut cum pro se tum pro aliis Dei misericordiam implorarent. Ab initio erant homines bonorum morum, et postquam foex populi illis se immiscuit, varias opiniones absurdas et impias in vulgus sparserunt, et propterea Romani Pontifices publicas flagellationes tanquam inhonestas, legi Dei et moralitati contrarias condemnarunt. Anno 1348 cum publicae calamitates, potissimum pestis plures Europae terras dire affligeret, denuo emerserunt in Italia, Helvetia, Anglia, Germania. Hi docebant flagellationem habere eamdem virtutem sicut Baptismus et reliqua Sacramenta, ea remissionem peccatorum obtinere homines, sine meritis Christi; legem a Christo datam cedere debere novae legi, quae praecepit Baptismum sanguinis; sine flagellatione neminem Christianorum salvum fieri posse. Hos condemnavit Clemens VI Pontifex Romanus an. 1349, decrevitque, ut omnes publicae flagellationi renuntiarent, Praelati vero contumaces comprehenderent et punirent. Circa annum 1414 Duce Conrado Schmid, repullularunt in Thuringia et Saxonia, et docebant, sectam suam litteris coelestibus, ab Angelo in altare S. Petri Romae collocatis institutam, et ab hoc tempore ligandi solvendique potestatem Pontifici caeterisque Sacerdotibus divinitus ablatam, omnesque jam eorum functiones, omnia Sacramenta nullius esse valoris. Speciatim contendebant, in locum Baptismi aquae, successisse baptismum Sanguinis, i. e. cruentam flagellationem; Eucharisitam non esse Corpus Christi; non existere purgatorium; crucem et sacras imagines venerari, esse idololatriam; qualecunque crimen flagellatione expiari etc. Quapropter Comites provinciales Thuringiae, Henrico Schoenefeld inquisitori ex Ordine Praedicatorum mandarunt, ut in eos animadverteret, a quo multi quidem ad abjiciendum errorem perducti, sed et ultra nonaginta

(a) Vaddingi Annal. Min. T. III. p. 99. T. IV. T. V., Bullarium, Magnum., Alvarus Pelegius de planctu, Eccl. l. 2. c. 60. Luc. Dacherius Spicilag. T. III.

pertinaces, inter quos ipse Conradus Schmid ad rogum damnati sunt, quo tamen secta non fuit extincta, cum anno 1454 vigintiduo. Flagellantes utriusque sexus in Thuringia concremati inveniantur (a).

§. 13. *Viclefitae.*

Secta haec nomen sortita est a suo auctore Joanne Vicleto anno 1324 in Anglia nato, Theologiae in Oxoniensi Academia professore, et Luthervortensis Ecclesiae Parocho. Is cum invito Simeone Langhamo Cantuariensi Archiepiscopo, Praefecturam Collegii Cantuariensis, quae solis monachis debebatur, invasisset, sententia Archiepiscopi primum, mox Urbani V Papae inde deturbatus est anno 1370, substitutis in ejus locum monachis. Inde ingens illius odium exarsit contra summos Pontifices, Episcopos et monachos. Ex hoc tempore ore, scriptisque aulam Romanam temere diffamare, et monachos mendicantes immisericorditer perstringere coepit. Serviebant illi haud parum Schisma Pontificum perturbatae etiam id aetatis Angliae res, praesertim Eduardi III Regis non satis severa reipublicae gerendae ratio, et eximius ille favor Joannis Ducis Lancastriae, a cujus nutu tum fere omnia pendebant. His igitur praesidiis fultus, et accedente insuper favore populari, ad alia mox descendit errata gravissima. Sic, ut a multis sequentia dumtaxat adnotem, S. Scripturam, idiomate anglico a se donatam, omnibus popularibus suis, ad vulgarem et promiscuam lectionem tradidit, Romanorum Pontificum in universam Ecclesiam potestatem animose oppugnavit, Decretalium auctoritatem, et excommunicationem tanquam censuram Antichristi explosit, monachorum institutum, Clericorum coelibatum, Sanctorum et imaginum cultum, indulgentias, confessionem auricularem traduxit, dogma Transubstantiationis penitus destruxit, a ministro gravis peccati reo non confici Sacramentum, peccato mortali dominium, etiam civile omitti, reprobi preces nemini prodesse, omnia necessitate absoluta fieri docuit. Celerrimos doctrinae Viclefi progressus non sine ingenti cordis amaritudine videns Gregorius XI Papa, eum ad tribunal suum citavit, eo autem tergiversante, causae judicium Angliae Episcopis commisit. Cum vero in Synodo 1377, Londini congregata nulla fuisset sententia, protegente Viclefum Eduardo III Rege et Joanne Lancastriae Duce, Papa Praesulibus mandavit, ut eum caperent, et carceribus

(a) Berengier Dict. de Theolog., Rebdorf. annales apud Freherum Schottgen. de secta Flag.

manciparent. Hoc mandato excitati Episcopi; denuo convenerunt Londini, et quasdam Viclefi propositiones examinarunt. Sed cum propositiones suas ita explicaret, ut etiam in bonam partem accipi posse viderentur, et Procerum, populique favor illi mire patrocinaretur, nec sic quidem decretum est aliquid contra Viclefum, praeter impositum silentium. Tandem in novo Concilio an. 1382 Londini indicto 24 illius propositiones partim ut haereticae, partim ut erroneae damnatae sunt. Sed omnibus his non obstantibus, Viclefus diem suum in pace obiit in ipso fine anni 1384. Post mortem demum Patres Concilii Constantiensis diris eum devoverunt, et ut ossa ejus, si ab aliorum ossibus discerni possent, igne consummarentur, decreverunt, quod anno 1428 executioni datum fuit (a).

§. 14. *Hussitae.*

Libri Viclefi etiam extra Angliam a rerum novarum studiosis, avide legebantur, cum primis in Bohemia, in quam terram eos attulerat Petrus Payne, Viclefita ex Anglia profugus. Ex eorum lectione incredibilem voluptatem percepit Joannes Huss an. 1373 in villa Husinecz natus, ab anno 1398 Professor Theologiae Pragensis, paucisque annis post Sophiae Bohemorum Reginae a confessionibus, vir de caetero lingua diserta, et mundioris vitae opinione clarus. Is cum in celebri Sacello Bethlem dicto concionandi munus obtinuisset, multa ex libris Viclefi in medium attulit, asserens crebro omnem in eis veritatem contineri. Nec ore tantum, sed et calamo Viclefi errores propagavit, aliquot ejus libris in linguam Bohemicam translatis, ingentisque animi exacerbatione Pontificum, Episcoporum, totiusque Cleri auctoritatem traduxit. Indignabatur rem hanc Archiepiscopus Pragensis Sbinko, quin et Alexander V Papa sub finem anni 1409 omne sacrorum exercitium in praefato templo prohibebat. Archiepiscopus anno sequenti Viclefi scripta comburi jussit, et in Sacellis privatis sacras ad populum conciones in posterum fieri sub excommunicationis poena vetuit. Sed vir ille audacissimus favore Venceslai Regis et populi fretus, ea, quae hucusque docuerat strenue porro asserere pergebat, et a Pontifice male informato ad melius informandum appellabat. Imo a Rege Venceslao obtinuit, ut cum quatuor universitatis nationes Saxonica, Bavarica, Polonica et Bohemica, usque huc aequo fruerentur jure, Bohemica tantum juris haberet, quan-

(a) Nicolaus Harpesfeldius Hist. Viclef. c. 1., Du Pea Bibl. nov. T: XII. p. 128., Levis. Hist. af. che English. Bibles Land. 1731., Mansi Concilium T. XXVI.

tum reliquae tres simul junctae. Ita factum, ut quinque millia Academicorum alienigenarnm Pragae egredereutur, hujusque Academiae ruina hand multum abesset. Nihilominus tamen ad universitatis Rectoratum evectus, anno 1411 Bullis indulgentiariis Joannis XXIII, in Bohemia publicatis et cruciatis, contra Ladislaum Neopolitanum indictis, palam obstrepuit, ansamque inde sumpsit, proscindendi Pontificem, indulgeutias etc. etc. Cum igitur concionando Archiepiscopi voluntati adversaretur, ejusdem causa delata est ad Joannem XXIII Papam, qui morae omnis impatiens, immorigerum Ecclesiae filiuu Romam venire jussit, ad causam dicendam. Eo autem ob varios praetextus iter Romanum declinante, suique loco procuratores mittente, qui causam ejus agerent, Joannes XXIII sacrorum celebrationem Pragae suspendit, quamdiu Joannes Huss ibi versaretur, eique concionandi, et sacris operandi munere interdixit. Quum tamen Venceslao suum unice ventrem curante, nihil boni sperandnm esset, summus Pontifex causae cognitionem selectis Cardinalibus commisit, qui auditis Hussi procuratoribus, ipsum diris omnibus devoverunt: Missa in Bohemiam anathematis Bulla, Catholici et Hussitae Pragae in seditionem versi, ferro et flammis cuncta miscuerunt; Joannes vero procellam sua absentia leniturus, in locum uatalem recessit, a summi Pontificis sententia ad Christum appellans, variisque locis, quae peragrabat, errores suos disseminans. Cum res jam essent prope disperatae, Joannes XXIII Sigismundi imperatoris auctoritatem iuterpellavit, quem haud imparem scivit, motibus adeo funestis componeudis. Is igitur oratores in Bohemiam misit, qui cum regni proceribus de conciliandae pacis ratione consilia iuirent, ipsumque turbarum auctorem eo perducerent, ut ad Constantiense Concilium sese purgandi causa proficisceretur. Quem in finem Sigismundus anno 1414 liberi commeatus litteras illi exhibuit, quibus munitus ad Constantiense Concilium, pridie Idus Augusti ejusdem anni congregatum se conferre decrevit. Jamjam autem abiturus, ad Basilicas omnes, monasteria, collegia, pontemque Pragensem Programma affixit, omnibus et singulis significans, se Concilio adstiturum ibique doctrinae suae rationem redditurum. Hoc diplomate Caesareo, literisque patentibus, quorundam regni Baronum munitus Hussus, laetus itineri se commisit, affixoque Norimbergae et in aliis civitatibus Programmate, illi priori simillimo, Constantiam appulit, virorum uobilium comitatu stipatus. In Concilio ejus articuli publice recensiti sunt, ad quos recantandos, cum nullis precibus, nullis minis adduci potuisset, Synodus lata sententia, eosdem non esse catholicos

pronunciavit, scripta ejus igne damnavit, ipsum vero Joannem Huss verum et manifestum haereticum declaravit, ab Ordine sacerdotali deponendum, ac curiae saeculari relinquendum decrevit. Peracta degradatione, magistratui publico traditus, et ab illo, non obstante Cleri intercessione, ne occideretur, ad rogum damnatus fuit. Priusquam ignis rogo admoveretur, a Duce Bavariae et Comite de Pappenheim serio admonitus, ut errores ejurando vitae suae parceret, constanter recusavit: Tandem ardente rogo, clara voce orans, animumque necdum despondens, medias inter flammas expiravit. Cineres ejus in profluentem Rhenum projecti, ne a Bohemis superstitiose colerentur. Simili supplicio sublatus est ejus discipulus et amicus fidelissimus Hieronymus de Praga (a).

§. 15. *Ejus errores.*

Graviores Hussi errores condemnati in Concilio Constantiensi Sessione 15 fuerunt sequentes: 1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est Praedestinatorum universalitas. 2. Sicut Paulus nunquam fuit membrum diaboli secundum praedestinationem vitae aeternae, licet fecerit actus quosdam, actibus Ecclesiae malignantium consimiles, secundum praesentem justitiam: sic Iscarioth nunquam est de Sancta Matre Ecclesia, cum defuit illi praedestinatio vitae aeternae, etsi fuerit in gratia secundum praesentem justitiam. 3. Petrus non fuit nec est caput Ecclesiae sanctae Catholicae, eo quod solus Christus est Caput Ecclesiae Praedestinatorum. 4. Papalis dignitas a Caesaris potentia emanavit. 5. Papa non est verus Petri successor, si vivit moribus Petro contrariis, et si quaerit avaritiam, tunc est Vicarius Judae Iscariothis. 6. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum praeter expressam auctoritatem Scripturae. 7. Quilibet dominus civilis, quilibet Praelatus, potestate omni et jurisdictione excidit, dum est in peccato mortali. 8. Sicut peccatum mortale inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus omnes actus hominis probi. 9. Censurae ecclesiasticae ab Antichristo procedunt. 10. Clerus non habet potestatem ligandi et absolvendi, nec peccata remittendi, neque indulgentias concedendi. 11. Ad obtinendam a Deo peccatorum remissionem, sola contritio sufficit. 12. Fides, seposita Patrum et Ecclesiae auctoritate, e sola scriptura sacra est haurienda.

(a) Aeneas Sylvius Hist. in ejus Opp., Natalis Alex. H. E. saec. XV. T. IX. p. 69., Raynold ad h. a. n. 1. sq., Theobalds Hist. Breslau 1750., Lenfant Hist. Huss.

13. Leges et instituta ecclesiastica a diabolo sunt introducta.
14. Condemnatio 45 articulorum Joannis Viclefi est irrationalis et iniqua (a).

§. 16. *Hussitarum sectae et gesta.*

Comperta Joannis Hussi tragica morte ejus sectatores statim in aulico sacello Pragae in coetum coierunt, nullo alio fine, quam ut magistrum suum tanquam Martyrem religioso cultu prosequerentur, datisque ad Constantiense Concilium acerbissimis literis, a Concilio ad Pontificem proxime eligendum appellarunt. Ast Martinus V Patrum Constantiensium vestigia secutus, edita a. 1418 duplici Bulla, Viclefi et Hussi errores denuo proscripsit, priora decreta adversus eosdem edita confirmavit, nullisque laboribus pepercit, ut haeresim undequaque grassantem coerceret. Nihilominus tamen Hussitae numero in dies aucti, conventus separatos egerunt, et calicem eucharisticum plebi restituerunt, qua in re ducem se illis praebuit Jacobus de Misnia, seu Jacobellus, Pastor Pragensis, qui anno 1414 Eucharistiam sub utraque specie, Pragae ante mortem Hussi administraverat. Cum autem homines hi, praeter liberum suae religionis exercitium, quod insolenter flagitabant, Catholicis etiam dominari vellent, nec Catholici ad eorum postulata ullo modo conniverent, sed illis constanter resisterent, in sumptis a. 1419 armis in Catholicos crudeliter saeviebant, Sacerdotes in primis, et monachos post varia tormenta trucidabant, templis et monasteriis horridam depopulationem et vastitatem inferebant. Inter prima haec facinora Venceslaus Bohemiae Rex decessit apoplexia tactus, regnique coronam interim frustra ambiit Sigismundus imperator, obmoventibus gravissima impedimenta seditiosis Hussitis. Ex hoc tempore furor eorum jam perdere cuncta parabat, sub duce Joanne Trocznova, cognomine Ziska, viro nobili, qui rusticos, ex quibus conflaverat exercitium, brevi exercitatissimos milites fecit in monte circuli Bechinensis ad Lusinitium amnem Taborium extruxit, munitissimam urbem, unde Taboritae dicti, et per aliquot annos incredibili felicitate ac immanitate cum Sigismundo imperatore bellum gessit. Quidquid rabies, furor, vindicta, ambitio, atque fanaticismus unquam progenuit terribile et horrendum, id omne plane exhaustum est a Joanne Ziska, oculis licet orbato, qui exercitu imperatoris a. 1422 ad Brodam Teutonicam internecione deleto, om-

(a) Vid. Nat. Alex. Hist. Eccl. saec. V. T. IX p. 63

nes tamen pacis conditiones rejecit. Postquam pestis a. 1424 illum abstulisset, Hussitae in plures sectas scissi sunt. Eorum alii omnem Ecclesiae Catholicae doctrinam, cultum ac regimen damnantes, (vulgo Taboritae nominati) Procopium Rosum Ziskae avunculum sibi ducem praefecerunt. Alii ingenio erant longe moderatiori, Calixtini cognominati, qui exigebant, ut Eucharistia sub utraque specie ipsis frui liceret, et abusus ecclesiastici emendarentur. Ab his non abludebant Orphani, qui existimantes, nullum in ipsis esse dignum, qui in Joannes Ziska locum substitueretur, plures sibi delegerunt duces, quorum facile princeps fuit, Procopius, cognomento minor. Extiterunt praeterea duae factiones aliae, videlicet Horebitarum, inde sic dictorum, quod crederentur ab ipso quasi Deo processisse, quemadmodum lex divina in monte Horeb data a Deo legitur, et Pragensium qui diversas regiones hostiliter quinimmo furentes circumvagabantur, mutuis quidem odiis ab invicem dissidentes, attamen emergente communi periculo inter se intimo conjuncti. Reliquis tamen atrociores erant Taboritae, qui Duce Procopio Roso an. 1427 et 1431 cruciatos Germanorum exercitus, duplici praelio profligabant, et incolis haud minorem incutiebant terrorem, quam minora quaedam agmina, quae inde ab initio belli Hussitici fere quotannis in vicinam Austriam, Franconiam, in primis Saxoniam, Lusatiam ac Silesiam coeco furore excurrebant, bisque provinciis tristia suae crudelitatis vestigia alte imprimebant.

Cum igitur Germanorum arma adversus Hussitas nihil valerent, Concilium Basileense per Sigismundum imperatorem pacisci coepit. Ex consilio nimirum imperatoris Hussitae, promissa omni securitate, ad Concilium invitati, tandem ut morem gereret, induci se passi sunt. Eo igitur miserunt usque ad trecentos ex omni Ordine delectos, qui causam suam perorarent. Verum post multas deliberationes, re omnino infecta domum redierunt. Sed postea Patres Basileenses, Legatis in Bohemiam missis, anno 1433, nonnulla Hussitis pacis causa concessere, in primis eucharistici calicis usum, quae concessiones vulgo appellantur *Compactata.* Quo facto illi, qui ex Hussitis Calixtini dicebantur, arma abjecerunt, Taboritae vero his non contenti, rem denuo in armorum discrimen adducebant, anno tandem 1434 a Catholicis et Calixtinis sub Meinhardo de Nova Domo (Neuhaus) prope Bohemicam Brodam ingenti clade prostrati. A quo tempore Calixtini cum Catholicis regni ordinibus Sigismundum, ceu legitimum Regem suum agnoverunt, is autem anno 1436 Compactata a voto Calixtinorum paululum mitigata Iglaviae confirmavit. Taboritae vero

coetus separatos usque ad sic dictae reformationis tempus, saltem clam celebrare perrexerunt. Illorum propago sunt, qui dicuntur Fratres Bohemi et Moravi *(a)*.

CAPUT VII.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS, MORIBUS CHRISTIANORUM ET DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Ritus aucti.*

Quod ad cultum Religionis exteriorem attinet saeculo XI ad finem vergente ab omnibus pene Ecclesiis Occidentalibus in Missae sacrificio, religionisque functionibus sacris ritus romanus adoptatus, et linguae latinae usus introductus est, ut esset liturgiae uniformitas. S. Gregorius VII datis litteris effecit, ut Sancius Arragoniae, et Alphonsus Castellae Reges Liturgiam Romanam amplecterentur. Etiam Bratislao, Bohemorum Duci, missa Legatione honorifica persuasit Gregorius VII, ut repudiato ritu slavonico, divinum officium in posterum latina lingua a Bohemis celebraretur. Quoad Baptismum in locum immersionis, teste S. Thoma Aquinate, substituta fuit ablutio. Guido Cardinalis, antea Cisterciensium Abbas, cum Coloniae Agrippinae Apostolici Legati munere fungeretur, an. 1203 non tantum in elevatione sacrae Hostiae intra Missae Sacrificium, sed etiam in Eucharistia aegrotis afferenda tintinnabulorum usum invexit, sanciens, ut populus fidelis, dato campanae signo, prostratus jaceret. Saeculo XIII in morem passim abierunt *Ostensoria* et cerei. Alexander III Papa an. 1171 jus canonizandi Sanctos Sedi Appstolicae ita reservavit, ut ab eo tempore nulla amplius occurrant canonizationum Episcopalium exempla.

Festis diebus praesenti periodo magna in utroque orbe facta est accessio, institutis passim novis solemnitatibus, quarum notatu digniores attingam, quae in Occidentali Ecclesia celebrabantur. Huc oppido referendum Festum Theophoricum, seu Corporis Christi. Huic festo ansam dedisse fertur Juliana, Ordinis Cisterciensium in Dioecesi Leodiensi Sanctimonialis, quae fervidissimae devotioni aliquando vacans, et extra se veluti rapta cum in plenilunii orbe atram vidisset maculam eam divini instar ominis accepit, qua Festi Theophorici in Eccle-

(a) Jacques L. Enfant. Hist. de la guerre des Hussites et du Concil. de Basl., Beausobre supplement. a. l. Hist. des Hussites., Schimdt hist. Germ., Aeneas. Silv.

sia defectus significaretur. De qua visione certior factus Robertus Episcopus Leodiensis anno 1247. Festum Theophoriae in tota sua dioecesi celebrandum instituit. Urbanus IV Papa, olim Ecclesiae Leodiensis Archidiaconus, an. 1264 Festi hujus solemnitatem ad totam Ecclesiam extendit, edita speciali Bulla. Anno vero 1316. Joannes XXII Papa Theophoricam processionem addidit. Sic etiam speciale SS. Trinitatis festum hac primum aetate ad universam Ecclesiam propagatum est. Festum Conceptionis B. V. Mariae Sixtus IV pro universa Ecclesia sauxit, addiditque peculiare officium. Accessit denique festum Visitationis B.V. Mariae anno 1263, promotore S. Bonaventura, quod Urbanus VI Papa a. 1289 ad universam Ecclesiam extendit. S. Dominicus Rosarium in eam redegit formam, quam hodie praesefert, eo indubie fine, ut fidem tot haereticorum, in primis Albigentium opprobriis labefactatam, hujus devotionis ope animis simplicium eo altius infigeret.

Inter sacras aedes B. V. M. honoribus dedicatas, et copiosius frequentatas, potissimum eminet Domus Lauretana, Laureti Marchiae Anconitanae urbe medio in templo Cathedrali, ex ligno cedrino, lateribusque coctis extructa, et marmore exterius obducta, in qua B. V. Mariae effigies Thaumaturga publicae fidelium venerationi est exposita. De hac domo, quam esse Nazarethanam perhibent, in qua B. V. Maria ab Angelo Gabriele salutata fuerit, quamque Angelorum ministerio a. 1291 in Dalmatiam primum, deinde anno 1295 in Italiam et Lauretum translatam fuisse, fama fert, numquam sine veneratione loquitur Ecclesia catholica. Huic additur porro Cella Mariana, vulgo Maria Zell in Ducatu Styriae, in medio amplissimi templi, quod anno 1363 Ludovicus Hungarorum rex post partam de Amuretho Turcarum Sultano gloriosam victoriam, deleto veteri templo, longe magnificentius extruxit.

Bonifacius VIII Papa an. 1300, edita Bulla, indulgentias plenarias concessit omnibus et singulis, qui anno quolibet centesimo recurrente SS. Apostolorum Basilcas lustrarent, eo tamen discrimine, ut, si Urbis essent incolae per continuas 30 dies, si vero exteri, per 15 dies (semel saltem de die) praedictas Basilicas visitarent. Hic annus dictus fuit *Annus Sanctus*, *Annus Jubilaeus*, qui ex mente Bonifacii fuit imitatio anni jubilaei Haebreorum, et quemadmodum hoc anno 50 omnia Haebreorum mancipia libertatem nanciscebantur, agri et domus prioribus annis venditae, venditoribus reddebantur, et debita quaecumque remittebantur etc., ita etiam Bonifacius annum sanctum instituendo, nihil aliud intendit, quam ut peccatores vere contriti et confessi, nihil eorum, quae praescripta erant, omittentes, remissis omnibus delictorum debitis,

plane in integrum restituerentur. Ab initio quidem celebrabatur, de anno centesimo in centesimum. Ast Clemens VI anni jubilaei terminum ad annum 50, Urbanus VI ad annum 33 et Sixtus IV ad annum 25 restrinxere. Celebri quoque fama totum per orbem Catholicum memoratur Indulgentia B. Mariae Angelorum, vulgo de Portiuncula dicta. Tradit inter alia Bartholomaeus de Pisis: anno 1221 S. Franciscum, quum nocte oraret ab Angelo admonitum, ut sacellum B. Mariae Angelorum, in Campo Portiunculae prope Assissium situm, quod a Benedictinis dono acceperat, illico inviseret, festinanter praedictam cappellam intrasse, ibique viso majestatis divinae splendore, ab ipso Christo manifesto sibi apparente enixis precibus impetrasse, ut omnes, qui in hoc sacello sacramentalem confessionem peragerent, Indulgentiam Plenariam lucrarentur. Sanctus Franciscus Perusium profectus anno 1220 ab Honorio III obtinuit, ut quisquis consuetis dispositionibus instructus die 2 Augusti hoc Sacellum visitaverit, indulgentiam plenariam lucretur. Quae indulgentia postmodum ad omnes Ordinis Sancti Francisci Ecclesias a Romanis Pontificibus extensa fuit (*a*).

§. 2. *Mores Christianorum.*

Mores Christianorum hujus periodi multiplici labe infectos fuisse parum mirabitur, qui in memoriam revocaverit gentium barbararum conversiones acceleratas, ac interdum extortas, occasione expeditionum cruciatorum ferociam militarem tale Occidentem pervasisse, funestas controversias inter Sacerdotium et Imperium, Schisma Pontificum, Orientale Graecorum imperium suo fini proximum, ipsaque Ecclesiae catholicae viscera improbis haereticorum machinationibus dilaniata. Lugubrem morum faciem scriptores hujus aevi delinearunt. Guilelmus Tyrius inter alia scribit: « Tales esse praesentis saeculi, et maxime orientalis tractus homines, quorum mores, imo vitiorum monstra, si quis diligentiori stylo lucubraret, potius satyram movere videatur, quam historiam texere. » Addimus Conradum Urspergensem Abbatem, qui odia, dolos, perfidias, rapinas, depraedationes, incendia et seditiones in Germania ita vulgares fuisse scribit, ut nec quis de villa sua posset procedere secure saltem in proximam villam. Tristis-

(*a*) Muratori T. II. p. 4., Gregor. VII. ep. 64. L. 4., Card. Bona. rer. Liturg. L. 5. c. 15., Claud. Fleury Dist. 8. in H. Ecc. in parag. 5., Horat. Tursellinus Jesuita Hist. domus Lauret., Ragnold Annal. Eccl. ad annum 1300. T. XIV. p. 549 Claud. Fleury. Hist. Ecc. T. VIII., Cornel. Stephani Diss. hist. T. III. p. 5.

simam porro morum in Occidente conditionem etiam canones Synodorum demonstrant. Sic Concilium Lateranense primum can. 4. Principibus, aliisque laicis possessionum ecclesiasticarum usurpationem, vel alienationem sub reatu sacrilegii prohibuit. Concilium Lateranense II, ut bellis privatis totum fere Occidentem perturbantibus repagulum poneret, can. 11 determinavit dies, quibus Tregua sit custodienda, et can. 15. anathematis vinculo subjecit eos, qui suadente diabolo clericum et monachum percusserint. Concilium Lateranense IV confessionem annuam et Communionem paschalem statuit, quia poenitentiae et Eucharistiae usus passim negligebatur.

Nec in Laicis tantum, sed etiam in Clericis et Monachis multiplices vitae, morumque maculae reperiuntur. Eorum ruditatem, avaritiam, ambitionem, incontinentiam et luxum teterrimis coloribus depingunt horum temporum monumenta. Sic Episcopi et Abbates regibus militiam subministrantes saecul. XI ac XII ut Ivo Carnotensis, et Matthaeus Parisius testantur, militarem ferociam, bellique corruptelas ex castris retulerunt. Fuisse hunc inde Clericos vanitatis studio ac luxuriae deditos haud obscure significat S. Bernardus Clarevallensis *(a)*. Pluralitatem beneficiorum suo aevo vigentem graviter perstrinxit Petrus Blesensis. Gregorius VII multa saluberrima decreta contra Clericos concubinarios edidit, quae tamen universali effectu caruerunt. Igitur ab eo in primis tempore, quo Romana Ecclesia, ortis Antipaparum dissidiis in partes scindebatur, universus propemodum orbis christianus reformationis desiderio flagrabat. Accessit praeterea, quorumdam eruditorum studia humanitatis tractautium libido, omnia, quae hucusque sacra reputabantur, mordaci satyra perstringendi. Sed nolumus propterea cum naevis et defectibus hominum opus Dei confundere, aut in maculis Ecclesiae Catholicae mentem ita figere, ut venusta illius facies e conspectu nostro penitus evanescat. Praeterquam enim, quod Ecclesia in multum adlaboraverit, ut vitia crassiora statutis disciplinaribus reprimerentur, etiam praeclarissima firmae fidei, ardentis erga Deum amoris, et invictae virtutis exempla in quovis Catholicorum ordine, aetate, sexuque aevi hujus historia nobis exhibet *(b)*.

(a) Sermone 83. in Cant. (b) Guil. Tyr. Hist. sacri belli l. 21 c. 7., Conrad. Ursp. Chron. ad. an. 1192., Ivo Carnot. ep. 28. ad Philip. regem., Petrus Plessensis C. 1. in Job., Paulus Bermicedens. in vita Gregor. VII., Fabricius B. L. T. VI.

§. 3. *Monachi Carthusiani*, — *Cistercienses.*

Sanctus Bruno, Rhemensis Ecclesiae Magister et Cancellarius, teste Guiberto Abbate, mores prorsus improbos Manassis Rhemensis Episcopi, intimo corde horrens, cum aliis quibusdam Clericorum nobilibus, urbe deserta, Carthusiam discessit, eremum in rupe altissima, et asperrima Gratianopolitanae dioeceseos sitam, ibique an. 1086, adjuvante S. Hugone, Carthusianorum instituit Ordinem, quo nulla alia monachorum societas vitam professa est tristiorem magisque austeram. D. Bruno discipulos suos regulae quidem S. Benedicti ab initio adstrinxit, ita tamen, ut severiora postmodum veterum Aegypti et Syriae Eremitarum statuta addiderit. Referente eodem Guiberto, Carthusiani singuli habebant cellulas proprias, in quibus laborabant, dormiebant, et manducabant, a carnibus et vino abstinebant, solo pane et legumine contenti, piscibus et caseo festis tantum diebus usi, vestes hirsutas et sordidas assumebant, ciliciis ad nudum semper vestiebantur, silentium fere nunquam rumpebant, labori manuum et codicum descriptioni vacabant, omnimodam paupertatem profitebantur. Verissime dixeris, nullam unquam monachorum familiam minus a suis praescriptis degenerasse. Vivente S. Brunone, duo tantum monasteria extiterant, post ejus vero mortem Ordo tanta incrementa coepit, ut in toto orbe Catholico nova Carthusiensium coenobia surgerent, nec deessent foeminae, quae Ordini huic nomen darent.

Cisterciensium auctor fuit Robertus Molismensis coenobii in Burgundia Abbas, qui cum suos ad servandam Sancti Benedicti regulam frustra fuisset cohortatus, rei hujus taedio a. 1098 cum 20 sociis melioris mentis Cistertium, in regione uliginosa et nemore vastissimo prope Diviodunum in dioecesi Cabislonensi situm, ibidemque annuente Hugone Archiepiscopo Lugdunensi, Ordinem instituit, qui brevi per magnam Europae partem propagatus, vitae sanctimonia, fama et dignitate, ipsam Cluniacensium Congregationem longe antecessit. Sancti Benedicti regulae propriisque statutis devincti sunt Cistercienses. Roberto ad Molismenses suos RomanaeS edis auctoritate revocato, substitutus Albericus, anno 1100 novi Ordinis confirmationem a Paschali II impetravit. Ordinis hujus saeculo XII praecipuum decus, et alter quodammodo parens fuit S. Bernardus, qui juvenis adhuc 20 fere annorum, cum aliis 30 sociis recipi ad Instituti hujus societatem petiit, impetravitque, in monasterio tandem Clarevallensi omnium clarissimo, ad dignitatem Abbatis evectus, a quo merito Bernardini dici possunt. Viri hujus praeclari conatibus coenobiorum numerus

adeo crevit, ut 50 ab Ordine condito annis jam 500 Abbatiae numerarentur, earumque numerus sensim ad 2000 ascenderet. Hic Ordo solerti industria, frugalitate, parsimonia et largis donationibus ingentes sibi divitias comparavit, et vel ideo disciplinae sensim naufragium fecit *(a)*.

§. 4. *Praemonstratenses.*

Labentem multis saeculis Canonicorum disciplinam saeculo XII instaurare constituit S. Norbertus, Hanti, Cliviae oppido natus, a. 1082 homo primum aulicus, soli ambitioni ac voluptatibus serviens, ast cum forte animi causa in campo equitans orta cum tonitru tempestate, inter maximos coeli fragores equo excuteretur, ad meliorem frugem subito conversus, et in oppido natali Canonicorum institutum amplexatus. Ex quo tempore Norbertus plures passim provincias peragravit, poenitentiam praedicaturus, morumque emendationem. Laudunum cum pervenisset, a loci Episcopo adhibitus est, Canonicis regularibus reformandis. Sed plerique reformatorem hunc detrectarunt adeo, ut peculiaris aliquis locus esset deligendus, in quo ii, qui melioris erant mentis, congregarentur. Hoc igitur pacto a. 1120 novus Canonicorum regularium Ordo est conditus in dioeceseos Laudunensis loco sylvis horrido et solitario, in prato, quod dicitur *pratum monstratum* (pré monstré) a quo Ordinis sodales postea Praemonstratensium traxere nomen. His praescripta est S. Augustini regula: novis tamen, satque austeris constitutionibus amplificata. Novus Ordo non solum a Calixto II et Honorio II summis Pontificibus fuit confirmatus, sed etiam exiguo temporis spatio late per Germaniam et Galliam propagatus. Ordini huic etiam foeminae nomen dabant, quorum pleraque monasteria deinde interierunt *(b)*.

§. 5. *Ordo SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum.*

Ordinem SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum vel Ordinem Mathurinorum, a sacello Parisiensi S. Mathurino sacro sic dictum, fundarunt anno 1198 Joannes de Matha sacrae facultatis Parisiensis Doctor, vitaeque solitariae a teneris ama-

(a) Guibert. Abb. l. 1. de vit. sua c. 11., Chron. Mauriniacense l. 2. Ib. Columbi Diss. de Charthus. initiis, Acta SS. mens. April. T. III., Augusti. Sartori. (b) Herimanus hist. restaurat., Abbat. S. Martini Fornat. Jacob de Vitriaco Hist. occident., C. L. Hugonis Annal. sacr. et can. Ord. Praemonstr.

tor, et Felix Valesius celebris eremita. Qui, cum in loco, qui Cervus Frigidus (Cerfroy) appellatur, in dioecesi Meldensi triennio vitam solitariam egissent, ostensa coelesti, ut fertur, Angeli duos tenentis captivos visione, non jam dubitabant, ab ipso Deo se excitari, ut Romanae Sedis mandatum quantocyus exquirerent. Cum pervenissent Romam, Innocentius III Papa ipsis non tantum certam vitae regularis normam, sed etiam candidas vestes, superaddita cruce rubri et caerulei coloris, tradidit novumque Ordinem approbavit, cum onere redimendi captivos Christianos, qui occasione expeditionum cruciatarum, aut belli Saracenici in Hispania in servitutem infidelium inciderant. Qui Ordini huic nomen dabant, vi regulae ab Episcopo Parisiensi acceptae a piscibus et carnibus abstinebant, exceptis diebus dominicis. Sed alia mox successit regula in multis mitigata, et anno 1267 a Clemente IV approbata. Dici non potest, qua celeritate Ordo Mathurinorum per Galliam, Flandriam, et Hispaniam fuerit propagatus (*a*).

§. 6. *Ordo Servitarum.*

Anno 1233 Ordo Servorum B. V. Mariae, vulgo Servitarum, institutus est Florentiae per septem nobiles Viros, quorum facile Princeps erat Bonfilius de Monaldis. Hisce viris regulam S. Augustini cum nigra veste, et oratorium cum altari extra urbis portas an. 1235 assignavit Episcopus Florentinus, data illis insuper mendicandi venia. Ordinem an. 1255 approbavit Alexander IV, eumdemque variis privilegiis postea muniverunt succedentes Romanae Ecclesiae Pontifices. Nobilissimum prae reliquis ac locupletissimum est Ordinis hujus Templum sub Annunciatae Virginis memoria Deo sacrum, anno 1250 Florentiae extrui coeptum, et frequentibus fidelium votis, piisque oblationibus celebre. Servitae vitam sat austeram vivebant, necessarium victum mendicando sibi parabant, et quia continuo laudes B. V. Mariae celebrant, servi B. V. Mariae dicti sunt. Cum sodalitium Servitarum novis in dies membris augesceret, aliud illis domicilium Senis est assignatum; imo S. Philippus Benitius a. 1267, in Ordinis Generalem assumptus, plura alia monasteria fundavit, pluresque sodales in Poloniam, Hungariam et in ipsam Indiam misit. Celebriores hujus Ordinis viri erant Paulus Sarpius, Historiae Concilii Tridentini scriptor, et Ferrarius rerum antiquarum peritissimus (*b*).

(*a*) Heliot. l. c. T. II. p. 366.—88., Toussaint. (*b*) Heliot. l. c. T. III. p. 332.—85.

§. 7. *Origo Ordinum Mendicantium.*

Verum hos, cum forma et numero, tum juribus et privilegiis, longissime superarunt Ordines mendicantes tempore hoc institui coepti, quos summa sane Ecclesiae necessitas exposcere videbatur. Cum enim veteres monachorum familiae vel propter rerum affluentiam turpi sensim pigritia ac mollitie tabescerent, multi porro Clericorum saecularium, teste Claudio Fleury avaritiae, luxui et lasciviae totos se darent, et Arnaldus a Brixia, Valdenses, aliaeque sectae haereticae istis temporibus exortae, paupertatem voluntariam impense commendarent, et sacri Ordinis vitia ex divitiis nata acerbe castigarent, summae necessitatis visum est, ut etiam ex parte Ecclesiae Catholicae conderentur Instituta virorum, qui morum austeritate, opum contemptu, vitaeque sanctimonia obtrectatorum aculeos retunderent, ne pollicitationibus ullis, aut minis ab obsequio Sedi Romanae debito evellerentur. Hi fuere natales Ordinum mendicantium, quorum numerus brevi temporis spatio adeo crevit, ut Gregorius X eosdem in Concilio Lugdonensi a. 1274 ad quatuor redegerit, Dominicanorum scilicet, Franciscanorum, Carmelitarum, et Augustinianorum Eremitarum (a).

§. 8. *Dominicani.*

Ordinem Praedicatorum fundavit S. Dominicus, an. 1170 ex illustri Gusmanorum stirpe Calarogae in Hispania natus, vir valde pius, humilis, facundus, et inter Canonicos regulares Oxomensis Ecclesiae coaptatus, qui tantum rapiebatur Religionis fervore, ut primum cum suo Episcopo Didaco, deinde cum aliis sociis in Gallias proficisceretur, et Albigensibus haereticis convertendis suas operas impenderet. Quo in munere cum plures annos incredibili domus Dei zelo Dominicus insumpsisset, novis additis sociis, Praedicatorum Ordinem instituit, qui habendis ad populum de Religione sermonibus, et haeresibus extinguendis maxime inserviret, primumque Ordinis coenobium Tolosae ad S. Romanis condidit anno 1215. Ordinem lubentissime approbavit Innocentius III, oblata, ut perhibent, coelesti visione Basilicae Lateranensis ruinam minitantis, quae subjectis S. Dominici, et S. Francisci humeris sustentabatur; eumdemque confirmavit Honorius III, an. 1216; cum S. Dominicus approbatam ab Ecclesia regulam, quae nomen

(a) Claudius Fleury. Diss. VIII. in hist. Eccl. c. 8., Harduin. Collect. Concil. T. VII. p. 713., Mansi T. XXIV.

a D. Augustino habebat, communicato cum suis consilio, elegisset. Post quadriennium ab Ordinis confirmatione S. Dominicus in primo generali Capitulo Bononiae celebrato suis omnium bonorum abdicationem praescripsit. Ordinis hujus viri appellabantur Dominicani ab auctore suo, Fratres Praedicatores, quod praedicando Evangelio in primis vacarent, et etiam Fratres Majores in antithesi cum Fratribus Minoribus Sancti Francisci. Mortuo a. 1221 Bononiae S. Dominico, Ordo ab illo conditus sub B. Jordano totius familiae post illum generali Ministro in dies magis virescebat, ita sane, ut non solum in Gallia, Italia, Germania, et Bohemia, sed etiam in Anglia, Hibernia, Dania, aliisque Europae regnis stabilem sedem figeret *(a)*.

§. 9. *Franciscani.*

Franciscanorum auctor fuit S. Franciscus anno 1182 Assisii in Umbria natus, mercatoris filius, vir a teneris jam valde liberalis, ac beneficus, rerum terrenarum plane incurius, pietatis, humilitatis, et austeritatis erga seipsum studiosissimus, qui verba Christi *(b)* praecipientis : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris : non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam,» pectori suo ita infixit, ut abjectis quantocyus pallio, calceis, baculo ac pera, unicaque servata tunica coloris cineracei, quam fune constrinxit, Italiae oppida et pagos praedicando peragraret, mendicando victum suum quaereret, leprosos peramanter foveret, eorumque ulcera oscularetur. Neque deerant paupertimae vitae candidati, qui sancto viro, Ordinem instituere meditanti, totos se dirigendos committerent, novamque Regulam ab illo concinnatam libenter amplecterentur. Primus ejus Regulam approbavit Innocentius III an. 1210 sed tamen dumtaxat vivae vocis oraculo, ut dicitur. Novennio post id scripto praestitit Honorius III; hoc pacto prima jecta sunt fundamenta celeberrimi Ordinis Seraphici, cui qui nomen dabant, hos Franciscus nominari voluit *Fratres Minores*, ab ipso vero fundatore Franciscani dicti fuere. Ordo hic S. Francisci primus est. Praeter hunc surgebant et duo alii ejusdem Ordines. Secundus nempe Sanctimonialium, quae Damianitae primum audiebant ab Ecclesia S. Damiani, quam ipsis assignavit S. Franciscus, deinde Clarissae a S. Clara, nobili origine Assisiate, novique Ordinis Fundatrice, cui Seraphicus Patriarcha anno 1224, peculiarem regulam tradidit. Regulam hanc confirmavit Innocen-

(a) Acta SS. App. T. III., Holstenius Cod. regg. monast. T.V. Martene.
(b) Matth. 10., 10.

tius IV anno 1246. Tertium denique Ordinem instituit, seu potius Semi-Ordinem, quo viris foeminisque, cui Regulam ab ipso hunc in finem scriptam intra privatos quidem parietes servarent, a conviviis, compotationibus, ludis, choreis, maledictis ac litibus abstinerent, bona opera pro parte virili exercerent, et modesto corporis cultu, habituque uterentur, attamen in saeculo manerent, nec solemni voto se alligarent. Hanc regulam Honorius III et Gregorius IX ore approbarunt, et Nicolaus IV scripto confirmavit anno 1289. Semi-Ordinis hujus sodales vulgo dicti sunt *Tertiarii, Fratres de Poenitentia, Fratres de Sacco (a).*

§. 10. *Carmelitae.*

Ordinis Carmelitarum, seu Fratrum B. V. Mariae de monte Carmelo dimidio fere saeculi XII parens fuit quidam Bertholdus Sacerdos, e Calabria oriundus, qui cum aliis peregrinatoribus piis in montem Carmelum devotionis causa profectus quum in extrema jugi parte, ubi Prophetae Eliae spelunca spectatur, antiqui monasterii bellorum adversitatibus destructi et ab incolis deserti reliquias invenisset, porro illud vallo cinxit, extructoque sacello, humile sibi domicilium, suisque intus delegit vitam acturus ad normam veterum Anachoretarum. Succedebant identidem novi coloni, atque ita vitae illud genus ad plures est propagatum, qnod qui sequebantur, bis anno circiter 1209 Albertus Hierosolymitanus Patriarcha, petente Brocardo Bertholdi successore, stabilem vivendi legem dictavit, seu regulam 16 articulis digestam, vi cujus Carmelitis diuturnae preces, rigidissimum jejunium, perpetua ab esu carnium abstinentia, solitudo, silentium, fuga otii etc. inculcantur. Regulam ab Alberto editam a. 1226 approbavit Honorius III, annoque 1230 confirmavit Gregorius IX. Propter hostiles Saracenorum incursus Ordinis hujus sodales an. 1238 alibi gentium domicilia quaerebant, ab initio migrantes in insulam Cyprum, deinde in Siciliam, demum in Angliam, Galliam, aliasque Europae provincias. Cum tamen institutum eorum Occidentis regionibus minus conveniret, Innocentius IV a. 1246 austeritatis aliquid detraxit *(b).*

(a) S. Bonavent. vita S. Francisci, Heliot l. c. VII. p. 210. (b) Papebrochius in Comment. hist. ad vitam B. Alberti c. 10.

§. 11. *Augustiniani.*

Erant saec. XIII in Italia plures Eremitarum congregationes, nulli regulae adstrictae, quas plures identidem Pontifices ad unum Ordinem, regulae S. Augustini devinctum revocarunt. Sic Congregationi Eremitarum, in superiori Italia a Beato Joanne Bono institutae, regulam S. Augustini tradidit Innocentius IV, cui subjecit varios etiam Hetruriae Eremitas. Gregorius IX congregationem Eremitarum, de Brictinis in Marchia Anconitana degentem ad regulae Augustinianae observantiam obstrinxit. Has demum et plures alias Eremitarum congregationes Alexander IV, edita anno 1256 Bulla, in unam redegit Ordinis Augustiniani observantiam, sub uno Priore generali Lanfranco addito exemptionis privilegio. Ceterum et hic Ordo plures reformationes subiit, et aliorum Ordinum mendicantium more in Augustinianos *Calceatos* et *Discalceatos* abiit (*a*).

§. 12. *Eorum privilegia et lites.*

Cum Fratres mendicantes in primis Franciscani et Dominicani Sedi Romanae addictissimi essent, nihilque magis habeant curae, cordique, quam ut verae fidei incrementa et Ecclesiae catholicae auctoritatem ac splendorem in dies promoverent, mirum non est Romanos Pontifices, ut grati animi specimina darent, amplissimis eosdem juribus et privilegiis clementer auxisse. Huc referri possunt variae dispensationes supra certos regulae articulos, jus personas fugientes a saeculo in Fratres recipiendi, exemptio a decimis, maxima vero facultas, ubique gentium et fidem catholicam praedicandi, juventutem instituendi, et Sacramenta administrandi, etiam sine licentia Episcoporum et Parochorum. Cum docendi provinciam semel suscepissent, eorumque haud pauci in philosophicorum, sacratiorumque studio excellerent, mox factum est, ut in publicas passim scholarum palaestras prodirent, et in Universitatibus fere soli praeceptorum magisterio fungerentur. Inde gravissimum certamen ortum est inter S. Dominici filios, et theologicam facultatem Parisiensem, ab anno 1228 ad 30 annos protractum, et deinde propagatum ad alias universitates.

Nimirum in sacra facultate Parisiensi Fratres Praedicatores duas cathedras obtinuerunt, quod agerrime ferentes reliqui Doctores, earum unam ipsis eripiebant. Atqui non erat ipsis animus, sine quaerimonia amissa deserere; quod dum

(*a*) Chr. Lupi de orig. Eremit. Aug. Diss. opp. T. XII.

faciebant, theologicae facultatis gremio sunt pulsi. Inde exorta est utrimque magno discordia motu. Causa ad Sedem Romanam devoluta, Alexander IV anno 1255 Academiae Parisiensi praecepit, ut non modo cathedras Dominicanis illico restitueret, sed ne impediret quidem, quin aut ipsi aut D. Francisci sodales plures alias, quotquot libuerit, theologicas cathedras occuparent, nisi sacrae facultatis excidium experiri vellent. Atque vicit ad extremum Pontificis voluntas, praesertim postquam Ludovici S. Christianissimi Regis voluntas inclinata est in Summi Pontificis sententiam. Sorbonae longe acerrimus defensor extitit Guillelmus de S. Amore, sacrae facultatis Parisiensis Doctor, qui non contentus, concionibus scriptisque theologicae facultatis causam perorasse, et ad singula objecta respondisse, tandem ipso saeculi dimidio Religiosos mendicantes acerbissime insectatus est, edito famoso libro *de periculis novissimorum temporum*. Auctor libri hujus inter alia tuetur: nullam esse in mendicitate virtutem, sed unice in laborando, ut docent exempla veterum institutorum; mendicitatem horum virorum maxima Ecclesiae pericula portendere; futuros illos esse acquirendi studio hominum adulatores, detractores, mendaces, ipsos denique omnem Ecclesiae disciplinam enervaturos. Subjungit et plura alia, satis aspera et iracunde dicta, velut: ipsos esse Antichristi praecursores, et alia, ex quibus vehemens hujus viri ingenium dignoscitur. His et aliis propositionibus temerariis, ac vere contumeliosis Mendicantium animi usque adeo commoti sunt, ut editis scriptis convicia confutarent, nec antea quiescerent, donec Alexander IV anno 1256 ipsum omnibus beneficiis spoliatum urbe expelli, ejusque librum Romae flammis tradi juberet. Ast sub Clemente IV pacatis academiae rebus, et Dominicanis in duplicis cathedrae possessione confirmatis, Guillelmus Parisios rediit, ibique emollito ex parte, ac emendato praefato libello, in communione Ecclesiae obiit *(a)*.

§. 13. *Disciplina poenitentialis.*

Nobilissimam poenitentiae speciem hoc aevo referebant expeditiones cruciatae. Ast insanabile vulnus disciplinae ecclesiasticae earum occasione inflictum est. Certe poenae canonicae cessarunt, cum omnibus, qui arma contra infideles sumerent, aut pecunias ad expeditionis successum conferrent, indulgentiae plenariae concederentur. Ita factum est, ut sola fere poenitentia interna, et confessio sacramentalis retineretur.

(a) Boulay.

Cum vero haec sacra bella cessarent, Christianorum Occidentalium conditio nihilo melior est reddita. Ut enim taceamus seditiosa haereticorum molimina, quibuscum erat Christianis Catholicis conflictandum, etiam ferocia Turcarum ac Tartarorum agmina orbi christiano in dies magis appropinquabant; adeoque eaedem semper perdurabant poenitentium relaxandi rationes, cum stabiles militum copiae sui defendendi gratia comparatae etiamnum deessent, nec Principum ea esset potestas, ut vectigalia publica secura colligere licuisset. Interim poenitentiae canonicae neque a Pontificibus, neque a Conciliis fuere sublatae, sed earum consuetudo tantum per temporum injurias extincta fuit (*a*).

(*a*) Claud. Fleury. Diss. 6. in H. E. paragr. 2. et 11., Morinus de poenitentia l. 10. c. 24. et 25., Guil. Paris. de poenit c. 17.



PERIODUS QUINTA

INSTITUTIONUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

NOVI TESTAMENTI

A LUTHERO AD NOSTRAM USQUE ÆTATEM

H. E.

AB ANNO 1517. USQUE AD ANNUM 1846.

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 1. *Status civilis Europae.*

Sub initia hujus periodi tanta erat domus Austriaco-Habsburgicae vis, ut a temporibus Caroli M. Princeps Carolo V. ex illa domo orto in Europa potentior haud fuerit. Nam Carolo V a. 1519 in Imperatorem electo, parebant amplissimae terrae ad Domum Austriacam pertinentes, Belgium, Sardinia, utraque Sicilia, tota Hispania, et magna Americae pars. Immensa haec Domus Austriacae potentia Principes reliquos sollicitos reddidit, ut ad quoddam quasi aequilibrium inter regna Europaea restituendum arctissima foedera inter se sancirent, et gravissima bella cum ea gererent. Debilitatis tum his, tum aliis ex causis Austriacorum viribus, summa rerum Europaearum inde a medio saeculo XVII. penes Gallos esse coepit, quorum Rex Ludovicus XIV. perpetuis fere 40 annorum bellis et victoriis regni sui limites plurimum amplificavit, latius etiam eas dilataturus, nisi Anglorum Guillelmi regis, et eo a. 1702 defuncto, Annae reginae armis probibitus fuisset. Verum sub Ludovico XV. multis modis aucta est Gallorum miseria. Huic malo medelam sua parsimonia ferre videbatur Ludovicus XVI. Princeps aequi, justique amantissimus; ast ab impiis subditis prius a. 1792. regia potestate destitutus, dein a. 1793 decollatus fuit. Post ejus destitutionem procla-

mata fuit Respublica, ad quam gubernandam Galli a. 1792 triumviratum, a. 1795 Directorium, et a. 1800 consulatum instituerunt. Primus Consul, Napoleon Bonaparte, 2 Decembris a. 1804 Parisiis a Pio VII Gallorum imperator coronatus est. Eo an. 1814 exauctorato et in exilium misso ad thronum Galliae pervenit Ludovicus XVIII, cui successit Carolus X ejus frater. Hunc Gallifacta seditione, an. 1830 regia privarunt dignitate, et in ejus locum Philippum Ducem Aurelianensem substituerunt, qui hodiedum habenas regni Galliae tenet, et Gallorum rex vocatur. Carolus X mortuus est Goritiae 6 novembris 1836, quem 3 Junii 1844 sequutus est ejus filius Ludovicus Antonius Dux Angulemensis. Amborum corpora in cryptis PP. Franciscanorum Castagnavizzae sepulta snnt.

Angliae potentia repetenda est ab Elisabetha regina, quae a. 1558 solium conscendit. Ea enim imperante prima Anglorum colonia in America constituta est, res navalis aucta, manifacturae magis perfectae, et commercium ad Indiam orientalem, Persiam et Asiae provincias Turcis subjectas dilatatum. Elisabethae successit Jacobus I Scotiae rex, sub quo unitis Angliae et Scotiae regnis nomen Magnae Britanniae inditum est. Eo regnante dirissimum circa Religionem dissidium in Anglia erupit quod eousque crevit, ut Carolus I ejus filius et successor a. 1649 in publico foro capite plexus fuerit. Post hujus mortem rempublicam rexit Cromvel, qua abolita regni gubernacula capessivit Carolus II, et postquam is ex hac vita decessit, ejus frater Jacobus II, Guilielmus III, Princeps Aransioneusis et Belgii foederati gubernator ab Anglis reformatis Jacobo II religionis causa infensis invitatns, a. 1689 snmma rerum in Anglia potitus, ejus potentiam auxit, et aequilibrium contra Gallorum molimina Enropae restituit.

Inter has rerum conversiones Germania continuis fere bellis turbata, aliisque malis pressa fuit. Vi pacis Campoformiensis a. 1797 et Lunevillensis a. 1801 conclusae, totum territorium trans Rhenum Reipublicae Gallicae cedere et praeter plerasque urbes imperii liberas, etiam Archiepiscopatus, Moguntino excepto, Episcopatus et Abbatias omnes Principibus saecularibus, qui possessiones suas transrhenanas amiserant, compensationis loco assignare debuit.

Hispania sub Carolo V et Philippo II potentissima, post obitum Caroli II ultimi ex domo Austriaca Regi, pactis Ultrajectinis a. 1713 ad domum Borbonicam fuit delata. Lusitania Hispanis per 60 annos subjecta, anno 1640 in libertatem se asseruit. Suecia, Dania et Norvegia, quae ineunte hac periodo eidem regi subjectae erant, paullo post, ejecto ob tru-

culentiam Christiano II, in duo regna Daniae et Sueciae divisae sunt. Russia moribus, legibus, litteris, et artibus sub Petro I seu Magno primum florere coepit. Sed et nova regna orta sunt, Prussiae scilicet et Sardiniae. Nempe Fridericus III, Elector Brandeburgicus a. 1701 coronam regiam in Regiomonte ipse sibi imposuit, et Ducis titulum in nomen Regis mutavit, Fridericus I deinceps dictus. Sardinia vero vi quadruplicis foederis a. 1718 Victori Amadaeo Sabaudiae Duci cum Regis titulo data est.

Novae quoque Respublicae ortae sunt: Batavorum, qui sub Philippo II, Hispaniae rege, in libertatem se vindicarunt a. 1580, et Italica-Cisalpina a. 1802 stabilita. Genuensis, Luccensis et Helvetorum, formam aristocraticam in democraticam commutarunt. Veneta et Polonica extinctae sunt. Illa vi pacis Campoformiensis et Lunevillensis in Domum Austriacam transiit; haec vero annis 1793 et 1797 divisione facta, in jus Austriacorum, Russorum, et Borussorum concessit (a).

§. 2. *Status litterarum.*

Hac periodo meliores litterae, magnorum virorum ingeniis et studiis excultae et expolitae fuere. Hi enim classicis auctoribus cum graecis, tum latinis studebant, et ad eorum imitationem opera in lingua vernacula componebant; atque ita factum est, ut Italia, Gallia, Germania, Anglia, Hispania, aliaeque nationes suos oratores, et poetas nanciscerentur. Uberrimi fructus, qui ex litterarum cultura in Ecclesiam et Rempublicam manarunt, diu non poterant latere Principes et Magistratus. Hi igitur communi in litteras favore animati novas condiderunt Universitates, pluresque instituernnt societates litterarias, quas Academias vocant. Post varias vicissitudines philosophia a praestantissimis viris Francisco Baccone de Verulamio, Isaco Newtono, Petro Gassendo, Renato Cartesio, Gallilaeo, Leibnizio, Volfio aliisque plurimum emendata prodiit, vicitque; demum post multas pugnas, et repudiatis studiis sectariis melior philosophandi methodus apparuit. Ita evenit ut mox jus naturae privatorum et gentium, jus canonicum, aliaeque scientiae in meliorem formam redigerentur.

§. 3. *Propagatio Religionis Christianae in India et Japonia.*

Exeunte saeculo XV, exceptis Turcis et paucis gentibus borealibus, tota Europa Christum colebat. Hac vero periodo

(a) Heinrich Hist. Franc. t. 3,

Christi Religio per reliquas orbis partes longe lateque propagata est. Cum enim Europaei, potissimum Portugalli et Hispani in India, America et Africa possessiones acquisivissent, horum Reges cupiebant illarum terrarum incolas, nunc sibi subditos ad Christum perducere. Hunc in finem Joannes III, Lusitaniae Rex, a S. Ignatio Societatis Jesu fundatore fidei praecones petiit, et Franciscum Xaverium impetravit, qui a Paulo III legati apostolici dignitate auctus, cum duobus Ordinis sui sociis iter ingressus, a. 1542. Goam Indiae Lusitanicae metropolim feliciter pervenit, ubi jam saeculo superiori Franciscani praedicaverant, et Seminarium erexerant. Franciscus primo Goae indigenis convertendis operam dedit, deinde eodem adhuc anno ad Paravos migravit, eosque ab idolis ad verum Deum perduxit. Post haec inter Punicalenos in Indiae orientalis plagis magno cum fructu verbum Dei praedicavit, et a. 1543 in Promontorio Commarino ingentem multitudinem baptizavit. Inde a. 1544 in regnum Travancorense penetravit, et unico mense decem hominum millia Christo lucrifecit. Anno 1545 Malaccam venit, et Christianos sat degeneres ad meliorem frugem reduxit novisque auxit. Anno sequenti in insulis Moluccensibus, Amboina et Tarnate, integram gentem fide Christiana imbuit. Similiter a. 1548 regem Candyensem in insula Ceylana ad Jesum Christum perduxit. An. 1583, ne alter in alterius messem calcem mitteret, India inter Missionarios fuit divisa, qua in divisione Insula Ceylana Fratribus Minoribus obtigit (a). Anno 1602 cum Andreas Episcopus Tochinensis Ordinis S. P. Francisci visitasset Insulam Ceylanam suae jurisdictioni subjectam, de consensu Gubernatoris et Archiepiscopi Goani Fratribus Minoribus socios dedit Jesuitas, ut unitis viribus animarum salutem promoverent (b).

Anno 1549 S. Franciscus profectus est in Japponiam. Huic itineri suscipiendo ansam dedit quidam Japponensis incola a patria sua profugus et a S. Francisco baptizatus, qui spem fecit Christi Religionem inter Japponenses admissum iri. Reapse Franciscus in provincia Saxumiensi, permittente Regulo, brevissimo temporis spatio, ultra 200 Japponenses ad sacra christiana convertit, et inter hos etiam duos Bonzos (Sacerdotes) quos ad Seminarium Goense misit. Concitato a Bonzis contra Evangelii praecones populo, Franciscus in provinciam Firando se contulit, et a. 1551 Meacum, totius Japponia metropolim, petiit; ast cum nihil efficere potuisset, in urbem Amanguchi reversus, 500 Japponenses regeneravit. In regno Bungo, quo

(a) Du Fresne. t. 1. pag. 315. (b) Henrion Stor. delle Miss. l. 2. cap. 22. p. 185.

tardius venit, etsi a rege invitatus, haud laetiorem habuit successum, siquidem Bonzi ei objiciebant: « Si Religio christiana praestantior foret, certissime sapientes Sinenses eam amplecterentur. » Quam ob rem Franciscus a 1552 ex India, quo prius reversus est, in Siriam navigavit; at antequam eam attingeret, in vicina insula Sanciano, morbo correptus ad praemia laborum suorum per 10 annos sibi comparata evolavit, merito ab Urbano VIII. Indiarum Apostolus vocatus, et albo Sanctorum adscriptus. Post S. Francisci discessum in Japponia Evangelium Jesu Christi a Jesuitis eo successu fuit praedicatum, ut numerus Christianorum 200,000 excederet, et in ipsa Metropoli Meaco Christiani Ecclesias et scholas haberent (*a*). Anno 1594 P. Petrus Baptista Franciscanus, cui opitulabantur Fratres Bartholomaeus Ruiz, Franciscus a S. Michaele, Augustinus Rodriguez, Maurus a Ribadeneira, et Hieronymus a Jesu ejusdem Ordinis, in Metropoli Meaco Ecclesiam extruxit, in Onka Monasterium, et in Provincia Magasaki coloniam fundavit (*b*).

§. 4. *In imperio Sinensi.*

Primus in Sinam venit a. 1582 Matthaeus Ricci, Maceratae in Piceno natus, qui postquam Sinensium linguam, litteras et caeremonias addidicit, non minus moribus, quam scientiis mathematicis effecit, ut plures eorum Christi Religionem amplecterentur. Post 20 annos in Sina transactos, aditum ad imperatorem impetravit, eumque oblata Christi et Mariae effigie nec non horologio ita sibi conciliavit, ut majorem docendi libertatem adipisceretur. Ex conversis nonnulli Evangelii praecones evaserunt, quo in negotio eminuit nobilis quaedam foemina in Baptismo Candida nominata, quae non tantum maritum suum ad Christum convertit, sed etiam 30 Ecclesias aedificavit, et missionarios pecunia et commendatione eousque adjuvit, ut in alia provincia 95 Ecclesiae et 45 Oratoria extruerentur. Mortuo an. 1610 Matthaeo Riccio successere alii Jesuitae, qui tali cum successu verbum Dei praedicarunt, ut circa annum 1650 mater imperatoris Yunhi primaria ejus uxor, et 50 foeminae aulicae ad sacra christiana transirent. Imperator Cum-tschi Adamo Schall doctissimo Jesuitae praesidium tribunalis mathematici demandavit, duas Ecclesias Pechini aedificari permisit. Ejus filius Can-

(*a*) Lib. 5. epist. S. Franc. Xav., Horat. Tursalin. vit. S. Franc. Xav., Petrus Maffei hist. Ind. l. 12., Orlandini hist. Soc. Jesu, P. I., Passini hist. Societ. Jesu P. 5. (*b*) Henrion Storia delle Miss. l. 2. cap. 22. p. 205.

ghi an. 1669 Adamo Shall defuncto Ferdinandum Verbiest successorem dedit, missionarios a suis tutoribus pulsos, ad Ecclesias suas redire permisit, et Mandarinis munera adempta restituit. Anno 1671 supremum caerimoniarum Collegium a quo ipse imperator quodammodo dependet, Sinensibus quidem vetuit baptismum suscipere; ast non obstante hac prohibitione 20,000 eorum Christo nomen dedere. Imperator, quem Jesuitae ope corticis peruviani a febri liberarunt, non solum effecit ut illa lex a supremo coerimoniarum Collegio revocaretur, verum etiam eis intra palatii sui moenia amplissimam domum donavit, et suis sumptibus Ecclesiam extruxit (a).

§. 5. *In Paraguaja.*

In Paraguaja, ab Hispanis inde ab anno potissimum 1536 succesive occupata Missionarii ab initio haud eum fructu praedicare potuerunt, partim ob incolarum feritatem, partim ob animum eorum ab Hispanis aversum, et partim ob simultates Hispanorum, qui indigenarum conversioni propterea retinebantur, quod cum conversis non amplius pro lubitu agere sibi liceret. Anno 1547 in urbe assumpta summus Pontifex Paulus III erexit Cathredam Episcopalem, ad quam evectus fuit P. Joannes Borros Ordinis S. P. Francisci. Eidem ad Episcopatum S. Marthae in nova Granata translato an. 1554 substitutus fuit P. Petrus a Trevi ejusdem Ordinis. Post saeculi XVI medietatem S. Franciscus Solanus in Dioecesi Cordubensi natus Ordinique Fratrum Minorum adscriptus, varias Americae Septentrionalis regiones peragravit, et plura hominum millia Christo lucrifecit. Pater Aloysius a Bolanos ejus discipulus, coetui fidelium in Paraguaja praefuit, et catechismum in linguam incolarum vertit. An. 1640 ad Episcopatum in urbe assumpta erectum promotus fuit Bernardinus Cardenas Franciscanus, cui agentibus Jesuitis, expulso, Romanus Pontifex Gabrielem Guillestigni Ordinis S. Francisci substituit (b). Anno circiter 1581 duo Franciscani ita felices fuere, ut compluribus baptismum administrarent. His a 1586 successere Jesuitae, qui ex Brasilia et Peruvia venientes permultos baptizarunt, eosque permoverunt, ut in quatuor pagos, quos reductiones vocabant, coirent. Cum vero

(a) Passini hist. Soc. Jesu. P. 3., Du Hald. Descript. Imp. Sin. et M. Tartar., Mosheim Narrat. Nov. hist. Sin., Bostoch ep. de Miss. extraord.

(b) Charlavoix Hist. du Parag. t. 1. p. 536. col. 1., Taurnon Stor. gener. dell' America t. 11. p. 54., Henrion storia delle Mission. l. 3. cap. 31. p. 573. 574.

ulteriori Religionis Christianae progressui obstarent Hispani, a quibus indigenae injuriis afficiebantur, Jesuitae a. 1610 a Philippo III Hispaniae rege impetrarunt, ut omnes Europaei laici a Paragnaja excluderentur. Quo facto Jesuitae, jam longe faciliori successu incolas ad sylvas deserendas, domicilia fingenda, et sacra christiana amplectenda perduxerunt, ut numerus pagorum ad triginta excresceret. Novi hi Christiani a Jesuitis in rebus ecclesiasticis et civilibus regebantur, ad opificia, artes et arma contra hostes tractanda instituebantur. Ita Jesuitae non solum Ecclesiae christianae, verum etiam reipublicae civilis in Paraguaja auctores et rectores extiterunt. Episcopi subinde visitabant reductiones, quod idem et gubernator civilis faciebat. Sub sapiente Jesuitarum regimine Ecclesia Paraguajensis floruit ita, ut plures ad sanctitatis vestigium pervenirent (*a*).

§. 6. *In regno Medaurensi.*

In regno Medaurensi, in angulo meridionali anterioris peninsulae Indicae sito jam S. Franciscus Xaverius, et alii Missionarii cum ex societate Jesu, tum ex Ordinibus mendicantibus Evangelium annuntiaverant; at quoniam Pareas, infimam et caeteris despectissimam hominum classem ad sacra christiana admisserunt, nobiliores Christi religionem ejusque praecones contemnebant, ita ut Franciscani nonnisi ignobilem coetum in urbe Medaura collectum haberent. Ad hoc impedimentum removendum a. 1606 Robertus de nobilibus Jesuita, nobili genere Romae natus, vestes Braminorum induit, Indorum austeritati se dedit, omnem cum Pareis et Europaeis conversationem evitavit, diversas Indorum linguas didicit, atque ita praeparatus suam nobilissimam prosapiam Indis manifestavit, eosque ad suam theologiam cognoscendam invitavit. Sua eloquentia et eruditione brevi tempore ad Christum convertit 70 Braminos, eorumque praepositum, quorum exemplum quamplurimi ex reliquis classibus secuti sunt. Conversis Robertus indulsit, separationem a Pareis, gestationem fasciae rubrae in collo et pectore, unctionem frontis, crebras lotiones et balnea. Verum alii Missionarii Roberti methodum convertendi reprobabant, et litem desuper exortam Romam detulerunt, ubi ex eventu agitata est, ut primo Praepositus generalis Societatis Jesu summam Roberto cautionem commendaret, dein a. 1623 Gregorius XV. Papa, ritus, qui Malabarici vocari consueverunt, magna cum restrictione, et nonnisi ad tempus, conversis Indis concederet.

(*a*) Charlevoix hist. du Paraguay, Muratori del Cristianesimo nel Paraguay.

Roberto Meliapuri a. 1656 mortuo alii Jesuitae opus ab ipso ceptum tali cum fructu continuarunt, ut exeunte saeculo XVII Ecclesia Medaurana ultra 150,000 Christianorum complecteretur (a).

§. 7. *In India posteriori.*

Etiam in quibusdam regnis Indiae posterioris saeculo XVII praedicatum fuit Jesu Christi Evangelium. In regno Tunquinensium Jesuitae, quos inter eminuit Alexander Rhodes, eo successu semen verbi divini sparserunt, ut a. 1639 jam ultra 80,000 Christianorum numerarentur. Quamvis regimen politicum identidem persecutiones in Christi cultores moverit, et a. 1666 indigenis sub gravi poena ad sacra christiana transire prohibuerit; nihilominus sub finem ejusdem saeculi major regni pars in Christum credebat. In Conchinchinam a. 1618 pariter Jesuitae Religionem christianam introduxerunt. Majora incrementa coepit Christi Religio a. 1664, quo multi regni Incolae baptismum admiserunt. In regno Siamense Dominicani jam saeculo XVI Christi vexilla extulerant; at ulteriori propagationi Muhamedani obicem posuerunt. Anno 1685 Ludovicus XIV Galliae rex, instigante Constantio Graeco, primario regni Siamensis ministro, legationem in Siam misit, regemque ad foedus et Evangelium invitavit. Is quidem missionariis libertatem praedicandi concessit, ad Christum tamen ipse converti noluit. Cum vero Galli post tres annos, adductis militibus, terram illam sibi subjicere conarentur, Proceres regni, facta conjuratione non solum Gallos una cum missionariis e regno ejecerunt, verum etiam proprium regem et Constantium occiderunt. Nihilominus etiam posthac in regno Siamensi Evangelium praedicatum fuit. In regno Tibetano prius Christi Evangelium annuntiarunt Jesuitae dein an. 1707 Cappuccini, quorum dux erat P. Horatius della Penna. Hujus regionis Princeps Dalai-Lama Cappuccinis concessit unum hospitium (b).

§. 8. *In America.*

Anno 1549 Joannes III Lusitaniae rex colonos in Brasiliam a suis subditis occupatam misit, ut novam urbem a

(a) Cordera hist. Soc. Jesu P. VI., Jouvency hist. Soc. Jesu P. I.

(b) Cerri Status act. Eccl. Rom., Tachard, voyages de Siam, Deslandes histoire de M. Constance, Relazione del principio e stato presente della miss. del Tibet, Rom. 1722.

Salvatore compellatam conderent; qua occasione etiam sex Jesuitae illuc iverunt, ut Christum praedicarent. Hi ab initio, partim ob linguae ignorantiam, partim ob incolarum barbariem animumque Lusitanis aversum, paucos baptizare potuerunt; nihilominus anno 1551 in nova Salvatoris urbe Episcopatus fuit erectus. Inter missionarios Brasiliae magnam famam nactus est Antonius Bicira Jesuita, qui non tantum Evangelium praedicavit, verum etiam artes, mercimonium et libertatem invexit. Mortuus est Bajae a. 1697 qua Generalis Superior Missionum. Anno 1550 Galli occuparunt Canada, quae terra ab ipsis nova Francia dicta est. Illuc an. 1615 se contulerunt Dionysius Tamay, Joannes Abbeau, Josephus la Laron, et Franciscus de Plessis Fratres Minores, nec non Jesuitae, qui eo profectu semen Verbi Divini sparserunt, ut a. 1675. Ludovicus XIV Quaebeccae Terrae Metropoli, Episcopatum erigeret. Non procul ab arce Franciscani erexerunt Monasterium S. Caroli, et Ecclesiam Reginae Angelorum Solemni Benedictione dicatam (a). Anno 1539 in Caliphornia Christi Religionem praedicavit P. Marcus Ordinis Franciseanorum (b). Anno 1697 multis Caliphorniae incolis baptismum administrarunt Jesuitae, qui difficulter conversos inducere potuerunt ut polygamiae renuntiarent. In nova et veteri Caliphornia sunt perplures Jesuitae et Dominicani, qui adlaborant indigenas fide Jesu Christi imbuere. Anno 1730 Missionarii Galli, coetum fidelium collegerunt in Luisania, cui a. 1815 datus fuit Episcopus. Carolus V Imperator, cui a confessionibus erat P. Joannes Glapion, Commissarius Familiae Observantium Ultramontanae a. 1521 ab Hadriano VI petiit praecones Evangelii, ut eos in Mexicum mitteret. Ad Summi Pontificis nutum Minister generalis Franciscanorum ex suis filiis delegit Joannem de Toit, Joannem Aora Sacerdotes, et Petrum de Mura Fratrem Laicum, qui cum aliis quindecim fratribus in Mexico ita sedulo adlaborarunt, ut plura hominum millia ad Christum perduxerant. Eos inter celebris fuit Joannes Zummaruga ad Episcopi dignitatem promotus, et martyrio coronatus. Post medietatem ejusdem saeculi XVI. Evangelium Jesu Christi in Mexico praedicarunt Antonius Suarez, Martinus a Valentia, Franciscus Ximenes, Joannes a S. Francisco, Bernardus Cosin, Joannes a Topia, et Joannes Servado Franciscani, qui palmam martyrii sunt consequuti. Anno 1578. P. Aloysius Zapata Ordinis Minorum ad Sedem Metropolitanam S. Fidei in novo Mexico evectus, Synodum Provincialem celebravit, ut disciplinam Ecclesiasti-

(a) Henrion Stor. delle Miss. l. 2. cap. 15. pag. 69-74. (b) Wading. ad an. 1539. n. 4.

cam restauraret. Jussu Caroli III Hispaniae Regis an. 1767 cura Missionum in Mexico commissa fuit Patribus Franciscanis Conventus S. Ferdinandi in eodem Regno constructi. Eorum sexdecim a P. Junipero Serra, Prefecto Apostolico, missi fuere in Caliphorniam inferiorem (*a*). In Mexico existunt decem Episcopatus, et unus Archiepiscopatus. Ad propagandam in hoc regno catholicam fidem multum contulit Franciscus Antonius Lorenzana Cardinalis et Archiepiscopus Messicanus, mortuus a. 1804. In Kentunkia Missionarii Catholici a. 1819 viginti septem Ecclesias et 43 coetus fidelium habebant. Dominicani fundarunt monasterium, plantarunt primam vineam, et etiam typographiam erexerunt. In Ohio a. 1822 ultra 200 familiae catholicae reperiebantur. Hodierna die sunt in America 73 Episcopatus seu Vicariatus apostolici et 27 milliones Catholicorum (*b*).

§. 9. *In Africa.*

Ob incolarum barbariem in Africa Religio christiana non quidem multa coepit incrementa, attamen saeculo XVII a Missionariis, potissimum ex Ordine Cappuccinorum, praedicta fuit ad Promontorium viride, ad fluvium Senegal, ad Montes Leoninos, in Promontorio bonae spei, in Monomatapa, in littore Zanguebarico, in Madagascar, in Insula Borbonica et Gallica, in Congo, in Angola, Benguela, Cacongo et Leango, in quibus ultimis regionibus Sacerdotes Galli a. 1766 novas fundarunt missiones, ast malum climatis influxum haud sustinere potuerunt. Carolus X, Galliae rex, a. 1830 vastam occupavit Africae provinciam, eoque misit et colonos et missionarios, qui Christi Religionem propagarent. Anno 1838, sub Philippi Aurelianensis regimine, Juliae Caesareae (Algeri) erectus fuit Episcopatus, et Gregorius XVI Papa neo-electo Episcopo B. Dupuch reliquias S. Augustini dedit. A Gallis fundata quoque fuere duo Monasteria Trappistarum et Sororum charitatis, nec non scholae pro educanda juventute. Ita Religio Christi, cultura et industria illis in regionibus florent (*c*).

§. 10. *In Australia.*

Sub rege Philippo Aurelianensi Galli a. 1832 occuparunt

(*a*) Chron. Frat. Min. l. 4. p. 425., Wading. ad an. 1517. n. 43., Henrion Storia delle Miss. t. 1. cap. 37. p. 308., Wading. ad an. 1534., Chron. Fr. Min. t. 4. pag. 307-323., Henrion l. 2. cap. 18. p. 118., Idem l. 3. cap. 30. p. 560. (*b*) Orlandini hist. Societ. Jesu, Cerri lib. cit., Wittmann t. 1. p. 18-255. (*c*) Sabat, relation historique de l' Afrique occidentale, Cerri l. c., Ephemerides Catholicae ad an. 1843.

insulas Oceaniae (Marchesi et Gambier) in Australia, quarum incolae excessibus et miseriis vitae sylvestris dediti erant. Anno 1834 duo Missionarii Galli, Caret et Laval in insula Amakaru conati sunt Evangelii semina spargere et indigenas a cultu idolorum ad Christum perducere; sed eorum Sacrificuli, timentes temporalia emolumenta amittere, fidei catholicae progressui magna obstacula opposuerunt. Nihilominus Summus eorum Sacerdos, Regis consanguineus, ejusque exemplo permoti, rex, primores populi, et multi alii ad sacra christiana conversi sunt. In insulis Fortuna et Wallis est vicarius Apostolicus, Dominus Pompallier cum 15 presbyteris, qui fidelium curam gerunt, et limites regni Jesu Christi dilatare student. Etiam in insula Bay magno cum fructu praedicant missionarii catholici. Dolendum quod cum missionariis Ecclesiae Anglicanae continuam luctam sustinere debeant (*a*).

§. 11. *Instituta ad Religionem catholicam propagandam.*

Ecclesia catholica Salvatoris mandato obsequens praecones mittere debet in mundum universum ad praedicandum Evangelium omni creaturae. Hunc in finem Gregorius XV an. 1622 Romae congregationem de propaganda fide, e 13 Cardinalibus, 3 Praelatis et uno Secretario compositam instituit, et Urbanus VIII, Gregorii successor non tantum redditibus et privilegiis instruxit, verum etiam an. 1627 Collegium ei addidit, in quo diversarum Nationum juvenes linguis orientalibus et scientiis necessariis imbuuntur, ut in partibus infidelium Religioni catholicae propagandae operam impendant. Huic seminario erigendo ansam dedit Joannes Vivas, Praelatus romanus, natione Hispanus, qui omnes suas facultates una cum palatio decem juvenibus commemorato modo instituendis dedicavit. Antonius vero Barbarini, Urbani VIII frater, Cardinalis a S. Onufrio tot redditus suppeditavit, quod 30 juvenibus sustentandis sufficerent. Ad urbis Romae exemplum in variis regionibus instituta de propaganda fide exorta sunt. Sic in Gallia a. 1662 congregatio Sacerdotum pro missionibus exteris regia auctoritate fundata est, cui accessit Seminarium Parisiense, in quo Jesuitae, Dominicani, Franciscani, Cappuccini et Augustiniani instituebantur. In Austria est fundatio Leopoldina, in Bavaria societas Ludovicea, et in Archi-dioecesi Coloniensi congregatio Saveriana, quae missionarios pecunia aliisque rebus adjuvant (*b*).

(*a*) Ephemerides historico-Politico. (*b*) Serri l. c., Aymon Tableau.

CAPUT II.

FATA ADVERSA ECCLESIAE CHRISTIANAE.

§. 1. *Religio Jesu Christi impugnata in Italia.*

Ex ipso Christianorum gremio ingens hac periodo emersit caterva Philosophorum, qui eo tenebant ut omnem cultum religiosum radicitus evellerent. In Italia Petrus Pomponatius, qui Patavii et in aliis Italiae urbibus philosophiam docuit, in suis scriptis Dei existentiam et providentiam, hominis libertatem et animi immortalitatem incertam reddidit. Caeterum a. 1525 moriens ad bonam frugem rediisse creditur. Anno 1546 Vincentiae litteratorum societas coaluit, cujus scopus fuit veritates revelatas ad trutinam rationis citare, et captum hominis superantes vel naturaliter explicare, vel prorsus eliminare. Detecta et Veneti Senatus jussu dissipata, illi qui manus publicae potestatis evaserant, in diversas regiones abeuntes sua principia antichristiana, praesertim in Polonia propagarunt. Hujus societatis membrum fuit Jordanus Bruno Nolanus, ex Ordine Praedicatorum Apostata, Romae concrematus anno 1600. Cosmus Roggerius, Florentinus, usque ad extremum vitae momentum professus est atheismum et propterea excommunicatus obiit a. 1615. Julius Caesar, proprie Lucilius Vanini in regno Neapolitano natus scripsit 4 libros de admirandis naturae reginae et deae mortalium arcanis, et in his omnia miracula negavit. Tolosae in Gallia, ubi artem medicam, philosophiam et theologiam docebat, propter atheismum ad rogum condemnatus fuit an. 1619. Albertus Radicati, Comes de Passerano in Anglia, quo ad evitandam poenam e Pedemontio patria sua se contulit, varia scripta edidit, in quibus omnem religionem revelatam rejecit, autochiriam defendit, et in libro, cui titulus: Lycurgus et Nazzarenus: inter se collati ethicam Lycurgi cum illa Jesu Christi comparavit, ita, ut ostenderet finem utriusque omnis peculii abrogationem et perfectam aequalitatem fuisse, ac postremo leges Lycurgi praeceptis Christi anteponeret. Obiit an. 1737. Alios silentio praeterimus.

§. 2. *Impugnatores Religionis Christianae in Gallia.*

In Gallia Rhetores, Poetae et Philosophi Religionem Jesu Christi eversum ibant. Stephanus Doletus Rhetor, Poeta et typographus anno 1546 qua atheus publicae auctoritatis jussu igni traditus est. Henricus Stephanus typographus in sua apologia fabularum Herodoti totam Jesu Christi Religionem

risit. Eodem saeculo XVI perplures Humanistae in societatem coaluerunt, ut junctis viribus et consiliis atheismum vel Deismum propagarent, quos inter eminuit Vigandus, Theophilus inter socios dictus, cujus Parnassus satyricus per carnificem concrematus, ipse vero exilio mulctatus est. Joannes Badinus, jurisconsultus, historiam Jesu Christi in dubium vocavit, Incarnationis mysterium negavit, Trinitatem ex philosophia Platonica repetiit, et indifferentismum docuit, obiit 1596. Sub Ludovico XIV. Linierus poeta, atheus a Sylvanestra vocatus, Dionysius Vairasse et Bernardus Fontanelle omnia dogmata Ecclesiae Christianae traduxerunt. Petrus Bayle in suo dictionario historico-critico scepticismum et Atheismum docuit: obiit 1706. Voltaerus an. 1694, patre causidico, Parisiis natus sat mature et Religionem christianam et ejus ministro contemptui exponere coepit; quare cum ad carceres quaereretur an. 1727 in Angliam fugit, ubi lectione librorum irreligiosorum in sua impietate ita firmatus est, ut deinceps usque ad finem vitae suae Religionem Jesu Christi evertere fuerit conatus. Nullibi tolleratus praedium non procul Geneva, Ferney dictum, emit, ex quo permulta scripta irreligiosa in lucem emisit. Obtenta a. 1778 amicorum ope licentia Parisios redeundi, ibidem impiorum morte rebus humanis ereptus est a. 1778. Diderot, Voltaeri socius, artis medicae studiosus, multos libros impios compilavit contra Religionem Jesu Christi, obiit 1784. Voltaerum et Diderotum astutia et dexteritate in impugnanda Christi Religione superavit tertius impietatis patriarcha Joannes Dalembert anno 1717 Parisiis nobili scorto natus, quem a matre expositum Patres Oratorii susceperunt et educarunt. Abjecta Religione, ore et calamo impietatem promovere studuit. Joannes Rousseau Genevae a. 1712 natus horologiorum artifex, vir perditorum morum, superbus, misanthropus, ingratus, invidus, inhumanus, quem Humejus serpentem in sinu amicitiae calefactum nominabat, fabularum romanensium lectione excitatus in Galliam venit, ubi, desertis Calvini castris, ad Ecclesiam catholicam transiit, ab eaque descivit et propter principia antichristiana pulsus, nonnisi sub conditione in posterum non scribendi contra Religionem, licentiam in Galliam redeundi obtinuit, varia opera veneno impietatis referta composuit, quae inter principem locum tenent Aemilius, Eloisa, et Contractus socialis, obiit Parisiis 1778. Anno 1768 Raynal publici juris fecit opus famosum, cui titulus: *Historia philosophica commercii in utraque India,* quod exsecranda continet principia, et in quo auctor impudenter asserit, mundum hunc felicem futurum, quum omnes Reges et Sacerdotes e medio sublati fue-

rint. Franciscus Quesney in sua philosophia rurali, in generis humani dedecus docuit, cutem, pinguedinem, carnes et ossa mortuorum hominum in usum vivorum convertenda esse. Ejus asseclae vocati fuere *Aeconomistae*. Permulti hujus farinae philosophi erant adhuc saeculo XVIII in Gallia, quos enumerare nimis longum foret (*a*).

§. 3. *Conjuratio erumpit in Gallia.*

Perversa impiorum philosophorum scripta animos multorum Gallorum ita fascinarunt, ut in throni et altaris eversionem conjurarent. Haec conjuratio erupit occasione, qua Ludovicus XVI, populo miseriis presso levamen adlaturus, pro 5 Maji 1789 conventum trium Ordinum regni Varsaliae celebrandum indixit. Interim Philippus, Dux Aurelianensis, Jacobinorum Magister, vir scelestus, verbo, consilio, opere, et emissariis populum contra pium et optimum regem excitabat. Rex inconsiderate emisso decreto, numerum legatorum ex parte civium duplicavit; ita factum, ut suffragium horum suffragio reliquorum duorum Ordinum, Cleri nimirum et Nobilium aequivaleret. In congregatione ordo civium postulavit, ut reliqui duo Ordines, cum ipso in unum commune Consilium coirent; quod cum obtinere non posset audacter declaravit, se esse unicum coetum legitimum, arrepto *Conventus Nationalis* nomine, sibique supremam competere auctoritatem, vi cujus Regem adegit ut 20,000 militum Parisiis amoveret, et ministrum Neker Hugonottam muneri suo restitueret. Praeterea statuit, quemlibet in suis religiosis opinionibus liberum esse; imo orator Mirabeau asseruit, Religionem catholicam cum libertate haud consistere posse. Anno 1790 Conventus Nationalis Constitutionem civilem pro Clero composuit, qua divisionem dioecesium divisioni politicae accomodavit, 136 Episcopatus ad 83 redegit, Episcopos a populo eligendos et a metropolita confirmandos esse dixit, eosque ante consecrationem, coram Magistratu civili, Clero, Nationi, Legibus et Regi fidelitatem jurejurando spondere jussit, et in exercitio suae potestatis a parochis vicinis dependentes esse voluit, extraneorum Episcoporum influxum cavere prohibuit, Capitula Ecclesiarum Cathedralium abolevit, Abbatias, Prioratus et Beneficia restrinxit, permulta monasteria sustulit, bona ecclesiastica ad se adtraxit, et annuas pensiones pro Clericis tam saecularibus, quam regularibus praescripsit. Ludovicus XVI minis victus in hanc constitutionem consensum suum dedit.

(*a*) Klein hist. eccl.

Anno 1791 Conventus Nationalis exegit, ut omnes Episcopi et Presbyteri jurejurando constitutioni supra memoratae spondeant fidelitatem et obedientiam, nisi velint muneribus suis privari, et ceu pacis turbatores considerari. Ex 136 Episcopis solummodo 4, nimirum: Talleyrand Episcopus Augustodunensis, Lomenie de Brienne Cardinalis Archiepiscopus Senonensis, Jarente Episcopus Aurelianensis, et Sevines Episcopus Vivariensis in Constitutionem jurarunt; ex Clericis inferioribus valde pauci exemplum 4 Episcoporum secuti sunt 20 Parochi, qui juramentum praestiterunt ad dignitatem Episcopalem fuerunt evecti, et hos inter celebris Gregoire Talleyrand consecravit primos Episcopos constitutionales et hi alios. Pius VI 13 Aprilis 1791 Breve Apostolicum edidit, quo civilem Cleri Constitutionem rejecit, Clericis sub poena suspensionis praestiti jurisjurandi revocationem imperavit, et novas Episcoporum electiones nullas et irritas declaravit. Plures Presbyteri voci supremi Pastoris paruerunt; sed Jacobini simulacrum Pontificis stramine refertum, thiara et pontificalibus ornatum, *Breve* manu tenens, asino imposuerunt, et per civitatem Parisiensem circumduxerunt. Eodem anno Conventus Nationalis decrevit, solum Christum esse Ecclesiae caput, Pontifici non esse parendum, iis tantum Clericis, qui jusjurandum praestitere pensiones esse dandas, Clericos anticonstitutionales, quorum plurimi in carceribus detinebantur, exilio mulctandos. Inde 13 Augusti 1792 conclusa fuit extirpatio Sacerdotii. In sola urbe Parisiensi, mense Septembri ejusdem anni, 300 Clerici, et inter hos duo Episcopi et unus Archiepiscopus extremo supplicio fuerunt affecti. Feliciores fuerunt illi, qui mature in alias regiones migrarunt (*a*).

§. 4. *Eversio Religionis.*

Conventus nationalis, 21 Septembris a. 1792, rempublicam proclamavit, indelebilem immanitatis et impietatis summae maculam sibi inussit, atque spectaculum factus est mundo, Angelis et hominibus; nam proprium Regem pium, innocentem, purum, ab aliquo tempore in carceribus detentum ad mortem condemnavit. Ludovicus XVI vigesima prima Januarii 1793, susceptis prius Sacramentis e manu domini Edgeworth De Firmont, origine Hiberni, Vicarii generalis Ecclesiae Parisiensis, ope Guillotinae fuit decollatus. Ultima ejus verba fuerunt haec: « Morior innocens; parco auctoribus meae mortis, et precor Deum, ut sanguis, quem effusuri estis, non

(*a*) Mazes.

recidat super Galliam. » Eodem snpplicii genere, 16 Octobris 1793, affecta fuit Maria-Antonia, Ludovici XVI uxor. Tandem fatali instrumento jugulnm praebere debuit regis soror Elisabetha. Ludovicus XVII Ludovici XVI filius, inde ab anno 1792 turri Templi inclusus, et Simonis, professione sutoris, curae commissus, aerumnis confectus et opprobriis saturatus exspiravit in carcere 8 Junii 1795, aetatis annorum 10 et duorum mensium. Maria Theresia ejus soror, Austriacis tradita fuit. Non solum in regiam familiam verum etiam in Religionem saeviit. Post mortem Regis, sanguinolenta terroristarum factio, potissimum sub dictatura Maximiliani Robespierre, cui societatem jungebant scelestissimi hominum Marat et Danton, omnem Religionem proscripsit, *Rationem* colendam proposuit, Ecclesias vel dirui, vel in templa *Rationis* converti jussit. Magnificum S. Genovefae templum conversum fuit in Pantheon, quo corpora Voltaeri, Roussovii, Victoris Mirabeau, aliorumque transtulerunt. Ad omnem Christianismi memoriam obliterandam novam Chronologiam introduxit, quamlibet decimam diem celebrandam praecepit, omnia signa christiana illegalia declaravit, matrimonium ceu contractnm mere civilem consideravit. In festo Rationis prostituta meretrix, in comitatu Legislatornm et Philosophorum curru triumphali ad Ecclesiam cathedralem Parisiis vehebatur, ceu Dea Rationis Arae majori nuda imponebatur, et in ejus honorem adolebantur thura, cantabantur hymni, atque patrabantnr quae verecundia memorare vetat. Historici tres memorant, nimirum Maillard cantatricem, Aubry comicam, et Momoro uxorem typographi. Gobel, Archiepiscopus Parisiensis constitutionalis, cum quibusdam Clericis coram Conventu nationali declaravit, se hucusque populum decepisse, et Religionem docuisse, in quam numquam crediderat; omnia symbola dignitatis Ecclesiasticae conculcavit et loco mytrae Jacobinorum galerum sibi imposuit. Major pars Clericornm Constitutionalium uxorem duxit et eorum unus Crucem Domini confregit pedibusque calcavit, dicens: non sufficit tyrannum corporum (regem) sublatum fuisse, oportet etiam tollere tyrannum animae (Religionem). In Ecclesiis Parisiensibus ubi supradictae prostitutae exponebantur, nonnulli eo dementiae devenerunt ut blasphemias in Deum evomerent, eumqne provocarent, ut vindicta suam existentiam monstraret. Asino mytram episcopalem, aliaque ornamenta imposuerunt, ad ejus caudam librum Evangeliorum appenderunt, eumque prius ad Conventum nationalem, dein per urbis parisiensis plateas duxernnt. Lndovicus Apfel hostiam consecratam asino vorandam dedit, dicens: « En asine, accipe et voca hunc Deum. » Non so-

lum autem Parisiis, verum etiam in aliis Galliae urbibus talia sacrilegia committebantur. Sic Veissenburgi in Alsatia omnes asini ex toto circuitu collecti, vestimentis sacris induti, in solemni processione a jumentis Jacobinis per civitatem circumducti sunt. Finita processione sacra biblia, Missalia, crucifixa, rosaria, imagines, aliaque Religionis signa rogo in foro parato injecta et concremata fuere. Crimen erat, quod poena carceris aut plane mortis plectebatur, penes se habere vel edere aliquod signum Religionis. Sacerdotes aliique fideles Christiani ex fictis motivis passim conquisiti et post diuturnos cruciatus vel in ipsis carceribus, vel ope Guillotinae enecati fuere. Juxta Peltier 2,000,000 per carnificis manus perierunt. Ita Galli ex schismate in haeresim, et ex haeresi in Atheismum vel Paganismum lapsi sunt. Anno 1794 Dictator Robespierre decrevit, Deum existere et animam hominis immortalem esse. Terroristarum scopus erat, Religionem funditus evertere, et triplicem Aristocratiam, nimirum Nobilium, divitum, et litteratorum ad nihilum redigere (*a*).

§. 5. *Status Religionis sub Directoribus.*

Anno 1795 fuerunt electi 5 Directores, nimirum Revaillère-Lepeaux, Latourneur, Rewbell, Carnot, et Barras regicidae, qui Rempublicam gubernarunt usque ad 15 Decembris 1799. Directorium permisit anno 1795 Religionis Catholicae exercitium in Ecclesiis adhuc existentibus; sed a Clericis exegit, ut legibus Reipublicae obedirent, et in formam regiminis democraticam consensum darent: et qui hoc praestare recusarunt, fuerunt ceu perduelles considerati. Reveillerius Leposius, unus ex Reipublicae Pentarchis, fundavit sectam *Theophilantroporum* eidemque se adjunxerunt nonnulli Presbyteri uxorati et nonnulli Jacobini, quos inter erat etiam juvenis Louvel, qui anno 1820 Ducem Bituricensem occidit. Theophilanthropistae profitebantur purum Deismum. Dicebant, se diligere Deum et proximum, credere in animae immortalitatem, implere omnia officia erga conjuges et liberos, patriae utilitatem promovere. Habebant Parisiis 10 ecclesias et quosdam ritus religiosos observabant. Anno 1799 Directoribus substitutus fuit Consulatus. Primus Consul electus est Napoleon Bonaparte, secundus Cambacérès regicida et Lebrun. Hi Consules ademerunt Theophilanthropis ecclesias et Religionis exercitium, atque ita Reveillerii institutum interiit (*b*).

(*a*) La Harpe, Prudhomme, Peltier, Tableaux de Paris, Alex. Mazas hist. Gall. (*b*) Gregoir. hist. Theophili, Alex. Mazas hist. Gall. Alzog.

§. 6. *Sedis Apostolicae suppressio.*

Revolutio Gallicana etiam aliis Ecclesiis et potissimum Sedi Apostolicae multum nocuit, Pius VI. R. P., edita Bulla: *Charitas*, civilem Cleri Constitutionem condemnaverat, et Clericis jusjurandum desuper praestare probibuerat; quod Galli tam aegre tulerunt, quod vindictam sumere voluerint. Exorto inter Rempublicam Gallicanam et alios Principes bello etiam Pius VI, ad territorium suum tuendum exiguum paravit exercitum. Napoleon propterea indignatus, devictis saepius in Italia Austriacis, anno 1796 Patrimonium S. Petri invasit. Quod ut ab hostibus liberaret Pius VI, anno 1797 pacem cum Gallis Tolentini init sub sequentibus durissimis conditionibus: 1. Cedere debuit Directorio Gallicano Avenionem, Bononiam, Ferrariam et Romandiolam; 2. Solvit eidem 30,000000 Francorum; 3. Coactus fuit tradere multa artis monumenta et manuscripta. Post banc pacem Pius VI suscipere debuit ceu Directorii Gallici legatum Josepbum Bonaparte, qui secum Romam duxit juvenem belliducem Dupbotium. Post aliquot dies Galli populum Romanum ad seditionem concitarunt; qua occasione milites pontificii Dupbotium seditiosis immixtum interfecerunt. Hoc homicidium ansam praebuit Gallis faciendi id, quod non fecit Attila cum suis Hunnis. Nam illico bellidux Bertbier cum suo exercitu ingressus est Romam, Rempublicam proclamavit, Ecclesias, palatia et villas depopulatus est, et Pontificem venerabilem 82 annorum senem, contumeliis affectum, omnibus spoliatum et a militibus male habitum Senas abduci, et in custodiam tradi jussit. Post unum mensem translatus fuit Florentiam et inde in hieme per Alpes Valentiam, ubi 29 Augusti an. 1799, post regimen 24 annorum et 6 mensium ad praemia laborum suorum evolavit (a).

§. 7. *Ejusdem restitutio.*

Gallis in Italia dominantibus, Roma ab impiis occupata, Pontifice a Sede sua abducto, et tandem mortuo, Cardinalibus dispersis, irreligione latissime propagata, Ecclesia Catholica ad interitum perducta esse videbatur. Sed mirabilis prorsus rerum conversio iterum iterumque docuit, portas inferi adversus Ecclesiam Jesu Christi numquam praevalituras esse. Itaque Cardinales Venetiis congregati in Ecclesia S. Georgii die 24 Martii 1800 Gregorium Barnabam Chiaramonti, Caesenae natum, olim Ordinis S. Benedicti sodalem, Episcopum

(a) Pius VI et ejus Pontificatus, Pacca Card., Alex. Mazas.

Imolanum et Cardinalem, fere unanimiter Pontificem elegerunt, qui Pii VII nomen assumpsit, et pulsis Gallis ad sedem snam se contulit, ingenti gaudio a Romanis exceptus. Sic in irritum cecidit impiorum vaticinium dicentium; quod post mortem Pii VI nullus alius Poutifex sit futurus. Vix Romam venit et jam malis undique grassantibus medelam ferre studuit. Perspicacissimum Cardinalem Consalvi Status secretarium designavit. Anno quidem sequenti Galli actis in fugam Neapolitanis territorium Pontificis ad Tiberim usque iterato occuparunt; ast Napoleon Bonaparte, qui nomine primi Consulis supremam iu Gallia potestatem exercebat, reipublicae Gallicae consulturus, inita a. 1801 cum Austria et Germania Luneville pace, etiam Pontifici pacis Tolentinae confirmationem obtulit, quam Pius resistendo impar acceptavit.

§. 8. *Restauratio Ecclesiae Catholicae in Gallia.*

Napoleon, desiderium plurimorum Gallorum noscens, simulque intelligens, societatem civilem sine Religione publica haud consistere posse, Ecclesiam catholicam restaurare constituit, huncque in finem Concordatum cum Pio VII an. 1801 iniit. Vi hujus declaratum: 1. Religionem catholicam in Gallia esse dominantem, eique liberum exercitium concessum; 2. Ex 136 Episcopatibus erecti fuere 10 Archiepiscopatus et 50 Episcopatus; 3. Primus Consul nominabit personas ad dignitates ecclesiasticas; 4. Clericis assignata fuit congrua sustentatio ex publico aerario, ita quidem ut Archiepiscopis 15,000, Episcopis 10,000, Parochorum aliis 1500, aliis 1000 francorum quotannis solverentur; 5. Clerici auctoritati civili fidelitatem spondebunt; 6. Primatus Pontificis agnitus, Clericorum coelibatus confirmatus et dies dominica, abrogatis decadibus, restituta est; 7. Episcopis libertas concessa fuit Capitula Cathedralia et Seminaria erigendi, non tamen a regimine sustentanda; 8. Primus Consul promisit Ecclesias et aedes reddere aut novas construere et sustentare. In Concordato fuerat etiam positum, ut Poutifex ab Episcopis anti-constitutionalibus suorum Episcopatuum cessionem exigeret; et reapse Pius VII 15 Augusti 1801 Breve misit ad Episcopos Galliae, postulavitque ut sponte suas Sedes in Pontificis manus resignarent. Ex 80 viventibus 44 ad primum Supremi Pastoris nutum resignarunt, reliqui 36 recusarunt asserentes, non esse causam canonicam. Pontifex per Cardinalem Caprara, 9 Aprilis 1802 Parisiis Bullam promulgavit, qua antiquas Sedes Episcopales sustulit, et facultatem fecit novas erigendi, atque ita detrectantes Episcopos indirecte sua privavit jurisdictione. Hoc

Concordatum an. 1802 inter leges publicas fuit relatum, a quo tempore Religio catholica in Gallia revixit *(a)*.

§. 9. *Napoleon imperator coronatus Pium VII dominatione temporali privat et in captivitatem abducit.*

Napoleon Gallorum imperator cum jure haereditario in ejus familia duraturo a Senatu Parisiensi salutatus, Pium VII Parisios invitavit, partim ut ab eo coronaretur, et partim ut res ad Religionem spectantes commodius componerentur. Annuit Pius, ut eum proniorem redderet in bonum Ecclesiae. Die 2 Decembris anno 1804 Pontifex, cui assistebant 10 Cardinales et 60 Episcopi, Napoleonem unxit, ipse vero coronam suo capiti imposuit, dicens: « Deus dedit, vae illi, qui eam mihi eripere conatus fuerit. » Post coronationem Napoleon rogavit Pontificem, ut secum Mediolanum veniret, eumque Italiae Regem consecraret, quod Pius facere recusavit; adverterat enim Napoleoni res proprias, non vero Religionis negotia cordi esse, cum omnem de iis sermonem studio declinaret. Pius 15 Maji 1805 rediit Romam et Napoleon 27 ejusdem mensis et anni Mediolani, a Cardinali Caprara hujus urbis Archiepiscopo Italiae Rex fuit inauguratus, qua occasione Ordinem coronae ferreae instituit. Paulo post Napoleon ut Pium VII vexaret, et ansam sibi praeberet territorium Pontificium cum imperio conjungendi, sequentia postulata Romam misit. 1. Ut Imperio Gallorum Patriarcha a Pontifice independens concedatur; 2. Ut Episcopi juribus suis utantur, quin a sede Apostolica dependerent; 3. Ut abrogentur Bullae, quibus jus transferendorum Episcopatuum Primati reservatur; 4. Ut coelibatus Clericorum tollatur; 5. Ut omnes Ordines Religiosi aboleantur; 6. Ut omnis Religio liberum, publicumque habeat exercitium; 7. Ut Codex Napoleonis, in quo matrimonium tamquam contractus mere civilis sistebatur, et solubile declarabatur, etiam in ditiones pontificias introducatur; 8. Ut Pontifex Josephum Bonaparte utriusque Siciliae regem ungat et coronet, cum regibus Italiae et Neapolis foedus offensivum et defensivum contra Anglos ineat, hosque a portubus territorii sui excludat. Cum Pius VII hisce postulatis satisfacere non posset, bellidux Mlollis cum exercitu 2 Februarii 1808 Urbem intravit, arcem S. Angeli in suam potestatem redegit, palatium Quirinale, in quo Pontifex habitabat, militibus cinxit, et 14 Cardinales dispersit. Napoleon, dum Viennae in Austria commo-

(a) Storia del Pontificato di Pio VII, Reinhard Organisation des Religionswesens in Frankreich, Alex. Mazas, Alzog.

raretur, 17 Maji 1809 decretum in lucem emisit, quo Pontificem omnibus suis terris privabat, et 2,000,000 francorum eidem assignabat. Pius contra hanc juris violationem scripto reclamavit, et cum nihil proficeret 10 Junii 1809 edita Bulla, Napoleonem, omnes jurium ecclesiasticorum violatores, nec non eorum ministros, adjutores, consiliarios et asseclas excommunicavit. Hac Bulla non modice pulsati Galli, 6 Julii ejusdem anni, noctu in palatium Quirinale irrumpunt et Radetus Pontifice coram Crucifixo oranti ex parte Napoleonis praecipit, ut potestati temporali renuntiet, cui Pius respondet, se malle mori, quam renuntiare. Tunc Radetus exposuit mandatum, quod habuerat pro casu negatae resignationis, nempe Pontificem Roma abducendi; quo audito Pius sumpsit secum solum Breviarium, et descendit ad currum paratum, cui una cum Cardinali Pacca impositus, circa horam tertiam matutinam, cursu citissimo, per Florentiam et Taurinum vectus est Gratianopolim, et inde post 11 menses Savonam, ubi sollicite custoditus, charta et atramento prohibitus, ab omnibus Clericis, etiam a fidelissimo Cardinali Pacca separatus, et nonnisi praesente inspectore ad colloquium cum aliis admissus, sortem suam duram non minori animi fortitudine, quam patientia sustinuit *(a)*.

§. 10. *Concilium Parisiense.*

Dum Pontifex in captivitate detinebatur, Napoleon ab eo postulavit, ut Episcopos a se denominatos confirmaret et canonice institueret, quod Pius tunc demum se facturum promisit, si libertati fuerit donatus. Ad eludendam Primatis Ecclesiae auctoritatem Napoleon Concilium (25 April. 1811) Parisiis celebrandum indixit, ad quod ex variis imperii partibus 106 Episcopi comparuere. Praesidentiam tenuit Josephus Fesch Cardinalis et Archiepiscopus Lugdunensis; Antonius vero de Boulogne Episcopus Trecensis sermonem dixit de Religionis unitate servanda. Napoleon demandavit Episcopis congregatis, ut medium aliquod legitimum inveniant Episcopos a se nominatos canonice instituendi, etiam sine Primatis Ecclesiae confirmatione, qui respondebant, Concilio non competere jus pronuntiandi, casu necessitatis non excepto. Hoc synodi responsum adeo aegre tulit Napoleon, ut eodem die, datis ad Cardinalem Fesch litteris, concilium dissolverit, et 3

(a) Correspondence authentique de la cour de Rome avec la France jusqu' à enlevement du Souvrain Pontife. Relation authentique de l'assaut du palais Quirinal et de l'enlevement du souvrain Pontife par Miollis et Radet.

Episcopos, praecipuos responsi auctores, carceri mancipaverit; mense tamen Augusto ejusdem anni Episcopos ad concilium revocavit, et per suum ministrum cultus comitem Bigot singulos ad assensum praebendum tentare curavit. Post varia certamina synodus sequentia puncta condidit: 1. Episcopatus et Archiepiscopatus non debent ultra annum vacare; 2. Imperator nominabit, et Pontifex confirmabit; 3. Pontifex intra sex menses Episcopis nominatis institutionem canonicam impertietur; 4. Si intra sex menses Pontifex confirmare recusaverit, Episcopum nominatum confirmabit Metropolita, et Metropolitam Senior Provinciae Episcopus; 5. Haec puncta approbationi Pontificis submittantur. Synodus spectatissimam legationem sex Cardinalium et trium Archiepiscoporum Savonam ad Papam misit pro obtinenda supra dictorum articulorum confirmatione; ast omnis ejus conatus in irritum cecidit. Post hujus legationis reditum die 20 Octobris 1811 Minister cultus omnes Episcopos dimisit, atque ita concilio finis impositus est (a).

§. 11. *Pius VII suae sedi restituitur.*

Anno sequenti Napoleon transportari jussit Pontificem ad Fontem-bellaqueum (Fontainebleau). Post longum iter, noctu ad Hospitium Patrum Cisterciensium in monte Canisio situm pervenit, ubi venerandus Senex in talem incidit infirmitatem, ut moribundorum Sacramenta ei fuerint administrata. Non obstante gravissima infirmitate die 14 Junii iter prosequi est coactus, usque ad locum destinatum. Hic post plures menses sanitati fuit restitutus. Napoleon ex Russia redux una cum uxore sua ad Fontem-bellaqueum venit, et variis modis Pium tentavit, ut quinque puncta recensita confirmaret. Pius noscens Napoleonis genium, ne Religio paulo ante in Gallia restituta ejusdem temeritate denuo excluderetur, die 25 Januarii 1813 novum cum Napoleone iniit Concordatum, cujus puncta principalia fuerunt sequentia: 1. Pontifex intra sex menses Episcopis ab Imperatore nominatis canonicam largietur institutionem, et si intra hoc tempus Pontifex hoc facere neglexerit, instituet Metropolita, et in hujus defectu senior Provinciae Episcopus; 2. Sedes Apostolica decem per Galliam et Italiam Episcopos denominabit; 3. Imperator restituet sex Episcopatus Cardinales suburbicarios, et Papa habebit jus ad eos nominandi; 4. Pro bonis patrimonio S. Petri ereptis Pontifex quolibet anno percipiet 2,000,000; 5. Bona necdum vendita Ecclesiae restituentur; 6. Imperator omnes

(a) Memorie del Card. Pacca, Melchers, Conc. Paris.

Cardinales Episcopos et laicos in gratiam suam recipiet; 7. Concordatum hoc non fiet publici juris, prins quam in Concistorio Cardinalium non fuerit approbatum. Quam conditionem Napoleon minime curans Concordatum mox velut legem imperii promulgavit, et in omnibus Ecclesiis « Te Deum » cantari jussit; Pius vero indignabundus illud irritum et nullum declaravit. Tum ultimum Napoleonis furorem sensit. Hunc jam elapsa hieme vindicta divina deligerat, atque nunc viribus ejus in pugna Lipsiensi amplius attritis, ad mitiora erga Pontificem consilia flexit. Pontifici significavit, se velle eidem portionem patrimonii S. Petri et libertatem restituere; Pontifex vero reposuit, se aut totum aut nihil recepturum (21 Januarii 1814). Paulo post (1 Februarii) facultatem illi dedit Savonam redeundi. Tandem Italia tota et medietate Galliae amissa Pontificem plena libertate donavit (11 Martii). Napoleon eodem anno 1814 ad imperium deponendum adactus est, Pius vero, magna totius Orbis laetitia ad suam sedem rediit, omnesque terras, quas Ecclesia Romana ante pacem Tolentinam possederat, recepit. Ita delictum debita poena, et virtus condigno proemio excepta est (a).

§. 12. *Status Religionis in Gallia sub regibus Ludovico XVIII, Carlo X, et Ludovico-Philippo Aurelianensi.*

Exauctorato Napoleone ad thronum pervenit Ludovicus XVIII, qui (4 Julii 1814) in nova charta declaravit, Religionem Catholicam esse Religionem civitatis, Clero meliorem sustentationem procuravit, et anno 1817 conventionem cum Pontifice inivit, qua concordato anni 1801 pristinum inter Leonem X et Franciscum I initum substituebatur: verum haec conventio, utpote libertatibus gallicanis contraria, a Cameris non fuit approbata. Interim tamen anno 1822 transactione provisoria inter Papam et Regem inita, numerus Episcoporum ad 80 elevatus est, Capitula cathedralia et Seminaria restituta, nec non novae scholae erectae sunt. Chateaubriand publice defendit, Clerum habere jus donationis bonorum etiam immobilium accipiendi; unde brevi tempore factum est, ut piae fundationes et legata vicies centena millia efficerent. Congregationes Clericorum, Monialium et etiam Laicorum eo operam suam contulerunt, ut juventutis educationem, studium pietatis et propagationem bonorum librorum promoverent. Ast quemadmodum Rex et boni homines damna religioni illata

(a) Storia del Pontificato di Pio VII, Histoire des Malheurs et de la captivité de Pio VII, Pacca Memorie etc.

reparare satagebant, ita impii Religionis progressum impedire conabantur; etenim obtenta per Constitutionem libertate typographica, opera Voltaerii, Russovii, Dalemberti, Dideroti recudebant, et sub diversis formis spargebant, Missionariis diversas Galliae regiones peragrantibus perduellionis crimen affingebant, et a Cameris postulabant, ut potestate praedicandi privarentur. Parisiis anno 1822 jurium et artis medicae studiosi eo audaciae devenerunt, ut aditus ad Ecclesias prohiberent, Ecclesias ipsas occuparent, violentiis et insultibus partim praedicatores ad silentium, partim auditores ad discessum adigerent, imo lapides per fenestras injicerent.

Ludovico XVIII anno 1824 mortuo successit ejus frater Carolus X, qui omnem lapidem movit, ut status Religionis catholicae in diem melior redderetur; sed factio illa, quae revolutionis tempore dominabatur, Religionem et ejus Ministros risui exponebat, et principia moralia cavillabatur. Anno 1828 Camerae coegerunt Carolum X, ut Jesuitis scholas adimeret, et an. 1830 regia spoliatum dignitate in exilium miserunt.

Carolo X seditiosi Galli substituerunt Ludovicum-Philippum Ducem Aurelianensem, quem non Galliae, sed Gallorum Regem salutarunt. Sub hujus regimine (4. Feb. 1831), cum Carlistae in Ecclesia S. Germani Parisiis Ducis Bituricensis exequias celebrarent, rebelles homines eam ingrediuntur, et interiorem ejus partem devastant, quae sors sequenti die etiam palatio Archiepiscopi obvenit. Lamennais, cui socias dabant manus Gerbet, Lacordaire, et Montalembert in Ephemeridibus (l'Avenir) docere coepit: « Clerum nullam debere accipere a civitate solutionem, neque aliquem regiminis politici influxum in res ecclesiasticas tolerare. Si Ecclesia redierit ad originariam paupertatem, tum primum independentem a potestate temporali futuram. » Hanc doctrinam Gregorius XVI (15 Augusti 1832) rejecit, et tales ephemerides legere prohibuit. Lamennais indignatus libros edidit utrique auctoritati per quam infestos, et novam Ecclesiam in Gallia a se erigendam esse praedicavit. In Galliae universitatibus cathedras occupant professores, qui venenum irreligiositatis ore et calamo spargunt. Clerus elevavit quidem vocem, at ministerium magis professoribus, quam Clericis favet. In Cameris an. 1844 haec causa fuit agitata, et Montalembert in favorem Cleri perorans pericula exposuit, quibus misera juventus in Gallia exposita est *(a)*.

(a) De Pradt les quattres concordats. Memorial Catholique. Boest neuste Gesh. Frankr. Bonner, Zeitschr., Gebert. Geremb. Journal des Debats ad 1844.

§. 13. *Hostes Religionis in Anglia.*

In Anglia perplures fuerunt, qui veram Jesu Christi Religionem radicitus evellere tentarunt. Praecipui erant sequentes: Joannes Wilmot, Comes Raffensis, qui libellis et carminibus Religioni irrisit, morti tamen proximus an. 1680 poenitens obiit. Bernardus Connor, Hibernus, miracula omnia naturaliter exposuit (mortuus 1686). Thomas Hobbes in suo Leviathan omnem Religionem negavit (mortuus 1679). Baro Hebertus de Cherbury asseruit revelationem nec necessariam, neque utilem esse. Joannes Lock, celebris philosopus, docuit Religioni christianae solam doctrinam de Jesu Messia peculiarem esse. Joannes Craig, Scotus, mathematicus statuit probabilitatem historiae Jesu eo magis decrescere, quo magis tempus vitae ejus recedit, annumque definivit, quo penitus defectura sit. — Carolus Blount vitam Appollonii Thiannensis a Philostrato conscriptam edidit, et systema Religionis naturalis proposuit (mortuus 1693). Joannes Tolandus, Hibernus, in variis libris mysteria Religionis naturaliter explicuit, genuitatem librorum N. T. in dubium vocavit, Christianam Religionem ceu superstitionem traduxit, Moysem Pantheismi arguit, et Pantheismum commendavit (mortuus 1727). Antonius Collinius, jurisconsultus, in suis tractatibus omnem Religionem superstitionem, cultum publicum divinum histrioniam, Sacerdotes impostores aut fatuos nominavit, vaticinia V. F. in Christo impleta non esse dixit (mortuus 1729). Thomas Wolstonius, Clericus, in 6 tractatibus de miraculis Christi impudenter asseruit, ea res adeo absurdas et ridiculas continere, ut historice accipi nequeant (mortuus 1733). Matthaeus Tindalius, jurisconsultus, omnem Religionem institutum politicum, doctrinas christianas avarorum sacerdotum inventa, revelationem impossibilem et inutilem, Librosque Sacros propter obscuritatem, ineptissimum medium revelationis cognoscenda esse docuit (mortuus 1733). Thomas Morganius in suis scriptis Mosaicam Religionem systema superstitionis et servitutis nominavit, universae Religioni bellum indixit, et contra Altaris ministros vehementer declamavit (mortuus 1743). Thomas Chubbius, saponarius Sarisbariensis, postquam multa lectione et meditatione varias scientias sibi comparavit, in suis tractatibus asseruit scripturam sacram multa absurda et inhonesta continere, Deum non curare res humanas, animae immortalitatem dubiam esse (mortuus 1741). Bernardus Mandeville, Dorderaci quidem natus, sed in Anglia degens, in fabula de apibus ethicam christia-

nam, fontem omnium vitiorum, sensualem sui ipsius finem supremum esse docuit, virtutem et jus in legibus solum civilibus fundari mentitus est; omnem Religionem aestimavit secundum utilitatem, quam opificis, artes et mercatura percipiunt (mortuus 1733). Henricus Comes de Bolinbrokus, sub Anna regina magnis in Republica muneribus functus, in suis tentaminibus philosophicis, post ejus mortem editis, omnes Dei proprietates morales negavit, et homini nonnisi animalem finem adjudicavit (mortuus 1751). David Hume, omnia in dubium vocavit, seu scepticum egit. In historia naturali, et in dialogis de Religione naturali, cuivis Religioni omnem in animum et mores vim abjudicavit, ac propterea anceps haesit, an Religio in rationali hominis natura fundata sit (mortuus 1751) (a).

§. 14. *Hostes Religionis in Germania.*

Etiam in Germania non defuerunt impii qui Christi Religionem eversum ibant. Christianus Knorr in variis scriptis docuit indifferentismum (mortuus 1689). Fridericus Guilielmus a Stoch in sua concordia fidei et rationis doctrinas Spinozae et Hobbesii (1704): Christianus Edelmann protestans docuit, Libros utriusque foederis suppositos, Jesum merum hominem, Trinitatem fabulam, creationem ex nihilo, lapsum primi hominis, Angelos, diabolos figmenta, Religionem Christianam superstitionem esse, Pantheismo addictus obiit Berolini an. 1767. Carolus Aug. Gebhardi miracula et divinam Religionis christianae ac S. Scripturae originem negavit. Joannes Michael de Loën, retenta Christianismi specie, solam Religionem naturalem commendavit. Christianus Damm in paraphrasi novi testamenti an. 1764 in lucem emissa, aperte professus est, Religionem christianam jure naturalem esse. Joannes Godefridus Eichorn, Joannes Vilhelmus Ran, David Michaelis, Joannes Samlerus, Fridericus Bartd, et plures alii Socinianorum more, omnia supernaturalia in Scriptura sacra contenta in eventus naturales convertere studuerunt. Fridericus II Borussiae Rex, partim suo exemplo, partim Sophistas Gallos in suum regnum recipiens et summo honore prosequens, non parum contulit ad irreligionem in Germania propagandam. Systemata philosophica Kantii, Fichtii, Schelingii et Hegelii religioni multum nocuerunt. Blau, professor theologiae Moguntiae infallibilitatem Ecclesiae rejecit. Laurentius Ivaubiehl dubia movit circa vaticinium Isaiae: Ecce virgo concipiet etc. (b).

(a) Brittanische Biographie. (b) Jes 7, 15. Klein H. E.

§. 15. *Tristis Ecclesiae Germanicae conditio.*

Vi pacis Lunaevillensis, quam Germani et Austriaci cum Gallis inierunt an. 1801, Germania transrhenana Reipublicae gallicanae fuit concessa et statutum ut Principes saeculares, qui sua bona trans Rhenum amiserant ex bonis ecclesiasticis Rhenum indemnes redderentur, Clericis annuas pensiones in Concordato gallicano definitas solverent et Ecclesias cathedrales dotarent; cum vero Principes saeculares neque pensiones praescriptas solverent, neque Ecclesias dotarent, Episcopi complures Episcopatu se abdicarunt. Napoleon territorium Ecclesiae Moguntinae Regi Bavariae dedit, et ceteras Primatis Germaniae possessiones, novis quibusdam auctas an. 1810 in magnum Ducatum Francofordiensem mutavit. Cum Ecclesiae suis pastoribus essent viduatae, sacerdotes undique contempti Seminaria imminuta, bona ecclesiastica rapta, in scholis perversa principia traderentur, in libris doctrinae antichristianae spargerentur; irreligio et morum corruptela per milites Gallos, qui toties Germaniam percurserunt, propagata perseveraret, patet quam tristis fuerit Ecclesiae Germanicae conditio. Ad malorum cumulum accessit, quod Guilielmus III Borussiae Rex, Catholicis infensissimus, anno 1837, propter matrimonia mixta Clementem Augustum Droste Archiepiscopum Coloniensem, et Martinum Dunin Archiepiscopum Posnaniensem et Gnesnensem, Sede sua ejecerit et exilio mulctaverit. Hi enim litteris apostolicis Pii VIII obsequentes, contra regias ordinationes Clericis suarum diocesium prohibuerunt matrimoniis mixtis benedictionem impertiri, nisi prius pars acatholica promitteret, se permissuram prolem in Religione catholica educari. Guilielmus IV, prioris filius, utrumque libertate donavit et Catholicis ampla jura concessit anno 1840 (a).

§. 16. *Status Religionis in Helvetia et Batavia.*

Perversa Gallorum et Germanorum scripta sat mature penetrarunt in Helvetiam, et hominum corda adeo corruperunt, ut ditiones Genevensis et Bernensis incredulitatis vexilla extollerent. Inde ab anno 1798 Ecclesiae fuerunt expilatae, instituta ecclesiastica abrogata, Clerici proventibus privati et consiliis publicis exclusi, bona Ecclesiarum civitati adjudicata. Anno quidem 1801 introductis novis Reipublicae constitutionibus, prior status ecclesiasticus introductus est,

(a) Klein H. E., Sion N. 114., Alzog. H. E.

attamen irreligio non multum decrevit. Anno 1841, in ditione Argovrensi omnia monasteria abolita et bona eorum divendita fuere ; anno tamen 1843 , agente potissimum Gregorio XVI, regimen politicum et conventus et bona Religionis restituit. Furibundi Calvinistae veram Jesu Christi Ecclesiam continuo persequuntur. — Belgio Catholico lues irreligionis per Gallos illata fuit, et tales progressus fecit, ut Religionis amici Bruxellis in societatem coirent et conjunctis viribus obicem ponere conarentur. Novissimis temporibus etiam Sansimoniani in Belgio Catholico sedem suam fixerunt, quorum unus presbyter Helsem suspensus, contra mores Clericorum praedicans , nonnullos asseclas ex republicanis et seditiosis nactus est. In Belgio foederato partim Arminiani, partim Sociniani , partim Benedictus Spinoza sententias antichristianas disseminarunt. Magna autem incrementa coepit impietas per scripta Gallorum, Germanorum et Anglorum (*a*).

§. 17. *In Dania , Suevia, Polonia et Russia.*

In Dania et Suevia Reges , qui impietati favebant, et libri antichristiani perplures ad atheismum , materialismum, indifferentismum et deismum perduxerunt. In Polonia jam tempore Voltairii sparsa fuere irreligionis semina , partim per nobiles , qui eruditionis causa in Galliam proficiscebantur, et patrios repetebant lares, et partim per Gallos , qui qua Paedagogi , qua coqui , qua famuli in hac terra degebant. Tardius aucta fuit irreligio per arctiorem cum Gallis conjunctionem , et per scripta veneno impietatis referta. In Russia ipse Petrus Magnus, permittens ut Religio mimicis repraesentationibus in theatro derideretur , irreligioni portam aperuit. Sub Catharina II, quae cum Voltairio necessitudinem habuit plures Gallorum in Russiam iverunt et irreligiosa principia propagarunt. Actualis Russorum imperator Nicolaus , tyranno haud absimilis , Catholicos in suo imperio commorantes divexat, eosque ad amplectendam Graecorum communionem sollicitat. Anno 1842 duo Episcopi cum suis gregibus ad Graecorum non unitorum castra transierunt (*b*).

(*a*) Virz. H. E. t. 5. S. Bonner Zlocher. Zafl 9. (*b*) Klein H. E., Theiner Stat. Eccl. Cathol. in Polonia et Russia, Ephemerides historico-politicae et cet.

§. 18. *In Hispania et Lusitania.*

In Hispaniam jam tempore Caroli III irreligio irrepsit. Aranda, Caroli III Administer, non tantum impietati favet, verum etiam Jesuitas persequutus est. Sub Josepho Bonaparte, qui an. 1808 rex Hispaniae creatus est, religioni multa damna illata sunt; nam quemadmodum Napoleon in Italia, ita Josephus Bonaparte in Hispania omnia monasteria et confraternitates abolevit, bona vero eorum fisco addixit. Ferdinandus VII, recepto anno 1814 throno paterno pristinum statum ecclesiasticum restituit. Mortuo Ferdinando VII, qui anno 1830 legem salicam sustulit, Hispania bifariam divisa est. Una factio Isabellam II, defuncti Ferdinandi filiam, ex Christina natam, reginam proclamavit, alia Carolum Regis fratrem. Ita an. 1833, quo fatis cessit Ferdinandus, atrox ortum est bellum civile, quod utramque rempublicam devastavit, et adhuc devastat. Anno 1834 furibunda plebs perplures monachos in suis asceteriis trucidavit, credens ab eis fontes veneno corruptos, et inde morbum *Cholera* exortum fuisse. Anno 1835, 900 Monasteria sublata, eorumque bona solvendis publicis debitis destinata sunt. Eodem anno Minister Mendizabal alia claustra abolevit, campanas in tormenta convertit, et vasa sacra vendidit ad tegendas belli intestini expensas; imo anno 1837 populi legati (Cortes) declararunt, omnia bona Ecclesiae ad nationem pertinere, Religionis ministros civitati ancillari debere, eisque pensiones annuas datum iri. Quam maxime civitatem et Ecclesiam afflixit saevus Dictator Espartero, qui an. 1844, ut mortem evitaret, ad quam quaerebatur, in Angliam fugit. Tam deploranda erat Ecclesiae hispanicae conditio, ut anno 1842 Gregorius XVI Papa supplicationem pro Hispanis in toto orbe catholico indixerit, concessa fidelibus indulgentia plenaria.

Inde a temporibus Pombalii Regni administri, etiam in Lusitania Sophistarum doctrinae invaluerunt. Orta 1820 seditione et civitas et Ecclesiae concussae fuere. Hac vix suppressa novi tumultus enati sunt. (1829-1833). Populus et Clerus favebant Principi Michaeli (D. Miguel) Ecclesiae protectori; sed frater Petrus (D. Petro) eo rem perduxit, ut ejus filia Maria corona redimita fuerit. Petrus anno 1833 declaravit, vacare omnes Episcopatus, ad quos nominaverat ejus frater, parochis ademit decimas et promisit pensiones, quas numquam solvit, Monasteria omnia sustulit, eorumque bona ad se adtraxit. Post mortem Petri an. 1834 sequutam incepit regnare ejus filia, sub cujus regimine ii persecuti sunt, qui noluerunt

agnoscere Episcopos a Pontifice non confirmatos. Anno 1843 per Concordatum inter Sedem Apostolicam et reginam initum, res in melius mutatae fuere (a).

§. 19. *Media ad irreligionem propagandam adhibita.*

Ad hunc finem assequendum Sophistae et ore et calamo et aliis mediis utebantur. In primis venenum irreligiositatis effundebant oretenus, quavis data occasione, ubi auditores cujuscumque aetatis, sexus et conditionis aderant. Ad pestem impietatis latius propagandam calamum potissimum stringebant, edebant in lucem et vili pretio vendebant libros ludicros, philosophicos, historicos, poeticos, itineraria, drammata, fabulas Romanenses, quibus dogmata Religionis impugnabant, coerimonias et ministros risui exponebant et diffamabant. Opus vere nequissimum, religioni et moralitati quam maxime adversum, erat Encyclopedia, quae inde ab anno 1750 sub Directione Voltairii, Dideroti et Dalemberti, hoc est patriarcharum impietatis typis mandari coepit. Cum in Ephemeridibus praedicarent hujus libri emolumenta, factum est, ut non solum viri, sed et foeminae nobiliores exemplaria sibi procuraverint. Opus huic haud absimile, eodem saeculo etiam Berolini in Borussia idiomate germanico prodiit (b).

§. 20. *Arcanae societates.*

In eversionem Altaris et throni tendebant etiam arcanae societates, quae Murariorum, Jacobinorum et Illuminatorum nominibus insignitae totam pervaserunt Europam. Murarii dividebantur in tyrones, sodales et magistros, quorum unus Magister magnus vocabatur. Membra hujus societatis in Gallia nominabantur Jacobini. Clemens XII et Benedictus XIV, edita Bulla, tam societatem ipsam, quam eam ingredientes excommunicarunt. In Germania 1776 Societatem Illuminatorum fundavit Adamus Weishaupt, juris canonici Ingolstadii professor, cui paulo post accessit Alphonsus Knigge, nobilis Hannoveranus. Horum scopus erat evertere religionem et thronum et regimen patriarchale introducere. Erant divisi in Minervales, Presbyteros et Regentes, inter quos praeminebant gradus Magi (philosophie) et Regis (supremi Rectoris). Presbyterorum munus erat in locum religionis revelatae religionem naturalem substituere. Rectores curare debebant, ut monarchica regiminis

(a) Sion ad an. 1841., Hist. polit. Blaett. Ephem. Cathol. ad an. 1842. et cet. (b) Klein H. E.

forma in democraticam mutaretur. Circa annum 1832 nova comparuit societas, cui nomen: Juvenis Italia, Juvenis Helvetia, Juvenis Anglia, Juvenis Germania, quae a prioribus non abludebat. In Germania patriarchae hujus perversae societatis fuerunt Henricus Haine et Carolus Gutzgow, qui in suis operibus contra Religionem et regimen politicum debachati sunt *(a)*.

§. 21. *Persecutores Religionis Christianae in Japponia.*

Imperator Combacundo tres in Christianos movit persecutiones. An 1587 a Bonzis concitatus Jesuitas ex Japponia pelli, templa Christianorum dirui, et multos Christi asseclas enecari jussit. Secundae persecutioni ansam praebuit an. 1596 incautus quidam Dux navis Hispanicae, qui regni Japponici administro dixit, Hispaniae regem tot terrarum tractus non minus praedicatorum quam militum ope sibi subjecisse. Tertiae tempestatis causa an. 1612 fuit Dux navis Batavicae, qui Japponensibus persuasit, Missionarios et Christianos eo tendere, ut Rex Hispaniae summa rerum in Japponia potiatur. Huic procellae finem imposuit Combacundi successor Fedejori. Hunc anno 1626 interfecit ejus tutor Ijejas, qui usurpato imperio, missionariis libertatem praedicandi Evangelium ademit, et Japponenses jam conversos vi ad idola perduci jussit. Cum quidam Franciscani ab hispanico Insularum Philippinensium gubernatore negotiorum causa ad imperatorem missi, et zelo fidei propagandae inflammati in ipsa Metropoli Meaco verbum Dei praedicare, et ecclesiam extruere coepissent, ferus Ijejas ira incensus tam atram movit in Christi cultores persecutionem, ut, ea saeviente, perplures extremo afficerentur supplicio. In sola provincia Nagasaki anno 1622 ultra 40,000 christianorum martyrium subiere, quos inter memorari merentur Franciscus a S. Maria, et Bartholomaeus Ordinis S. Francisci.

Batavi, Hispanis et Lusitanis commercium invidentes, odioque in Religionem catholicam, quam abjecerant, flagrantes, anno 1637 aulae Japponicae litteras a se confictas exhibuere, in quibus de conjuratione contra imperatorem a Catholicis facienda sermo erat. Imperator indignatus eodem anno edictum dedit, vi cujus Hispanos et Lusitanos a Japponia pepulit, omnibus alienigenis aditum in Japponiam interdixit, et solis Batavis mercimonium exercere concessit, ea conditione

(a) Barruel Memoires T. 2. p. 424., Minuam Murzezim, Zum, Rnuzt n. Litnmirtum 1795. t., Quarterly Review Dec. 1835., L'Ami de la Religion N. 2. 1836 pag. 2.

ut antequam regnum Japponiae ingrederentur Crucifixum pedibus conculcarent, quod et praestiterunt. Ita Ecclesia Catholica Japponiae an. 1640 penitus extincta est (a).

§. 22. *Lites de ritibus Sinensibus.*

Sinenses in suis cubilibus habebant tabulas Majorum defunctorum cum inscriptione: Sedes hujus aut illius defuncti. Coram quibus certis temporibus se prosternebant, luminaria accendebant, thus adolebant, etc. Eodem honore eruditi prosequebantur Confucium. Hos ritus Jesuitae ceu politicos vel civiles considerabant, ac propterea Christianis quoque conversis concedebant; at alii Missionarii, et potissimum Dominicani contendebant, eos esse religiosos, ethnicam redolere superstitionem, ac proinde prohibendas fore. Hanc litem Dominicani an. 1645 Romam detulerunt ad Innocentium X qui eam in horum favorem decidit. Verum Jesuitae ab Alexandro VII an. 1656 declarationem impetrarunt, vim decreti Innocentii enervantem; qua concordia inter missionarios fuit restituta. Anno 1693 Carolus Maigrot, ex congregatione Lazaristarum, Vicarius Apostolicus in Sinensi provincia Fokien commemoratos ritus, et vocabula Tien (coelum) et Chang-ti (supremus Imperator) utpote quae coelum materiale designarent, adeoque pantheismo faverent, Christianis Sinensibus interdixit. Innocentius XII, praemisso examine hanc sententiam approbavit, et Clemens XI per Carolum Turnonium Jesuitis in Sinam misit, qui imperatorem eo perduxerunt, ut Turnonium et Dominicanos omnes exilio mulctaret, in quo Turnonius aerumnis confectus periit an. 1711. Quamobrem Clemens XI summopere indignatus a. 1715 Bullam in Sinam misit, qua sub poenarum ecclesiasticarum comminatione Jesuitis imperavit, ut latae sententiae morem gererent, quam Bullam cum Castoranus Episcopi Pechinensis Vicarius generalis ex Ordine S. Francisci promulgasset, in vincula conjectus variis calamitatibus per 17 menses affectus est. Tum Pontifex a. 1720 Carolum Ambrosium Mediobardum ad imperatorem misit, qui cum frustra tentasset imperatorem flectere, a Jesuitis evocatus fuit Bullam modificare, quam tamen modificationem Innocentius XIII anno 1723 rejecit, et Jesuitis societatis abolitionem minatus est, si Pontifici obedientiam denegarent. Benedictus XIV sub poena excommunicationis executionem sententiae Innocentianae ursit, et statuit, ut in posterum missionarii in Sinam mittendi jure-

(a) Maffei hist. Ind., Possini hist. Soc. Jesu, Cherevoix hist. Christi in Japp.

jurando prius affirmarent, se velle decreta Pontificum de ritibus Sinensibus observare.

§. 23. *Persecutores Religionis christianae in Sina.*

Sub imperatore Yong-isching, gubernator provinciae Fokiensis ab apostata quodam Sinensi Christianos variorum accusante instigatus, prohibuit suis subditis Religionem Christianam amplecti, Christianis Ecclesias ademit, missionarios relegavit et imperatorem ad similia in toto imperio decernenda induxit. Postea tamen Imperator meliorem induit animum. Ejus filius Kien-long, qui a. 1705 in imperio successit, ab initio Christianos non persequebatur; verum exortis ob Bullam Clementis XI dissidiis a. 1708 Christi asseclas et bonis et vita privavit. Emanuel Josephus, Lusitaniae Rex, missis ad imperatorem donis, Ecclesiae christianae pacem obtinuit. At anno 1770 nova erupit tempestas quam an. 1784 alia sequuta est. In utraque multi fideles martyrio coronati fuere. Novae persecutioni an. 1805 mappa geographica provinciae Cantonensis terminos jurisdictionis ecclesiasticae continens, ab Ageodato in Europam missa, quam interceptam considerarunt Sinenses ceu conjurationis documentum. In hac persequutione nobiles opibus et dignitatibus spoliati in exilium missi sunt, libri sacri combusti, et transitus ad sacra christiana vetitus. An. 1814 gubernator provinciae Setschven multos Christianos martyrio affecit, quos inter notatu dignissimus est Gabriel Dufresse Episcopus Trabacanus et Vicarius Apostolicus. Anno 1818 persecutio adeo recruduit, ut Christiani magno numero torquerentur, missionarii vero laqueo necarentur. Subsequentibus annis (1837, 1838, 1839, 1840) novae persecutiones exortae sunt, in quibus perplures missionarii catholici vitam pro Jesu Christo dedere (a).

§. 24. *Persecutiones contra Christianos excitatae in India posteriori.*

Ecclesia christiana in Tanschauro, Medaurus, Mysura et Carnotica saec. XVIII plurimum decrevit. Ecclesiae Tanschaurensi interitum procuravit quidam indigena conversus, qui idola confringens, Braminorum et ceterorum odium in Catholicos adeo concitavit, ut jussu regis omnes Christi fideles verberi-

(a) Lettres des Missions etrangeres et cet. Nouveaux memoires des missions de la Compagnie de Jesu 1715, Annali di Roma 1837-839., Gazzetta di Venezia.

afficerentur, carceri manciparentur, eorumque Ecclesiae solo aequarentur. In Madaura persecutionibus ansam praebuere lites Cappuccinos inter et Jesuitas exortae. Cappuccini enim detulerunt ad Pontificem, Jesuitas in baptismo usum salivae et salis, nec non insufflationes amittere, baptizandis Deorum aut Indorum nomina imponere, nuptias inter parvulos 6 aut 7 annorum permittere, imaginem Dei Pelagiaris, nuptiis praefecti, multasque coeremonias superstitiosas in conversis indulgere, foeminas infirmitate menstrua laborantes a confessione repellere, Christianis licentiam dare, ut in templis ethnicorum musicam facerent. Hos mores, sicut plerosque ritus Malabaricos Turnonius a. 1704 Pondicherio discedens interdixit, cui tamen Jesuitae parere noluerunt. Clemens XII anno 1734 concessis quibusdam rebus minoribus, post 25 annos dissidentes ad concordiam reduxit. Cum lites resuscitarentur Benedictus XIV, a. 1744 in Bulla: « Omnium sollicitudinum » ritus et mores Malabaricos denuo severe interdixit, et Jesuitas ad jusjurandum et obedientiam praestandam adegit. Dissidia ista Religioni christianae multum nocuisse, nemo non videt. In regno Misurano Tipusahebus an. 1787 multa millia Christianorum variis suppliciis affecit. Non minus saeviit in aliis provinciis, quas belligerendo cum Anglis a. 1790 invasit. Eodem saeculo etiam in Carnotica partim bello Gallos inter Anglos exorto, qui Ponticherium expugnarunt, partim sublatis in Gallia institutis pro missionibus, Ecclesia christiana multum decrevit *(a)*.

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Episcoporum potestas.*

Sancta Sinodus Tridentina Episcopis omnes personas ecclesiasticas subjecit, cum quoad functiones, tum quoad mores, eisque jus attribuit novas parochias exigendi, beneficia uniendi, parochis inhabilibus vicarios substituendi, parochos dissolutos beneficiis privandi, omnes dioecesis suae ecclesias etiam exemptas visitandi, cultum publicum dirigendi, causas ecclesiasticas Sedi Apostolicae non reservatas, in prima, ut ajunt, instantia, judicandi. A foro episcopali, post dictam sententiam licet ad Pontificem appellare; si ipse causam non decidat, provocantis

(a) Norbert memoires et cet.

Metropolitam aut hujus Vicarium generalem, si autem Metropolita suspectus sit, aut ab ejus quoque sententia provocatum fuerit, Episcopum proximum aut hujus vicarium generalem ceu novum judicem constituere debet. Si Episcopus talis criminis fuerit accusatus, in quod poena depositionis statuta est, causa nonnisi a totius Ecclesiae Primate decidi potest. Praeterea declaratum, Episcopos in personas et loca exempta ex Sedis Apostolicae delegatione potestatem exercere (a).

§. 2. *Conamina Episcoporum potestatem suam ampliandi.*

Episcopi hac periodo omnem lapidem moverunt, ut potestatem suam ampliarent. Mortuo Carolo VI imperatore a. 1741 ad Electores Francofordii ad Maenum congregatos Wenceslaus Archiepiscopus Trevirensis sermonem habuit de gravaminibus Curiae Romanae, et Baro Henricus de Spangenberg desiderium pandidit, ut aliquis Germanorum jura Pontificis genuina ab iis, quae ipse sibi attribuit, discerneret. Hisce excitatus Nicolaus de Hontheim Archiepiscopi Trevirensis suffraganeus opus elucubravit, et anno 1763 Francofordii praelo subjecit sub titulo: « Justini Febronii jurisconsulti de statu Ecclesiae, et de legitima potestate Romani Pontificis liber singularis ad reuniendos dissidentes in Religione Christianos compositus. » In hoc libro auctor docet: 1. Christum claves toti Ecclesiae dedisse, hujusque esse administros omnes Apostolorum successores; 2. Romanum Pontificem Primatum honoris habere; 3. Primatum non esse necessario R. Ecclesiae alligatum; 4. Primatus finem esse conservationem unitatis, juraque ad eam conservandam *necessaria* seu *essentialia*, reliqua nonnisi *accidentalia* seu *adventitia*. Auctor media quoque indicavit Pontificis potestatem restringendi. Librum Hontheimi damnavit Clemens XIII, datis ad Archiepiscopos et Episcopos Germaniae litteris. Plures etiam magni nominis viri calamum contra eum strinxerunt, quos inter eminuit Petrus Ballerinus, Presbyter Veronensis edito Veronae an. 1768 libro « de potestate Ecclesiae et summorum Pontificum ac Conciliorum auctoritate ». Auctor diu opus suum tuitus est sub fictis nominibus Theodori a Palude, Huli Jordani, Joannis a Calore, Febronii abbreviati. Tandem a Wenceslao Archiepiscopo Trevirensi delectus et ad bonam frugem reductus, anno 1778 suam retractationem Romam misit, quae Pium VI summa laetitia affecit.

Huc etiam pertinet conamen trium Electorum ecclesiasti-

(a) Conc. Trid.

eorum et metropolitae Salisburgensis, qui jam an. 1769 triginta gravamina contra Sedem Apostolicam Josepho II imperatori exhibuerunt, rogantes ut recursus ad Pontificem Romanum prohiberet, et omnes nuntiaturas abrogaret. Hic motus admodum crevit an. 1785, quo Papa, petente Carolo Theodoro Bavariae electore, Monachii novam nuntiaturam erexit, et Episcopum Frisingensem Salisburgensis suffraganeum eidem subordinavit. Tunc Archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, et Hieronymus Colloredo Archiepiscopus Salisburgensis de jurisdictionis suae restrictione apud imperatorem conquerentes, ejus auxilium implorarunt. Imperator non solum suum auxilium pollicitus est, verum etiam eis commendavit, ut jura sua contra Sedem Pontificiam vindicarent. Patrocinio Imperatoris suffulti supradicti quatuor Archiepiscopi a. 1786 ad conventum Empsensem (in comitatu Nassaviae) legatos suos miserunt, qui propositionibus a se confectis (harum complexus Punctatio Empsiensis vocari consuevit), innixi, principio: Episcopos immediate a Christo illimitatam ligandi et solvendi potestatem accepisse, statuerunt, recursum ad Sedem Apostolicam prohibendum, dispensationes ab Episcopo ordinario concedendas, decreta pontificia sine Episcopi consensu nec promulganda, nec observanda, exemptiones monasteriorum abolendas, nuntiaturas penitus abrogandas esse. Archiepiscopi has propositiones miserunt ad imperatorem, qui eis rescripsit, antequam executioni dentur, consensum suffraganeorum, exemptorum, nec non principum, in quorum territoriis sunt Dioeceses, necessarium esse. Cum Episcopi suffraganei postulatum consensum denegarent, et Archiepiscopus Trevirensis recederet, totum negotium effectu caruit. Nihilominus Josephus II Monasteriorum exemptiones sustulit, Nuntio Apostolico Viennae residenti, omnem actum jurisdictionis ecclesiasticae interdixit, et praecepit, ut Episcopi suarum ditionum juribus suis independenter utantur (a).

§. 3. *Facultates Quinquennales.*

Romani Pontifices, ut Episcopis de sua jurisdictione comminata conquerentibus aliquo modo satisfacerent, inde saeculo XVII facultates quinquennales eisdem concedebant. Omnibus Episcopis communes erant sequentes: 1. facultas ab haeresi absolvendi; 2. Sacros Ordines extra tempus statum, et non servatis interstitiis conferendi; 3. Dispensandi in quibusdam

(a) Pius et ejus Pontificatus, Plank Hist. Relig.

impedimentis matrimonii, in irregularitate ex delicto occulto; in votis simplicibus, in esu carnis, ovorum et lacticiniorum, praecipue tempore Quadragesimae; 4. Clericis suis indulgendi, ut libros prohibitos legant, in casu necessitatis bis Missam celebrent, Viaticum ubi ab haereticis vel infidelibus profanatio timenda esset, clam et sine luminaribus ad aegrotos deferant, vestibus saecularibus induantur, et si propter legitimum impedimentum Breviarium recitare non possent, Rosarium vel alias orationes recitent. Quia post singula quinquennia Episcopi has facultates a Sede Apostolica impetrare debebant, *quinquennales* dictae sunt (*a*).

§. 4. *Patriarchae Latini.*

Petente Joanne V, Lusitaniae rege, Clemens XI a. 1716 Archiepiscopatum Ulyssiponensem in Archiepiscopatus Orientalem et Occidentalem divisit, et posteriorem ad Patriarchatus gradum evexit, eique tres Lusitaniae Archiepiscopatus, Ulyssiponensem Orientalem, Braccarensem et Eburianum subordinavit, e contra Patriarchatus Aquilejensis sublatus est. Huic abolendo ansam dedere collisiones inter regimen Venetianum et Austriacum de Patriarcha Aquilejensi. Quoniam hic sedem suam in ditione Venetiana habebat, ejus autem Dioecesis etiam in territorium Austriacum extendebatur, conventum fuerat, ut alternis vicibus, modo ex clero Venetiano, modo ex clero Austriaco eligeretur. Ad hanc conventionem eludendam Patriarchae Venetiani fere semper coadjutorem e subditis Reipublicae Venetianae assumebant. Quamobrem imperatrix Maria Theresia an. 1749 apud Pontificem conquesta est, et Benedictus XIV, obtempto tum Reipublicae, tum Imperatoris consensu anno 1751 Patriarchatum in duos Archiepiscopatus divisit, quorum alter Utinensis Venetianam, alter Goritiensis Austriacam partem Patriarchatus comprehenderet, et respublica Veneta jus haberet nominandi Archiepiscopum Utinensem, Domus vero Austriaca Archiepiscopum Goritiensem (*b*).

§. 5. *Auctoritas Romani Pontificis.*

De Romani Pontificis auctoritate duae hac periodo inter Theologos vigebant sententiae; alii incircumscriptam et Conciliis Oecumenicis superiorem tuebantur, alii contrarium statuebant. In Concilio Tridentino nihil propositum, decisum nihil fuit, in quod non antea Pontifex a Legatis suis consultus con-

(*a*) Moser Hist. Nunt. Apost. in Germania. (*b*) Le Bret. Hist. Reip. Venet.

sensisset, pluribusque decretis, reformationem concernentibus, clausola addita est: salva in omnibus semper Sedis Apostolicae auctoritate, qua indicabatur, Papam ab istis decretis pro arbitrio dispensare posse. Paulus IV libros defendentes Concilium esse supra Pontificem in cathalogum librorum prohibitorum retulit. Fautoribus sententiae de infallibilitate et superioritate Pontificis supra Concilium Oecumenicum an. 1611 se opposuit Edmundus Richer, Clericus et Theologus Parisiensis, qui in « tractatu de ecclesiastica et politica potestate » formam regiminis ecclesiastici monarchico-aristocraticam propugnavit, et inter alia docuit : non soli Pontifici, sed toti Ecclesiae docenti jus competere leges pro universa Ecclesia valituros ferendi, Romanum Pontificem habere solam potestatem, leges ecclesiasticas explicandi et exequendi, ejus decreta et Bullas tunc tantum obligare, si cum decretis Conciliorum Oecumenicorum consenserint, imperantem civilem legitimum esse judicem, si ab ecclesiasticis abusibus ad eum fuerit provocatum. Hoc Richerii scriptum a 7 suffraganeis Cardinalis Peronii Archiepiscopi Senonensis damnatum, et auctor ad retractationem subscribendam adactus. Infallibillitatem et superioritatem Pontificis supra Concilium Oecumenicum saeculo XVIII defenderunt perplures Theologi et Canonistae, quos inter notatu digniores sunt Augustinus Orsi, et Jacobus Hyacinthus Serry Ordinis Praedicatorum (a).

§. 6. *Immunitas Ecclesiastica.*

Concilium Tridentinum sessione XXII anathema dixit illis, qui jurisdictionem aut bona Ecclesiae sibi arrogarent. Paulus IV probibuit libros, quorum auctores jurisdictionem in Clericos Magistratui civili asserebant. In Bulla Coenae Domini, quae amplius non legitur immunitatis ecclesiasticae laesores excommunicabantur. Nihilominus saeculo XVIII Clerus in pluribus regionibus suis praerogativis privatus est. In terris ad Domum Austriacam pertinentibus immunitas ecclesiastica sublata est a Josepho II ; in Germania a Principibus, qui ex pace Lunevillensi territoria obtinuerunt ; iu Polonia ab illis qui hoc regnum inter se diviserunt ; in Gallia a Conventu nationali ; in Italia a Napoleone ; in Hispania et Lusitania a Principibus per Napoleonem institutis. In concordato anno 1818 inter Sedem Apostolicam et Regem utriusque Siciliae inito solummodo cautum est, ne bonis ecclesiasticis majora saecularibus tributa imponantur (b).

(a) Baillet la vie d'Edmond Richer. Valch Hist. Relig. 1. 7. (b) Klein Hist. Eccl.

§. 7. *Dissidium inter Paulum V et Rempublicam Venetam.*

Ob violatam immunitatem ecclesiasticam grave dissidium ortum est inter Sedem Apostolicam et Rempublicam Venetam. Haec nimirum an. 1603 vetuit absque Senatus licentia novas Ecclesias, monasteria, aut alia aedificia exstruere, societates spirituales erigere, bona immobilia Clero vendere, donare vel testamento legare. Praeterea nonnullos Clericos criminum civilium reos carceri mancipavit. Paulus V Pontifex certior factus a Senatu postulavit, ut illa decreta immunitati ecclesiasticae adversa revocaret, Clericos vero incarceratos sibi traderet. Renuente Senatu, Papa litteras monitorias dedit, quibus decreta illa irrita declaravit, et sub poena excommunicationis latae sententiae revocare jussit; quod cum executioni non daretur, Pontifex anno 1606 Senatum cum Praeside omnibusque asseclis atro stigmate notavit, et totam Rempublicam, si porro resisteret, interdicto subjecit. Senatus his minime territus, datis ad universum Clerum litteris, excommunicationem immeritam et nullam pronuntiavit, nec non interdicti observationem vetuit sub exilii poena, quam subierunt Jesuitae, Theatini et Cappuccini. Inter eos qui causam Reipublicae defendebant, eminuit Paulus Sarpi, Venetiis natus, Theologiae doctor, Ordinis Servitarum provincialis, et a Republica Veneta status consultor electus. Mediante Henrico IV Galliae Rege an. 1607 dissidium sublatum fuit, et Ordines religiosi ab exilio revocati, demtis Jesuitis, qui sub Alexandro VII primum redeundi licentiam obtinuere (a).

§. 8. *Dissidium inter Ludovicum XIV Galliae regem et Innocentium XI R. P.*

Cum Ludovicus jus Regalium ad beneficia quoque curata et simplicia extenderet, nonnulli Episcopi et hos inter Nicolaus Pavillonius Episcopus Alectensis et Franciscus Cauletus Episcopus Appamiensis non solum Regi se opposuerunt, sed etiam Clericos a Senatu missos recipere recusarunt; quamobrem fuerunt suis beneficiis privati, et variis molestiis affecti. Ludovicus ad tuenda sua jura, a. 1681 conventum Parisiis celebravit, in quo Episcopi congregati ad nutum Regis quaestionem de Regalibus deciderunt. At Innocentius XI omnia

(a) Andr. Mauroceni Hist. Venet. l. 17. Sarpi Storia particolare delle cose passate tra Paolo V. e la Rep. Venez., Thuanus Hist. l. 137.

acta rescidit, Episcopis vero timiditatem exprobravit. Rex indignatus a. 1682 ad novum conventum 34 Episcopos Parisios invitavit, qui sequentes propositiones fecerunt: 1. Potestas Pontificis est mere spiritualis. 2. Eadem per canones est restricta. 3. Primas Ecclesiae Conciliis Oecumenicis est subordinatus. 4. In quaestionibus fidei Pontifex primas quidem habet partes, decretum tamen ejus non est irreformabile, nisi accedente Ecclesiae dispersae consensu. Hisce propositionibus, quas Galli ceu propositiones Cleri Gallicani venditant, etiam Jacobus Benignus Bossuet subscripsit. Innocentius XI eodem anno, eas improbavit, et Alexander VIII a. 1691, edita Bulla, diris devovit. Composita demum lite, Ludovicus XIV revocavit edictum, quo principia illa omnibus observanda proponebantur, et Episcopi, in litteris ad Innocentium XII datis, humiliter veniam precati sunt, omniaque conventus gesta nulla ac irrita declararunt (*a*).

§. 9. *Dissidium inter Clementem XIII et Ducem Parmensem.*

Occasione violatae immunitatis ecclesiasticae vehementes lites exarserunt inter Sedem Apostolicam et Reges Siciliae, Sardiniae et Portugalliae, potissimum autem inter Clementem XIII et Ferdinandum Ducem Parmensem. Is a. 1765 Parmae dicasterium erexit pro ordinandis rebus ecclesiasticis, ab Episcopis juramentum fidelitatis exegit, et placetum civile introduxit. A. 1767 legem tulit, qua pias fundationes vetuit, professionem religiosam emissuros juri haereditatis capiendae renuntiare jussit, bonis ecclesiasticis tributa imposuit, extraneos a beneficiis ecclesiasticis exclusit, appellationes ad exterum tribunal interdixit. Clemens XIII hanc legem nullam declaravit, et Ducem frustra monitum excommunicavit. Dux in iram actus annuam pecuniae summam Pontifici solvendam subtraxit; Rex Galliae Ducatus Avenionensem et Visinensem occupavit; Rex Siciliae Principatus Beneventanum et Ponte Corvo ad se adtraxit; aula Lusitanica prohibuit petere a Sede Romana dispensationes in causis matrimonii. Clemens XIV revocando Bullam sui antecessoris, terras Sedi Apostolicae ereptas recuperavit (*b*).

§. 10. *Reformationes in Republica Veneta et Austria susceptae.*

Spiritus novitatis corda Principum invaserat. Respublica

(*a*) Def. Cler. Gall. Mazu (*b*) Schlegel H. E. Klein.

Veneta inde ab an. 1762 vetuit donare et legare bona Ecclesiis aut monasteriis, a bonis Ecclesiae tributa exegit, Pontifici beneficiorum collationem denegavit, litteras Sedis Romanae placito suo subjecit, confraternitates spirituales, missiones et poenitentiae praedicationes abrogavit, exemptiones monasteriorum, eorumqne nexum cum praepositis extraneis sustulit, ct plura monasteria abolevit. In Austria Maria Theresia jus asyli, incrementum monachorum et bonorum ecclesiasticorum, nec non recnrsum ad Pontificem limitavit, emissuris professionem religiosam aetatem 24 annorum praescripsit novos Episcopatus, sine Sedis Romanae concessu erexit, omnia decreta ecclesiastica placito regis subjecit. Longe plura ausus est ejns filius Josephus II. Ut cx multis aliqua saltem commemoremus, Josephus Episcopis praecepit, ut in omnibus propria auctoritate dispensarent, et a casibus Pontifici reservatis absolverent; immunitatem realem et personalem sustulit, Ecclesiae potestatem in cansis matrimonialibus abjudicavit; novum Ordinem divini cultus publici, ct in nonnullis partibus ejusdem orationes et cantus in lingua vernacula instituit; ornamenta in Ecclesiis auferri jussit; diversas processiones et sacras peregrinationes prohibuit; confraternitates spirituales abrogavit; Seminaria generalia ab Episcopis independentia erexit; quamplurima utriusque sexns monasteria sustulit; residnos monachos ad curam animarum applicuit, jurisdictioni Episcoporum subjecit, eorumque nexum cum Generalibus Ministris dissolvit; permulta circa bona ecclesiastica et Clericorum officia praescripsit. Haec et similia Pium VI commoverunt ita, ut Viennam proficisceretur ad Imperatorem a coeptis avocandum. Verum omnia ejus conamina in irritum ceciderunt (*a*).

§. 11. *Reformationes in Hetruria.*

In Hetruria Leopoldus, Josephi II frater, jns Asyli, sacram inquisitionem et confraternitates spirituales abrogavit, Bullam Coenae Domini praelegi vetuit, causas matrimoniales ct Clericorum, nec non lites de Beneficiis ad forum civile transtulit, incrementum bonornm ecclesiasticorum, peregrinationes sacras, unius diei moram excedentes cohibuit, nimiam pompam in Templorum ornamentis interdixit, multa monasteria abolevit, sublataque exemptione residuorum nexnm cum praelatis extraneis dissolvit, proventus beneficiorum simplicium animarum Curatoribus destinavit, beneficiorum candidatos ri-

(*a*) Hut. H. E. Saec. XVIII., Bercastel, Klein.

goroso examini subjecit. Rem ecclesiasticam amplius reformaturus a. 1785 quinquaginta septem articulos ad sui Ducatus Episcopos misit, ut singuli in Synodo Dioecesana desuper deliberarent, quae deliberatio praeparationis instar pro Concilio nationali foret. Hos articulos quilibet Episcopus privatim discussit, suamque sententiam scriptam magno Duci transmisit. Solus Scipio de Ricci, Episcopus Pistoriensis, Synodum dioecesanam celebravit, et septem sessionibus absolvit, qua non tantum 57 articulos approbavit, verum etiam sequentia statuit: 1. Episcopi omnia jura ad Ecclesias bene regendas necessaria a Christo acceperunt, et sibi usurpata recuperare tenentur. 2. Parochis in Synodo dioecesana idem ac Episcopo jus et votum decisivum competit. 3. Omnis casuum reservatio cessare debet. 4. Indulgentiae nonnisi poenas canonicas remittunt. 5. Excommunicatis externum solum producit effectum. 6. Certam quandam imaginem prae caeteris colere, superstitionem redolet. 7. Soli terrae Principes jus habent impedimenta matrimonii dirimentia statuendi, et in iis dispensandi. 8. Episcopi non praestent Romano Pontifici juramentum ante consecrationem. 9. Omnes Ordines Religiosi ad unam regulam, unamque vestem reducantur. 10. Quaelibet Ecclesia unicum habeat Altare, liturgia in lingua vernacula et clara voce celebrentur, unica missa dicatur, et nonnisi die Dominico labores cessent. Leopoldus a. 1787 Florentiae Synodum nationalem convocavit, ad quam tres Archiepiscopi et quatuordecim Episcopi cum suis consiliariis comparuere. Hi circa 57 articulos adeo inter se dissentientes fuerunt, ut quaedam approbarent, quaedam mutarent, alia rejicerent. Nihilominus Leopoldus reformationem continuabat. Pius VI jam indignatus omnes libros de rebus ecclesiasticis tractantes, qui Florentiae, Pistorii et Prati in lucem prodibant, prohibuit, et Episcopis a Duce nominatis institutionem canonicam denegavit. Leopoldus viceversa legatum suum Roma avocavit, nuntium apostolicum pro negotiis mere politicis retinuit, et appellationes ad Sedem Romanam vetuit. Leopoldo a. 1790 ad imperii gubernacula vocato, ejus filius Ferdinandus in Ducatu successor a reformatione abstinuit. An 1795 Pius VI, edita Bulla, quae incipit « Auctor fidei » 75 propositiones ex actis Synodi Pistoriensis extractas damnavit, quam Riccius, abdicato prius Episcopatu, opera Antonii Martini Archiepiscopi Florentini a. 1799 reverenter suscepit, a. vero 1805 Pius VII Gallia redux, cum Florentiae aliquot diebus moraretur Riccium veniam deprecantem Ecclesiae plane reconciliavit (a).

(a) Atti del Conc. Pist., Plank. H. Relig.

§. 12. *Methodus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas.*

Jam praeterita Periodo Capitulis Ecclesiarum Cathedralium jus eligendi Episcopos fuit ademptum, et per Concordata inter Ecclesiam et Statum inita terrae Principibus concessum. Itaque Princeps, sive Imperator, sive Rex ad omnes, paucis exceptis, Episcopatus in suo territorio existentes personas alioquin sibi caras, subinde in fornace politica prius purgatas nominat, et Romanus Pontifex nominatas, dummodo requisitis qualitatibus sint exornatae confirmat. Concilium Tridentinum statuit, ut electus Episcopus intra tres menses obtenta confirmatione sub poena restitutionis fructuum, consecrationem suscipiat; si vero intra sex menses non consecratur, sua Ecclesia ipso jure sit privatus. Romanus Pontifex eligitur a Cardinalibus secundum formam a Gregorio X praescriptam (*a*).

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Scriptores Latini Saeculi XVI.*

Desiderius Erasmus Rotteradamus an. 1518 scripsit methodum Theologiae (mortuus 1536).

Melchior Canus scripsit locos theologicos (mortuus 1560).

Dominicus a Soto Dominicanus posteris reliquit duos libros de natura et gratia, commentarium in 4 libros sententiarum, et 8 libros de justitia et jure, de juramento et adjuratione (mortuus 1560).

Sixtus Senensis Dominicanus, composuit Bibliothecam sanctam (mortuus 1569).

Cardinalis Cajetanus magnam bibliorum partem in linguam latinam vertit, et commentarium in totam Scripturam Sactam, excepta Apocalypsi, exaravit, in quo sensui litterali inhaesit (mortuus 1534).

Joannes Maldonatus, Jesuita Hispanus, praeter alia opera commentarios in praecipuos veteris Testamenti libros et in quatuor Evangelia scripsit (mortuus 1583).

Gabriel Vasquez, Jesuita Hispanus, 7 volumina in folio

(*a*) Conc. Trident.

commentariorum in summam S. Thomae Aquinatis conscripsit (mortuus 1604).

Franciscus Suarez, Jesuita Hispanus, elucubravit commentationes et disputationes in Summam S. Thomae, 19 volumina implentes (mortuus 1617).

Robertus Bellarminus, Jesuita Tuscus, a Clemente VIII a. 1599 Cardinalis creatus, et paulo post ad Archiepiscopatum Capuanum promotus, cui dignitati renuntiavit, composuit multa scripta ecclesiastico-historica, juridica, pastoralia, catechetica, exegetica. Maximam vero celebritatem nactae sunt « Disputationes de controversiis christianae fidei adversus hujus temporis haereticos, tribus tomis in folio Romae editae » (mortuus 1620).

Thomas Sanchez, Jesuita Hispanus, concinnavit opus morale in praecepta decalogi, duobus voluminibus in folio comprehensum. Idem grande opus de Sacramento Matrimonii exaravit (mortuus 1610).

Leonardus Lessius, Jesuita Brabantinus, philosophiae et theologiae Lovanii professor, edidit 4 libros de justitia et jure et cet. (mortuus 1623).

S. Carolus Borromaeus Cardinalis et Archiepiscopus Mediolanensis posteritati reliquit instructiones Confessariorum et Concionatorum. Eminuit prudentia pastorali, zelo animarum et sanctitate (mortuus 1584).

Petrus Canisius, Niviomagensis, praepositus provincialis Jesuitarum, mandante Ferdinando imperatore, circa annum 1560 duos cathechismos composuit, in quibus de principalioribus Religionis catholicae dogmatibus agit.

§. 2. *Scriptores latini saeculi XVII.*

Joannes Mabillon Maurinus, cui debemus acta Sanctorum, Ordinis S. Benedicti, Musaeum Italicum, opus amplissimum de re diplomatica, librum de studiis monasticis, et alia plura (mortuus 1707).

Natalis Alexander, Dominicanus, qui Parisis philosophiam et theologiam docuit, scripsit historiam ecclesiasticam V. et N. Foederis usque ad finem saeculi XVI, dissertationem de Vulgata S. Scripturae versione etc. (mortuus 1724).

Claudius Fleury, presbyter saecularis natione Gallus, scripsit 1. Opus de moribus Christianorum primaevae Ecclesiae ; 2. Historiam Juris Canonici; 3. Historiam ecclesiasticam ab Ascensione Domini usque ad Concilium Constantiense, quae prodiit an. 1690. Scripsit gallice.

Stephanus Balutius, in Academia Parisiensi Juris canonici professor, collectiones Conciliorum a Labbeo et Rosserto coeptas supplevit, et vitas Pontificum Avenioneusium descripsit (mortuus 1718).

S. Franciscus Salesius iu Arce Sales in Sabaudia uatus, Episcopus Genevensis insigni pietate et zelo praeditus, gallico sermone exaravit: 1. Philotheam; 2. Theotimum seu de amore Dei, libros XII; 3. Epistolas spirituales; 4. Veras oblectationes spirituales etc. (Mortuus 1622).

Cornelius a Lapide, Leodiensis, professione Jesuita iu universam S. Scripturam, exceptis Psalmis et Jobo commentatus est (mortuus 1637).

Dionysius Petavius, Aureliani iu Gallia uatus, Jesuita, scripsit opus dogmatico-historicum, quod nomine theologicorum dogmatum 4 tomis in folio, continetur (mortuus 1652).

Leo Allatius Graecus, ad Ecclesiam Romanam transgressus, et Bibliothecae Vaticanae custos electus edidit plura opera inter quae emiuet opus: de perpetua consensione Ecclesiae graecae cum latina (mortuus 1669).

Joannes Bona, ex Monacho Cisterciensi Cardinalis, posteritati reliquit: 1. Opus de liturgiis antiquae Ecclesiae; 2. Horologium asceticum; 3. Tractatum asceticum de sacrificio missae; 4. Manuductionem ad coelum; 5. Librum de discretione spirituum; 6. Principia et documenta vitae christianae; 7. Viam compendii ad Deum etc. (mortuus 1674).

Paulus Segneri, Jesuita, sequentia opera in lucem emisit; 1. Sermones quadragesimales et panegeres; 2. Incredulum sine excusatione; 3. Christianum instructum; 4. Manna animae etc. (mortuus 1694).

Thomas Tamburinus, Siculus, Societatis Jesu praepositus generalis scripsit; 1. Expeditas decalogi explicationes, libris 10 digestas; 2. Morales explicationes juris divini, naturalis, ecclesiastici, de Sacramentis, contractibus, censuris et irregularitate.

Ludovicus Thomassinus e Congregatione Oratorii, reliquit opus locupletissimum et eruditissimum de disciplina ecclesiastica circa beneficia et beneficiarios (mortuus 1695).

Jacobus Benignus Bossuet, Episcopus Meldensis, Divioni in Burgundia natus scripsit; 1. Plures sermones sacros et orationes funebres; 2. Historiam variationum, quas Protestantes in doctrina Religionis admiserunt; 3. Discursum de historia universali usque ad Carolum M.; 4. Notas in Psalmos, Libros Salamonis, Librum Sapientiae, et Ecclesiasticum; 5. Interpretationem Apocalypsis de Roma ethnica, Christia-

nos persequente, eamque opposuit Protestantibus, qui Apocalypsim de Roma papali interpretari solebant (mortuus 1703).

Bernardus Lamy, Presbyter Oratorii Gratianopoli edidit; 1. Apparatum ad Biblia sacra per tabulas dispositum; 2. Librum de veritate et sanctitate Ethicae Christianae; 3. Carmoniam Evangeliorum et commentarium in eamdem (mortuus 1715).

Ludovicus Elias du Pin, Doctor Sorbonicus, Parisiis philosophiae professor, praeter multa alia opera, an. 1686 dissertationes historicas de antiqua disciplina: et novam bibliothecam scriptorum ecclesiasticorum tum antiquorum, tum recentiorum publici juris fecit (mortuus 1719).

§. 3. *Scriptores Latini saeculi XVIII.*

Bernardus a Monte Falcone an. 1706 Parisiis edidit Collectionem Patrum et Scriptorum Graecorum, latine redditam, notisque et praefationibus illustratam.

Paulus Gabriel Antoine Jesuita Gallus scripsit universam theologiam speculativam, dogmaticam et moralem (mortuus 1743).

Honoratus Tournely, Doctor Sorbonicus, et Parisiis theologiae professor an. 1729 edidit in lucem 16 tomos praelectionum theologicarum (mortuus 1729).

Franciscus de Choisy historiam ecclesiasticam ex Natali Alexandro et Tillemontio potissimum haustam, et usque ad an. 1715 perductam, gallico sermone edidit Parisiis an. 1720 (mortuus 1725).

Hyacinthus Amatus Graveson, Dominicanus Avenionensis, historiam ecclesiasticam sermone latino concinnavit, quae usque ad an. 1700 pertingit, et Romae prodiit (mortuus 1730).

Joannes Antonius Bianchi Franciscanus Min. Obs. Romae 1745 contra Petrum Giannone italico idiomate edidit in lucem egregium opus in quatuor tomos divisum, cui titulus: « Della potestà e polizia della Chiesa. » Obiit an. 1758.

Josephus Augustinus Orsi, ex Dominicano Cardinalis, Romae an. 1748 historiam ecclesiasticam italice scriptam divulgare coepit, quam continuavit Philippus Recchetti ejusdem Ordinis usque ad an. 1814. Idem Orsi scripsit de infallibilitate et superioritate Pontificis supra Concilia generalia.

Josephus Pohl Jesuita, ex probatis auctoribus composuit manuductionem ad Historiam ecclesiasticam. Prodiit Viennae 1750.

Augustinus Calmet, Abbas Senonensis Ordinis S. Benedicti, gallice scripsit; 1. Historiam Vet. et Nov. Foederis ac Judaeorum; 2. Dictionarium historicum, criticum, chronolo-

gicum, geographicum, et litterale Bibliorum; 3. Dissertationes introductorias in S. Scripturam; 4. Commentarios in omnes libros V. et N. T., quos Mansi in latinum transtulit (mortuus 1757).

Joannes Laurentius Berti, Augustinianus Eremita, in universitate Pisana professor Historiae ecclesiasticae, an. 1760 typis vulgavit Breviarium Historiae ecclesiasticae, Dissertationes in quinque priora saecula, et 37 libros de disciplina ecclesiastica.

Gasparus Saccarelli, Congregationis Oratorii Romani Presbyter, Historiam ecclesiasticam per annos digestam, et variis observationibus illustratam, in lucem emisit Romae anno 1770.

S. Alphonsus de Ligorio, Neapolitanus, Episcopus S. Agathae Gothorum plura opera conscripsit et publici juris fecit, quae inter eminet Theologia moralis (mortuus 1782).

Carolus Franciscus Houbigant, Presbyter Oratorii Parisiensis, edidit in lucem Vet. Testamentum sub titulo. Biblia haebraica cum notis criticis et versione latina (mortuus 1783).

Fridericus a Jesu, Carmelitarum Discalceatorum provinciae Bavaricae praepositus, universam theologiam moralem tripartitam ex operibus Benedicti XIV composuit, nec non de ejus mandato casus conscientiae resolutos proposuit an. 1780.

Stephanus Wist an. 1782 Ingolstadii edidit; 1. Demonstrationem Religionis Christianae contra incredulos; 2. Institutiones dogmaticas.

Claudius Faber, presbyter Congregationis Oratorii, Fleurii historiam continuavit usque ad an. 1595, et sexdecim tomos implevit, qui Parisiis prodierunt an. 1740 (mortuus 1773).

Nicolaus Sylvester Bergier, Presbyter saecularis Parisiis praelo subjecit; 1. Apologiam Religionis christianae; 2. Deismum refutatum; 3. Examen Naturalismi; 4. Tractatum historico-dogmaticum de vera Religione cum refutatione errorum (mortuus 1790).

Andreas Gallandi praepositus Congregationis Oratorii Venetiis, adornavit Bibliothecam veterum Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum. (Obiit an. 1779).

Ludovicus Antonius Muratori Bibliothecarius Mutinensis, posteris reliquit: 1. Collectionem rerum italicarum; 2. Annales Italiae; 3. Dissertationes de antiquitatibus medii aevi; 4. Librum de vera pietate; 5. Librum de concionibus eloquentiae popularis; 6. Librum de moderatione ingeniorum. (Mortuus an. 1794).

Benedictus Stattler, Jesuita Bavaricus, scripsit: 1. Demonstrationem evangelicam, seu Religionis a Jesu Christo reve-

latae certitudinem demonstratam; 2. Demonstrationem catholicam; 3. Theologiam christianam theoreticam; 4. Doctrinam universae Religionis catholicae. (Mortuus an. 1797.)

§. 4. *Scriptores ecclesiastici saec. XIX.*

Sedente Pio VII Alexander Tassoni typis mandavit egregium opus italice conscriptum, et multa eruditione refertum cui titulus: Religio demonstrata et propagata.

Daniel Tobenz, Canonicus regularis Claustroneoburgensis, Theologiae in universitate Vindobonensi professor reliquit: 1. Institutiones usus et doctrinae SS. Patrum; 2. Institutiones S. Scripturae; 3. Institutiones theologiae dogmaticae; 4. Institutiones theologiae moralis, usui examinandorum pro cura animarum accomodatas. Mortuus an. 1819.

Fridericus Leopoldus Comes de Stolberg, ab an. 1807 in lucem emittere coepit Historiam Religionis Jesu Christi, quae facta enarrat V. T. et Ecclesiae christianae usque ad an. 431. Morte praeventus non potuit opus continuare; continuatur a Domino Friderico de Kerz.

Joannes Nep. Alber, theologiae in universitate Pesthinensi scripsit: 1. Institutiones Historiae ecclesiasticae; 2. Dissertationes in selecta argumenta; 3. Institutiones Hermeneuticas V. et N. T.; Archaeologiam et Introductionem. Auctor adhuc vivit.

Fr. Leopoldus Baro de Libermann, Canonicus et Theologiae professor Moguntiae, an. 1819 edidit institutiones theologicas.

Jacobus Frint, professor scientiae Religionis in universitate Vindobonensi anno 1806 in lucem emisit, Manuale scientiae Religionis.

P. Maurus Schenkel, Benedictinus Priesfingensis, theologiae professor in lyceo Anbergensi, scripsit: 1. Ethicam christianam; 2. Institutiones Juris ecclesiastici communis et territoriis Confoederationis Germanicae accomodatas; 3. Institutiones Theologiae Pastoralis.

Ambrosius Josephus Stapf anno 1832 Oeniponti edidit theologiam moralem.

Sebastianus Soldati, Episcopus Tarvisianus, an. 1834 typis commisit homilias pastorales, quae 4 volumina implent.

Augustinus de Roskovány multa opera edidit, quae inter praecipue eminent sequentia: De romano pontifice, cjusque juribus, de matrimonio in ecclesia catholica, de matrimoniis mixtis. Auctor adhuc civit.

M. D. Frayssinous, Episcopus Hermopolitanus, et Henrici Ducis Burdigallensis praeceptor, scripsit multos sermones sacros. Obiit an. 1844.

Joannes Perrone, Jesuita, Romae an. 1840 in lucem emisit suas praelectiones dogmaticas, quae 8 volumina efficiunt. Auctor vivit.

Ignatius Penka Canonicus Cracoviensis a. 1844, publici juris fecit Praelectiones ex theologia dogmatica. Auctor adhuc vivit.

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Ejus capita praecipua.*

Quae hac periodo fuerit Catholicorum doctrina eruitur potissimum ex decisionibus Concilii Tridentini, a quibus nemini recedere licet. Etenim ibi Ecclesia catholica in Spiritu S. congregata fidelibus ad credendum proposuit, doctrinam de canonicis Scripturis, de peccato originali, de justificatione, de Sacramentis in genere et in specie, de bonorum operum necessitate; anathema dixit illis, qui defenderent polygamiam nulla lege divina prohiberi, Ecclesia non habere potestatem impedimenta matrimonii impedientia et dirimentia statuendi, matrimonium virginitati et coelibatui praestare, causas matrimoniales ad forum ecclesiasticum non pertinere; definivit purgatorium existere, preces pro fidelibus defunctis esse fundendas, Sanctos esse invocandos, cultum imaginibus et reliquiis esse exhibendum, indulgentias esse utiles atque salutares; decrevit ad cognoscendam Jesu Christi doctrinam S. Scripturam non sufficere, sed necessariam quoque esse Traditionem. Ex hisce patet Concilium Tridentinum esse uberrimum fontem.

§. 2. *Controversia Bajana.*

Circa doctrinam Catholicorum, praesertim circa gratiam, vires liberi arbitrii et alias materias hisce affines, graves hac periodo inter theologos controversiae ortae sunt. Primus fuit Michael Bajus, theologiae Doctor et in universitate Lovaniensi professor, qui inde ab an. 1551 in suis operibus varios errores sparsit. Hi errores respiciebant: 1. Naturam integram; 2. Naturam corruptam; 3. Naturam reparatam. Michael Bajus docuit, gratias in statu originario non fuisse dona Dei

gratia, sed dona a conditione Angelorum et primi hominis inseparabilia; Deum in creatione primo homini debuisse concedere omnia ad finem suum assequendum necessaria; adeoque hominem suis viribus naturalibus potuisse virtutem exercere et ad aeternam beatitudinem pervenire. Per peccatum originale liberum hominis arbitrium ita eversum fuisse, ut homo in statu naturae corruptae nihil aliud possit, quam peccare; hominem gratia Dei destitutum necessario peccare, omnesque actiones illius peccata esse. In statu naturae reparatae omne opus bonum, absque ullo ad merita Jesu Christi respectu, natura sua esse meritorium, et consequenter praemio aeterno coronandum, quemadmodum omne opus malum natura sua poena aeterna dignum est; adeoque aeternam beatitudinem non esse donum Dei gratuitum, sed mercedem observantiae legis solvendam. Hisce et similibus propositionibus, quas Bajus S. Augustini esse jactabat, se opposuere S. Francisci et S. Ignatii sodales, qui effecerunt, ut theologica facultas Parisiensis eas damnaverit. Bajus apologiam scripsit, et Tridentum ad Concilium profectus est. Franciscani et Jesuitae Bajum detulerunt Romam ad S. Pium V, qui anno 1567, 79 propositiones ex Baji libris extractas in globo tanquam haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et piarum aurium offensivas damnavit, personae vero Michaelis Baji pepercit. Bullam a Pontifice editam Cardinalis Graveson Archiepiscopus Mechlinensis Lovaniensibus doctoribus praelegit. Cum autem Baji fautores assererent, Bullam a Jesuitis confictam esse, Gregorius XIII Pii V succesor an. 1579 per Franciscum Toletum declaravit, Bullam Pii V esse authenticam, cui Bajus se subjecit (a).

§. 3. *Controversia Molinistica.*

Mox alia erupit tempestas inter Jesuitas et Dominicanos occasione libri: « Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, praevidentia, praedestinatione et reprobatione, concordia, » quam anno 1588 edidit Ludovicus Molina, Jesuita Hispanus, in universitate Eboraensi theologiae professor, a quo asseclae *Molinistae* dicti sunt. In hoc libro auctor inter alia docuit, Deum ope scientiae mediae praevidere, quid homo in his vel illis circumstantiis acturus sit, gratiae suae cooperaturum ad vitam aeternam praedestinasse, secus facturum reprobasse, adeoque praedestinationem esse hypotheticam, hacque doctrina liberum hominis arbitrium minime laedi, siqui-

(a) Bergier Dict. theolog., M. Gery. Apolog. hist.

dem homo non ideo agat, quia Deus praevidet, sed Deus potius id praevideat, quod reapse acturus est. Doctrina Molinae Dominicanis adeo displicuit, ut Jesuitas Semipelagianismi, et vicissim Jesuitae Dominicanos Calvinismi arguerent. Clemens VIII certior factus utrique parti usque ad futuram decisionem silentium imposuit, et litem examinare statuit. Igitur a. 1597 Pontifex Romae Congregationes de auxiliis scilicet divinae gratiae instituit, quorum 7 sub ipso Clemente VIII, et 16 sub Paulo V celebratae fuere. Hisce a. 1607 finitis Paulus V nullum judicium tulit, sed partibus tantum litigantibus, ne mutuis in posterum se impeterent calumniis, interdixit. Franciscus Suarez, doctus Jesuita, doctrinam Molinae aliquantulum mitigaturus, statuit, Deum ope scientiae mediae explorare tempus, quod dandae gratiae congruum foret, inde *Congruistae* dicti. Benedictus XIV edito an. 1747 Brevi Augustinianis, Thomistis, et Molinistis concessit, ut cum animi moderatione suis sistematibus utantur (*a*).

§. 4. *Controversia Jansenistica.*

Huic controversiae nomen dedit Cornelius Jansenius, qui bellum, quod extinctum videbatur, resuscitavit. Natus is erat in Belgio an. 1585, et absoluto Lovanii sub disciplina Jacobi Jansonis et Jacobi Baji theologiae curriculo, non solum laurea Doctoris fuit insignitus, verum etiam sacrarum litterarum in eadem universitate cathedram obtinuit. Jacobus Janson et Jacobus Bajus, erroribus Michaelis Baji addictissimi ingenium et diligentiam Cornelii Jansenii animadvertentes, eidem impense commendarunt, ut Michaelis Baji doctrinam jam proscriptam sub alia forma in lucem protrahere studeret, quem laborem Jansenius lubentissime suscepit. Igitur opera S. Augustini, quae decies, tractatus vero de gratia plus quam trigesies se legisse fassus est, evolvere coepit, textus tum Scripturae cum aliorum Patrum ad rem suam facientes collegit, et post viginti demum annos opus terminavit, cui nomen imposuit: Augustinus Jansenii, ut indicaret esse promptuarium doctrinae S. Augustini. Anno 1635 Episcopus Iprensis in Flandria creatus, post 3 annos putridis febribus correptus fatis incessit. Morti proximus testamenti sui tabulis haec verba inseri jussit: « Ego Cornelius Dei et apostolicae Sedis gratia Episcopus Iprensis de mea libera voluntate do et dono omnia mea scripta ad expositionem S. Augustini spectantia capellano

(*a*) Hyacinthus Serry hist. Congreg. de auxil. Livinius Mayer hist. Congreg. de auxil., Schmalfus H. E.

meo Reginaldo Lamajo...., ut eum doctissimis viris magnifico Liberato Frimondo, et R. Domino Henrico Galleno Canonico Mechlinensi conferat et disponat de editione quam fidelissime; sentio enim difficulter aliquid mutari posse; si tamen Rom. Sedes aliquid mutare velit, sum obediens filius et illius Ecclesiae, in qua semper vixi usque ad hunc lectum mortis obediens sum. » Mortuo Jansenio editus est ejus Augustinus Lovanii 1640, et Rothomagi 1641. Utut hoc opus lucem aspexit, ejus suppressionem urgere coeperunt potissimum Jesuitae contendentes, in eo doctrinam Michaelis Baji jam damnatam contineri, reque ad Sedem apostolicam delata, ab Urbano VIII an. 1642 Bullam obtinuerunt, qua Pontifex Augustinum Jansenii ceu librum erroribus Baji refertum proscripsit, inde gravis orta est contentio tum in Belgio, tum in Gallia, ubi praeter Episcopos quosdam, scriptores Portus Regii defendebant in Augustino Jansenii doctrinam S. Augustini condemnatam fuisse. Utraque pars contendens suos delegatos Romam misit, ubi integro biennio in doctrinam Jansenii inquisitum est et 50 Congregationes celebratae sunt. Interea temporis Nicolaus Cornel syndicus universitatis Parisiensis ex Augustino Jansenii 7 propositiones extraxit, et Universitati porrexit, ut eas censura perstringeret; ast eum doctores essent dissentientes, eas ad Pontificem Innocentium X misit, qui edita anno 1653 Bulla sequentes quinque propositiones damnavit: 1. Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua fiant possibilia. 2. Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. 3. Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione (immunis). 4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem et in hoc erant haeretici, quod vellent eam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. 5. Semipelagianorum error est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem suum fudisse. Prima fuit damnata velut temeraria et haeretica, secunda et tertia ceu haereticae; quarta ut falsa et erronea; quinta ut scandalosa. Pontifex simul addidit, damnando 5 propositiones in specie, non approbare reliquas, quae in libro continentur. Duae autem propositiones non fuerunt condemnatae, et quidem: 1. Sensit olim Ecclesia, poenitentiam privatam pro peccatis occultis non sufficere; 2. Naturalis attritio sufficit ad Sacramentum poenitentiae.

Jansenii fautores in Gallia, praesertim Antonius Arnaldus, Blasius Paschalis, et Petrus Nicolius, ut telum propulsarent,

celebrem distinctionem inter quaestionem juris et quaestionem facti opposuere, ajentes, 5 propositiones seorsim consideratas, sicut nunc proponuntur, esse omnino damnabiles, et ita ab Innocentio X damnatas fuisse, adeoque Pontificem in quaestione juris non errasse; ast illas in libro Jansenii non contineri eo in sensu, in quo damnatae sunt, proin Pontificem in quaestione facti in errorem incidisse. Hoc effugium praeclusit Alexander VII Innocentii successor, qui ab Episcopis Galliae rogatus, edita a. 1656 Constitutione declaravit propositiones illas in Libro Jansenii in sensu damnato contineri. Episcopi Galliae a. 1657 formulam fidei condiderunt, ab omnibus subscribendam, qua contestari debebant, se Constitutionem pontificiam sincere acceptare; verum Jansenistae subscribere recusarunt, asserentes, Ecclesiae potestatem non esse fideles adigendi ad credendum in quaestionibus facti. Tunc Ludovicus XIV Alexandrum VII rogavit, ut ipse formulam quandam conderet, et Clero Gallicano subscribendam proponeret. Annuit Pontifex, et an. 1665 formulam in Galliam misit, praecipiens, ut utriusque sexus personae ecclesiasticae subscriberent, et quae antea edixerat, vera esse faterentur. At Jansenistae reposuerunt, Pontificem in quaestionibus facti non esse infallibilem. Cum Ludovicus rex formulae subscriptionem absolute urgeret, alii ad subscribendum se paratos esse dicebant, non vero illi judicio, quo propositiones in libro Jansenii contentae dicebantur, alii subscripserunt cum religioso silentio, id est, promittebant se illam formulam impugnaturos non esse. Sed frustra his aliisque mediis effugere conabantur; qui enim formulae simpliciter subscribere recusabant, jussu Regis carcere, exilio, aliisque poenis affecti sunt. Ad angustias redacti Jansenistae, quibus 19 Episcopi se adjunxerunt, auctore Henrico Episcopo Senonensi litteras ad Clementem IX dedere, quibus contestabantur, se quoad dogma ore et corde subscribere, et nonnisi quoad factum cum religioso silentio. Hisce litteris fascinatus Clemens eis pacem concessit, quae pax Clementina dicta fuit. Tum Episcopi e custodia dimissi, exules revocati sunt. Verum haec pax diuturna non fuit. Ludovicus XIV a. 1679 iterum sub poenarum comminatione simplicem formulae subscriptionem exegit; quare alii in Belgium se contulerunt, alii casum conscientiae proposuerunt, alii scriptis libellis defendere pergebant, praefatae formulae licite subscribi posse ab iis, qui interius non credunt in libro Jansenii doctrinam haereticam contineri. Denique Clemens XI, edita 1705 Bulla, quae incipit: « Vineam Domini Sabaoth » declaravit, damnatum in 5 propositionibus Jansenii sensum non ore solum, sed et corde ab omnibus Christi fidelibus rejici ac damnari

debere. Hanc Constitutionem Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus eodem anno celebratis recepit, Ludovicus vero Rex Galliae Claustrum monialium Ordinis Cisterciensis Portus Regii, dirui jussit, atque ita Jansenistarum numerus, non sublatus, sed diminutus fuit (a).

§. 5. *Controversia Quesnelliana.*

Novis litibus occasionem praebuit Paschasius Quesnellus congregationis Oratorii Presbyter, praecipuus causae Jansenisticae patronus, Parisiis an. 1634 natus, qui cum formulam erroribus Jansenii oppositam subscribere recusasset, in Belgium fugit, ubi cum calamo et ore doctrinam Jansenii defenderet, jussu Hispaniae Regis custodiae mancipatus est, qua feliciter elapsus Amsterodamum in Hollandia se contulit, ibique anno 1719 debitum naturae persolvit. Paschasius sub finem saeculi XVII opus gallica lingua conscriptum in lucem emisit sub titulo : Reflexiones Morales in Novum Testamentum: quod a viris quibusdam, ceterum praestantissimis, in primis a Ludovico Noaillio Cardinali et Archiepiscopo Parisiensi magno applausu acceptum et commendatum fuit ; ast erant et multi alii qui assertiones in opera Quesnelli Jansenismo affines, et ad circumveniendos simplices aptissimas deprehendentes, Pontificem ea de re monendum duxerunt. Itaque Clemens XI anno 1708 Bulla, quae incipit : « Universi Dominici gregis » edita, reflexiones Quesnelli tanqnam scandalosas, temerarias, periculosas, erroneas, et jam pridem in Bajo et Jansenio damnatas confixit, addiditque opus illud speciem quidem pietatis praeseferre, reipsa autem pietatem funditus evertere. Huic Bullae convenienter duo Episcopi Rupellensis et Lucionensis litteras pastorales typis vulgarunt, quibus librum Quesnelli proscripserunt. Ant. Ludovicus Noaillius ira incensus illarum litterarum lectionem suis prohibuit. Hinc ortae sunt duae factiones, qnae cum mutuis se impeterent injuriis, Ludovicus XIV rex, cujus aures factio Quesnello addicta lamentis implebat, a Sede Romana doctrinam piam damnatam fuisse, a Pontifice postulavit, ut malas propositiones ex libro Quesnelli extraheret, et speciali censura notaret. Regis postulato satisfacturus Clemens XI 8 Septembris 1713 celebrem Constitutionem « Unigenitus » in Galliam misit, qua 101 Quesnelli propositiones damnavit.

(a) Nicol. Fontaine memoire pour servir à l'histoire du Port Royal Cologne 1783, Gerberon hist. Jansenismi, et Reflex in ord. Archiepiscopi Paris.

§. 6. *Lites inde exortae.*

Ludovicus XIV eodem anno Parisiis conventum 40 Episcoporum celebravit, et ab illis exegit, ut Bullam Pontificis acceptarent, ac in suis dioecesibus promulgarent. Id plerique praestiterunt, sed Noaillius cum 7 aliis Episcopis opposuit, propositiones damnatas etiam bonum sensum habere posse, seque Bullam non acceptare, nisi sub quibusdam modificationibus, cujus exemplum multi alii utriusque Ordinis imitati sunt. Huic universum Galliae regnum in *Constitutionistas* et *Anticonstitutionistas* divisum fuit. Turbis inde ortis finem facturus Rex a Teilliero confessario suo motus inconditionatam Bullae receptionem tam a Senatu, quam a Sorbona exegit. Senatus paruit, et eam inter publicas leges retulit; ast ex doctoribus Sorbonicis 28 eam acceptare detrectarunt, qui fuerunt partim e sacra facultate ejecti, partim Parisiis amoti. Cum Noaillius eique adhaerentes ad id permoveri non possent, Ludovicus decretum, simplicem Bullae receptionem praecipiens, jam paratum habuit; sed morte praeventus consilium suum exequi non potuit. Eo ex hac vita sublato et Philippo Aurelianensi nomine regis minorennis Ludovici XV ad gubernandum Galliae regnum admoto, anticonstitutionistis liberior fuit rebus suis consulendis facultas. Nunc relegati Parisios redierunt, Sorbona suam acceptationem revocavit, et omnes Quesnelli fautores suam mentem aperuerunt; imo appellarunt ad Concilium Generale inde *Appellantes* dicti. Pontifex Clemens XI an. 1718 etiam Bullam, quae incipit « Pastoralis officii » edidit, qua omnes sine dignitatis discrimine Anticonstitutionistas excommunicavit. Tandem Noaillius Benedicti XIII olim amici sui, qui Innocentio XIII in Pontificatu successerat, Cardinalis Fleury et Regis repetitis exhortationibus flexus nec non accedentibus senii debilitatibus a. 1728 Bullam Unigenitus absque ulla conditione recepit, cujus exemplo plures ad bonam frugem reducti fuere. Rex Ludovicus XV consilia subgerente Cardinali Fleury ursit, ut Senatus decretum, quo Bullae Unigenitus simplex receptio jubebatur, inter leges publicas referret, quod etiam a. 1730 factum. Ab hoc tempore Appellantium plures in Belgium et Bataviam se receperunt *(a)*.

§. 7. *Appellantium fraudes.*

Interim e vita decesserunt nonnulli Appellantes, et inter hos Franciscus Parisiensis diaconus, qui jejuniis, corporis castigationibus, aliisque poenitentiae operibus mortem sibi ac-

(*a*) Christoph. Matth. Pfaff. Act. pub. Const. Unig. Fontaine.

celeravit, et apud quosdam sanctitatis famam consequutus est. Cum Luthetiae fama percrebesceret, hujus defuncti, qui ad extremum usque halitum Bullam Unigenitus repudiaverat intercessione, miracula impetrari, Appellantes inferebant Bullam Unigenitus ab ipso Deo condemnari. Fervente de miraculis illis disputatione, nova fanaticorum hominum turba prodiit quae a corporum agitationibus convulsionistarum nomen sortita est. Illi fanatici ad sepulchrum Francisci prostrati agitabantur, et domum reduces praedicabant, se a convulsionibus sanatos fuisse. Haec sanandi ratio initium habuit a. 1731, et concursus ad tumulum Francisci de die in diem magis augebatur. Rex quidem aditum ad sepulchrum intercludi curavit; attamen non potuit impedire, quominus homines illuc confluerent, et plane terram e tumulo surreptam domum deferrent. De causis et natura horum miraculorum sententiae sat diversae erant. Quesnellianistae vera miracula esse jactabant, alii a diabolo repetebant, alii ex causis naturalibus partim physicis derivabant, alii demum fraudibus et praestigiis adscribebant. Qui duos posteriores fontes junxerunt, veritati proximius accessisse videntur. Anno 1732 Carolus Ventimilius Archiepiscopus Parisiensis epistolam pastoralem ad Clerum dedit, qua Jansenistas tanquam fraudum mox memoratarum auctores vehementer insecutus est. Senatus, in cujus gremio Jansenistae patronos habebant, sub praetextu pacis servandae illam epistolam suppressam voluit; quare Ludovicus XV ex Senatoribus alios custodiae tradidit, alios relegavit, jurisdictionem in rebus ecclesiasticis Senatui ademit, imo totum parlamentum refractarium sustulit. Cum vero regni Proceres tumultuarentur, rex ad evitanda majora mala, eos muneribus suis restituit. Sed litibus finis non fuit impositus. Anno 1752 Christophorus de Beaumont Caroli Ventimilii successor Sacerdotibus praecepit, ut nemini Sacramenta administrarent, nisi schedulam confessionis Sacerdoti factae producat, hujuscemodi schedulam autem nemini darent, nisi qui Bullam Unigenitus se amplecti declarasset. Parlamentum e contra jussit omnibus Sacramenta administrare; quamobrem Rex secunda vice illud dissolvit, et anno sequenti restituit. Cum Archiepiscopus anno 1755 aliam pastoralem instructionem edidisset, Rex ab eo petiit, ut ad pacem regno conciliandam sibi temperaret. Praelatus respondit, Deo magis, quam hominibus obediendum esse; quamobrem Rex in iram actus eum exilio mulctavit. Eodem anno generalis Cleri conventus quaestionem examinavit, et cum Episcopi bifariam essent divisi, annuente Rege ad Sedem Apostolicam detulit. Benedictus XIV an. 1756, datis ad Episcopos Galliae litteris declaravit, nonnisi publicis et notoriis

Bullae Unigenitus refractariis Sacramenta esse deneganda. Rex iterum obedientiam erga Bullam inculcavit, et Senatum adegit, ut litteras Pontificis inter regesta referret. Posthac lites quidem de hac materia cessarunt, sed Jansenismus non fuit eradicatus (*a*).

§. 8. *Schisma Ultrajectense.*

Jansenismus in Belgio foederato Schismati Ultrajectensi ansam dedit. Cum Petrus Coddaeus, Episcopus Sebastenus, Sedis Apostolicae per Belgium Vicarius, ad Jansenistarum partes descivisset, et propterea a. 1704 a Pontifice depositus fuisset, Capitulum Canonicorum Ultrajectensium, janseniano luto infectum, eum tanquam suum Episcopum venerari coepit, et eo anno 1720 mortuo Cornelium Steenovem, Vicarium Generalem, Archiepiscopum Ultrajectensem elegit, quem, frustra impetrata a Sede Apostolica confirmatione, Dominicus Varleto Episcopus Babylonensis, ob renitentiam contra Bullam Unigenitus excommunicatus et profugus, consecravit. Ejus in Archiepiscopatu successor Meindartus antiquos Episcopatus Harlemensem et Daventriensem resuscitavit, ut semper unus adesset Episcopus qui alios ordinaret. Clarus Ultrajectensis omnia ista acta Romam pro confirmatione misit; verum pro confirmatione excommunicationem retulit. Benedictus XIV an. 1748 per Nicolinum Presbyterum frustra tentavit eos ad bonam frugem reducere. Pius VII an 1814 Archiepiscopum Van Ofs una cum Daventriensi excommunicavit (*b*).

§. 9. *Fata Bullae Unigenitus in terris Austriacis.*

In reliquis orbis Catholici partibus Bulla Unigenitus absque tergiversatione recepta est, ita tamen, ut in terris Austriacis Principum prudentia cautum fuerit, ne contentiones inde orirentur. Ita Carolus VI an. 1723 edictum publicavit, quo utrique de illius auctoritate litigantium parti in Belgio Austriaco silentium indixit. Patris vestigiis institit Maria Theresia, quae Episcopo Andegavensi mandavit, et epistolam pastoralem, qua in Bullae refractarios acriter invehebatur, revocaret, ne lites jam mortuae reviviscerent. Ejus filius Josephus II an. 1782 permisit, ut professores Theologiae argumentum Bullae suis discipulis explicarent. Pius VI in litteris ad praesulem Brixiensem declaravit, Bullam Unigenitus esse dogmaticum ac irre-

(*a*) Walch hist. Relig. Saec. XVIII. Laffittau de la Constitution Unigenitus Racueil des miracles operés sur le tombeau de Paris et cet. (*b*) Hoynk da Papebrecht hist. Eccl. Ultrajectum Ratsolit Fab. 1825.

formabile S. Sedis Apostolicae judicium, cui omnes obedientiam praestare tenentur (a).

§. 10. *Controversia Quietistica.*

Veterum mysticorum errores recoxit Michael Molinos Presbyter Caesaraugustae in Hispania, natus a. 1627, qui Romae sua fucata pietate tantam sanctitatis famam sibi comparavit, ut mox multi utriusque sexus homines ejus directioni se traderent. Romae a. 1675 librum edidit, cui titulus: Manuductio ad vitam spiritualem: qui in varias linguas translatus fuit. Tota doctrina erronea in hoc libro contenta ad sequentia tria capita reduci potest: 1. contemplatio perfecta est hominis status, in quo anima passive ad Deum se habet; 2. anima in hoc statu existens nil agit, nil desiderat, nil timet; 3. ita sit indifferens erga omnia, ut in sancta quiete Dei operationi commissa vivit. Ex hac quiete, ad quam cuilibet enitendum esse docebat, Molinosii asseclae *Quietistae* vocati sunt. Innocentius XI R. P. a. 1687, edita Bulla, 68 propositiones ex illo libro extractas damnavit, librum flammis et auctorem custodiae tradi jussit, in qua a. 1689 obiit.

Eodem tempore nobilis vidua Joanna Maria Bouviers de de la Motte Guyon a Francisco Lacombe Barnabita Genuensi confessario suo, cujus liber, « analysis orationis mentalis » damnatus fuit, ad Quietismum perducta est, et in Galliam reversa, Parisiis non solum ore errores Molinosii spargere studuit, verum etiam duos libros composuit, quorum unus in fronte titulum gerebat: *Medium breve*, alter vero: *Torrentes*: quamobrem opera Harlay, Archiepiscopi Parisiensis, Lacombe carceri fuit emancipatus, illa autem ad monasterium relegata, unde paulo post per intercessionem Comitissae de Maintenon egressa institutiones suas continuavit, et ipsum Franciscum Salignac de la Motte Fenelon tum nepotum regiorum poedagogum sibi adeo conciliavit, ut eidem aditum ad sua pietatis exercitia concederet. Cum nonnulli Praelati contra hanc foeminam commoverentur, Fenelon eidem suasit, ut doctrinam suam Bossueti judicio submitteret, qui multas sententias reprobavit, et a Fenelonio, ut idem faceret, postulavit. Fenelon a. 1695 Archiepiscopus Cameracensis electus multa colloquia de hac re habuit cum Bossueto, Cardinali Noaillio Archiepiscopo Parisiensi, aliisque, ac tandem 1697 publici juris fecit opus inscriptum: Placita Sanctorum: in quo errores Guyoniae justificare visus est. Ortis illum inter et Bossuetum litibus,

(a) Acta hist. eccl. vol. 8. p. 94., Walch hist. Rel. t. 6. p. 85. et cet.

Ludovicus XIV ab Innocentio XII R. P. petiit, ut circa Fenelonis opus mentem suam aperiret. Pontifex praemisso maturo examine, 12 Martii 1699 viginti tres propositiones ex libro Fenelonis extractas ceu scandalosas, noxias et erroneas damnavit. Fenelon tantae fuit humilitatis, ut non solum e suggestu ipse Decretum pontificiae damnationis in Ecclesia praelegeret, verum etiam datis ad Clerum suum litteris omnes exhortaretur, ut illud susciperent et sequerentur. Paulo post etiam Guyonnia suae novae doctrinae nuntium misit, et ita lites in Gallia expirarunt *(a)*.

§. 11. *Controversia Casuistarum, Probabilistarum et Probabilioristarum.*

Casuistae vocabantur illi Theologi, qui doctrinam moralem suis auditoribus per casus proponebant. Horum alii fraena laxabant, *Laxistae* propterea dicti, alii vero rigorismum invehebant, et Rigoristarum nomen sortiti sunt. Perplures utriusque partis litigantis propositiones ab Academiis Parisiensi, et Lovaniensi, Alexandro VII, Innocentio IX, et Alexandro VIII RR. PP. proscriptae fuerunt.

Saeculo XVII Bartholomaeus Medine, Jesuita, proposuit quaestionem: « an in concursu duarum propositionum pro bonitate actionis, quarum una probabilior et magis tuta, altera minus probabilis et minus tuta sit, liceat hanc sequi, relicta priori. » Jesuitae affirmabant, Dominicani, Augustiniani et Franciscani negabant. Qui secundam tuebantur sententiam *Probabilistae*, qui primam *Probabilioristae* dicti sunt. Conventus Cleri Gallicani a. 1700 celebratus doctrinam Probabilistarum damnavit *(b)*.

§. 12. *Controversia Hermesianorum.*

Auctor hujus controversiae fuit Georgius Hermes, Theologiae et Philosophiae doctor, ac theologiae dogmaticae professor primum Monasterii, dein in Rhenana Friderico-Guilielmiana academia Bonensi, nec non Capitularis Canonicus Ecclesiae Coloniensis, a quo asseclae *Hermesiani* nominati sunt. Is a recto, quem universa Traditio et SS. Patres in proponendis ac vindicandis fidei veritatibus tramite stravere, deflectens, quin imo superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam molitus est in *dubio positivo*

(a) Walch Biblioth. theolog. T. II., Bergier Dict., theol. Bossuet explicat. des maximes de Saints, Toussaint Hist. (b) Hist. Flov. Antoine Mor.

tanquam basi omnis theologicae inqnisitionis, et in principio quod statuit, *rationem*, principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem, et in suis operibus (1819 et 1829) editis plura contexuit absurda et a doctrina catholicae Ecclesiae aliena; praesertim circa naturam fidei, et credendorum regulam: circa S. Scripturam, Traditionem, revelationem, Ecclesiae magisterium, motiva credibilitatis, argumenta, quibus existentia Dei adstrui confirmarique consuevit: circa Dei proprietates et opera, quae a theologis vocantur *a dextra*: nec non circa gratiae necessitatem, ejusdemque ac donorum distributionem, retributionem praemiorum, et poenarum inflictionem, Protoparentum statum, peccatum originale, ac hominis lapsi vires. Cum hisce erroribus in Germania aliqui adhaererent, alii contra eos insurgerent, gravis orta est contentio, qua ad Sedem Apostolicam delata, Gregorius XVI 17 Septembris an. 1835, edita Bulla, libros Hermesii tanquam continentes doctrinas et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, in catholicas scholas injuriosas, fidei divinae eversivas, haeresim sapientes ac alias ab Ecclesia damnatas, prohibuit et proscripsit. Nonnulli Hermesiani, inter quos quidem Braun, et Helvenie Romam profecti sunt, ut Hermesium jam mortuum coram Pontifice defenderent; at causa cecidere (*a*).

§. 13. *Methodus tradendi Theologiam.*

Ex dictis patet, Theologiae tradendi rationem hinc inde multiplici labe infectam fuisse. Perplures cordati viri adlaborarunt, ut Theologia in aliam formam redigeretur et hos inter laude dignus est Dionysius Petavius, qui saec. XVII meliorem eam docendi rationem iniit. Ejus exemplo excitati Theologi rectius sapere didicerunt et omissis scholasticorum subtilitatibus et cavillationibus meliori quam antea, metodo in scholis tradiderunt dogmaticam, polemicam, moralem, regulas interpretandi sacram Scripturam, aliasque materias theologicas. Studium quoque linguarum orientalium magis fuit excultum, et quam maxime Theologiae candidatis commendatum. Sistema studiorum, quod in terris austriacis adhucdum viget, jam tempore Mariae Theresiae invaluit (*b*).

(*a*) Annali delle scienze religiose (*b*) Nicol. Will. Dissert. historico-theologica de vicissitudine theologiae etc.

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Lutherus.*

Ex tot haeresibus, quae per 15 saeculorum decursum Ecclesiam catholicam afflixerunt, nulla tam rapidos fecit progressus, tam funestos produxit effectus, quam haeresis Martini Lutheri, a quo sectatores *Lutherani* dicti sunt. Natus est Martinus Lutherus Islebiae in Thuringia anno 1483 et studuit Magdeburgi, Isenaci, et Erfurti, in qua ultima urbe, inde ab an. 1505 Philosophiam professus est. Postquam subitanea mors unum ex suis amicis eripuit, Lutherus Erfurti Ordini Eremitarum S. Augustini nomen dedit (1505), et an. 1507 Presbyter ordinatus est. Anno 1508 Fridericus Saxoniae Dux et Academiae Vittembergensis fundator, Lutherum Erfurto Vittembergam vocavit, eique munus docendi philosophiam imposuit. In hac Universitate an. 1512 laurea Doctoris Theologiae decoratus, paulo post cathedram theologiae obtinuit. Mortuus est Islebiae a. 1546. Leo X R. P., reaedificationem Basilicae S. Petri a Julio II coeptam, perfecturus, an. 1516 Indulgentias per totum orbem Christianum promulgavit, ab iis lucrandas, qui confessi et communicati ad sumptus tegendos stipem conferrent, et negotium viros idoneos ad eas in Germania praedicandas seligendi Alberto Maguntiae ac Magdeburgi Archiepiscopo commisit. Albertus provinciam hanc demandavit Dominicanis, eisque Joannem Tetzel Ordinis Monachum et haereticae pravitatis inquisitorem praeposuit. Horum concionibus vehementer se opposuit Martinus Lutherus, et an. 1517 pridie festi omnium Sanctorum 95 theses circa indulgentias publicavit. Contra Lutheri theses calamum strinxerunt Joannes Tetzel, Joannes Ekius professor Ingolstadiensis, Sylvester Prierias, ex Ordine Praedicatorum, sacri palatii magister, et Jacobus Hogstratenus pariter Dominicanus, quorum scriptis provocatus Lutherus jam non de indulgentiis tantum dimicavit, sed etiam alia dogmata aggressus est. Inde multorum animi ita commoti sunt, ut ipse Imperator Maximilianus I Leonem X de turbis in Germania exortis certiorem redderet. Pontifex anno 2518 Lutherum Romam vocavit, eorum, quae egerat rationem redditurum; at interveniente Friderico Saxoniae Electore obtinuit, ut Augustae Vindelicorum coram Thoma Cajetano Archiepiscopo Panormitano et Cardinali, Sedis Apostolicae tunc in Germania legato, causam suam diceret. Cajetano retractationem exigente, Lutherus a Papa male informato ad

melius informandum appellavit, et Augusta Vindelicorum clam discessit. Tum Cardinalis a Friderico Electore postulavit, ut vel Lutherum Romam mitteret, vel exilio mulctaret. Utrumque negavit Fridericus praetendens Lutherum haeresis nondum convictum esse, et Universitatem eo carere haud posse. Leo X certior factus, edita anno 1518 Bulla, virtutem indulgentiarum exposuit, potestatem earum concedendarum a Christo esse asseruit, et sub poena excommunicationis omnes fideles de indulgentiis ita credere jussit. Ast Lutherus a Pontifice ad Concilium generale provocavit. Pontifex animadvertens, Fridericum Luthero patrocinari, Carolum de Militz nobilem Saxonicum cubicularium suum in Saxoniam misit, ut motus ortos pacifice componeret; verum a Luthero hoc solum obtinuit, ut blandas litteras ad Pontificem daret. Anno 1519 Lipsiae coram Georgio Saxoniae Duce, inter Joannem Ekium, Lutherum et Andream Bodenstein Canonicum et Archidiaconum Vittembergensem Lutheri asseclam, solemnis habita est disputatio in qua uterque Novator liberum hominis arbitrium, Primatum R. Pontificis, traditionis auctoritatem, Ecclesiae infallibilitatem, bonorum operum necessitatem, varios articulos ad poenitentiam et indulgentias spectantes negavit, Purgatorium ex sacra Scriptura probari non posse asseruit, epistolam S. Jacobi et libros Machabaeorum a sacro canone expunxit (a).

§. 2. *Lutherus a Pontifice excommunicatur.*

Cum Hofmanus Academiae Lipsiensis Rector, neutri disputantium parti palmam addicere vellet, Joannes Ekius indignatus Romam profectus est, et Leoni X rerum statum exposuit, qui anno 1520, 41 articulos ex libris Lutheri extractos damnavit, ejus scripta flammis devovit, et ipsi Luthero 60 dierum terminum ad resipiscendum praestitit, nisi vellet excommunicationem incurrere. Verum Lutherus librum edidit « De captivitate Babylonica, » in quo multa convitia in Papam, Indulgentias, Missae sacrificium, opera supererogatoria, vota monastica, Sacramenta Confirmationis, extremae Unctionis et Matrimonii evomuit, nec non Corpus Juris Canonici, quod tum simul lex imperii erat, una cum Bulla Pontificis 20 Decembris 1520 in foro Vittembergae combussit. Post temerarium hoc factum Pontifex anno 1521 aliam edidit Bullam, qua Lutherum cum asseclis et protectoribus excommunica-

(a) Paradox. Luther., Joan Bochlaéus Comment. de act. et script. Luth. Raynaldus ad. an. 1518 Alzog.

vit, loco vero, in quibus commoraturi essent, interdicto subjecit (a).

§. 3. *Decreto Vormatiensi proscribitur.*

Cum Leo X a Carolo V, qui Maximiliano I in imperio successerat, per suum legatum postularet, ut sententia excommunicationis in Lutherum lata ubique executioni daretur, Imperator an. 1521 Vormatiae Comitia celebravit, quo Lutherus quoque fuit vocatus, indulto ei 21 dierum salvo conductu. Lutherus ab imperatore adactus, ut palinodiam caneret, respondit se retractare non posse; quam ob rem imperator, emisso in lucem decreto, Lutherum cum omnibus suis asseclis solemniter proscripsit, et declaravit, elapso salvi conductus termino, sub poena criminis laesae majestatis nemini licere Lutherum hospitio recipere, imo unumquemque obligari ad eum comprehendendum et imperatori tradendum. Ex hoc discrimine salvus evasit patrocinio Friderici Electoris, qui Lutherum Vittembergam redeuntem ab equitibus suis intercipi, et in arcem Wartburg haud procul Isenaco abduci jussit, ubi delituit ita ut neque ejus adversarii, neque ejus amici quidquam compertum haberent. Wartburg Lutherus suam Patmon vocabat, in qua consiliis de futura Religionis reformatione induxit. Post 10 menses, inscio Electore, Vittembergam reversus est, ut motus reprimeret, quos Carolostadius (Andreas Badestein a loco natali in Franconia Carolostadius dictus est) excitaverat. Is nimirum Missam abolevit, praesentiam Jesu Christi in Eucharistia negavit, communionem sub utraque specie introduxit, cum aliis fanaticis Ecclesias ingressus altaria et imagines destruxit, in Clericos sibi contrarios impetum fecit, et uxorem duxit, cujus exemplum perplures ex Clero imitati sunt. Lutherus Carolostadio omnia vitio vertit, non quia fecit, sed quia se inscio facta fuerant; sibi enim soli jus reformandi Religionem vindicabat. Eodem anno Lutherus germanicam Librorum Sacrorum versionem et alios libros in lucem emittere coepit, in quibus se Ecclesiasten, Prophetam, Apostolum, Dei legatum nominabat. Pontificem vero canem furiosum, lupum voracem et Antichristum, Romam Babylonem, Aulam Pontificis Synagogam vocabat. Luthero adhaesit Philippus Schrverzerd (graece Melanchthon), in universitate Vittembergensi linguae et litteraturae graecae professor, qui typis

(a) Christ. Frid. Boarner Diss. de colloc. Aug. Luth. cum Cajet. Val. Ernest. Loasber. T. II et III Frideric. Mayer.

vulgavit compendium doctrinae Lutheranae sub titulo : Loci communes rerum theologicarum (*a*).

§. 4. *Comitia Norimbergensia.*

Leoni X sub finem anni 1521 mortuo successit Hadrianus VI Ultrajectinus, olim Caroli V praeceptor. Is ad Comitia Norimbergensia an. 1522 celebrata Franciscum Cheregatum misit, per quem etsi decreti Vormatiensis executionem ursit, tamen abusus non dissimulavit, seque ad illos tollendos omnem operam daturum spopondit. Hic animi candor ansam dedit Principibus Germaniae, ut 100 gravamina adversus Sedem Romanam, totamque ordinem ecclesiasticum, Romam mitterent, conciliumque liberum in Germania celebrandum postularent. Hadriani successor Clemens VII ad nova Comitia pariter Norimberga an. 1523 habita alium legatum misit, ut poenae Vormatiae in Lutherum statutae exequerentur. Verum Principes, qui jam Lutheri placitis favebant, sicut in prioribus Comitiis, sub praetextu seditionem evitandi, decreti Vormatiensis executionem denegarunt, et a Clemente petierunt, ut liberum in Germania Concilium convocaret. Legatus Romani Pontificis hoc solum effecit, ut Ferdinandus, Dux Austriae, Imperatoris frater, Dux Bavariae, Georgius Dux Saxoniae, et plures Episcopi commune consilium de Decreto Vormatiensi suis in terris exequendo, et de Religione Catholica integra servanda caperent (*b*).

§. 5. *Bellum rusticorum, et dissidia inter Novatores de Eucharistia.*

Post Comitia Norimbergensia novationibus religiosis quaepiam infausta evenerunt. Cum nimirum Lutherus in libro « de libertate christiana, » libertatem a statutis humanis, a tyrannide Pontificis et universi Cleri praedicaret, anno 1524 ingens hominum seditiosorum, maxime rusticorum copia coaluit, qui libertatem etiam civilem intelligentes, jugum obedientiae excusserunt, totamque Germaniam igne et ferro vastarunt. Ab initio solum dominia petebant, eisque solita tributa solvere recusabant; at postquam Pfaiterus ex Ordine Praemonstratensium apostata, et Thomas Munzer novationum religiosarum praedicator eis se adjunxerunt, hoc bellum, po-

(*a*) Surius, Chron., Simeon Fontaine, Hist. cath., Cochlaeus, Vitae haeres, Luth. et Melanch. (*b*) Jacob. Trid. Georgi, gravamina contra Sed. Rom. l. 2., Joan. Joach. Miller, Loescher etc.

tissimum in Thuringia et Saxonia ex civili religiosum evasit. Principes ut publicae huic calamitati finem imponerent, collectis undique copiis, magnum rebellium numerum (100,000 caesa dicuntur) in variis proeliis occiderunt, superstites dissiparunt, Pfaiferum et Thomam Munzer decollarunt. Eodem anno 1524 ortum est inter Novatores dissidium de Eucharistia. Lutherus rejecit quidem transubstantiationem panis et vini, realem tamen Jesu Christi praesentiam in assumptione admisit; sed Carolostadius, Zuinglius, Aecolampadius aliique docuerunt, panem et vinum in sacra Coena solum figuram corporis et sanguinis Christi esse. Utrumque bellum novationes religiosas parum commendavit (a).

§. 6. *Diffusio Lutheranismi. Comitia Spirentia et Augustana.*

Bellum et dissidia non impediverunt, quominus pseudoreformatio diffunderetur. Mortuo an. 1525 Friderico Saxoniae Electore, qui quamquam Lutheri fautor fuerit, Religionem tamen catholicam non eliminavit, successit ejus frater Joannes novationum religiosarum fervidus sectator. Tum Martinus Lutherus Catharinam de Born monialem Cisterciensem uxorem duxit, novumque Electorem permovit, ut Catholicos Sacerdotes suis officiis et beneficiis privaret, eorumque in locum Lutheranos institueret, lithurgiam a se et Melanctone compositam inveheret, ac libros novitates religiosas continentes praescriberet. Ita sensim et sensim res ecclesiastica in Saxonia ad mentem Lutheri ordinata est. In Borussiam Lutheranismum introduxit Albertus e familia Marchionum Brandeburgicorum in Franconia oriundus, supremus Ordinis Teutonici Magister, qui Borussiam orientalem ceu Ducatum saecularem cum jure haereditario a Polonis obtinuit. Is an. 1521 deserto Ordine, ad castra Lutheranorum transiit, nuptias fecit, praedicatores a Luthero petiit, novam lithurgiam praescripsit, et libros novatorum in scholas introduxit. Major populi pars velocissime novationibus religiosis imbuta est. Doctrinam Lutheri publice professus est Philippus Comes provincialis Assiae, qui vivente adhuc conjuge sua Christina, cum Lutheri consensu Margaritam de Sal uxorem duxit. Philippus, ut rem Lutheranorum magis promoveret, a. 1526 cum Saxoniae Electore foedus iniit cui paulo post alii Germaniae Principes accesserunt. Huic foederi potissimum adscribendum est, quod Ordines Lutherani in Comitiis Spirensibus a. 1526 celebratis decretum a Carolo V Principum auxilio adversus Turcas indigente extorserint, quo

(a) Loescher, Hist. motuum inter Luter. et Reform.

suspensa decreti Vormatiensis executione Principi cuivis, usque ad Concilii generalis celebrationem, potestas concessa est Religionem pro lubitu reformandi. Carolus V bellis lacessitus, et Clementi VII R. P. infensus, quod cum Francisco I Galliae rege; quem in pugna ad Ticinium devictum et captum an. 1526 ad pacem adegit, cum Venetis nec non cum Duce Mediolanensi Imperatoris hostibus foedus pepigerit, pseudoreformationis progressui in Germania obicem ponere nec potuit, nec voluit. Imo irae fraena permittens Carolus per suos milites, Romam coepit, Pontificem in arce S. Angeli inclusum tenuit, et nonnisi soluto lytro post septem menses libertati restituit. Inita an. 1528 cum Clemente amicitia, Imperator in Germaniam reversus nova Comitia Spirae an. 1529 celebravit, in quibus libertatem ante tres annos Principibus concessam revocavit, omnem in Religione mutationem usque ad Concilium generale severe prohibuit, et edicti Vormatiensis executionem praecepit: at Principes Lutheri placitis addicti protestati sunt, unde *Protestantium* nomen Lutheranis adhaesit. Carolus imperator protestationem quidem cum indignatione rejecit, attamen ad eos iterum audiendos an. 1539. Comitia Augustae Vindelicorum coram se celebranda indixit. In hac urbe Melancton sic dictam confessionem Augustanam composuit, et Comitiis obtulit, quae imperatoris jussu latine et germanice praelecta fuit.—Theologi catholici Joannes Ekius, Joannes Faber et Joannes Cochlaeus, mandante imperatore, ejusdem refutationem adornarunt et publice in Comitiis praelegerunt. Imperator postulabat, ut Lutherani huic acquiescerent; sed illi per Melanctonem Catholicorum objectionibus responderunt, et responsum scriptum Imperatori porrexerunt, qui illud legere noluit. Hoc responsum Apologia Confessionis Augustanae vocatur, et una cum confessione augustana libris symbolicis Ecclesiae Lutheranae adnumeratur. Imperator indignatus decem mensium terminum eis ad resipiscendum indulsit, omnesque mutationes in Religione vetuit. Protestantibus Comitia deserentibus, Imperator edictum promulgavit, quo novationes religiosas prohibuit, introductarum abrogationem et bonorum ecclesiasticorum restitutionem praecepit, Concilium Generale intra annum celebrandum annuntiavit, ac violatores hujus edicti a Tribunali Camerae imperialis poenis afficiendos esse statuit (*a*).

(*a*) Joan. Joach. Muller Hist. Protest. Ord. Evang., Valent. Ernest. Loecher his. motuum August., Joannes Georg. Veber, Klein Hist. Eccl. Alzog, Unisnuprlyn.

§. 7. *Foedus Smalcaldicum et pax Norimbergensis.*

Principes Protestantes an. 1531 Smalcaldae in Franconia foedus pepigerunt de mutuo sibi auxilio praestando si fidei praetextu vel ob aliam causam impeterentur. Hoc foedus imperator utpote contra se initum aequo animo ferre haud potuit; nihilominus imminente cum Turcis bello Protestantibus indulgentiorem se praebuit, ut ab iis facilius contra hostes suos suppetias obtineret. Hunc in finem an. 1532 Comitia Norimbergae indixit, in quibus pacem cum Protestantibus iniit sub sequentibus conditionibus; 1. Nemo alterum Religionis praetextu injuria afficiat, et omnes processus Religionem concernentes adversus Protestantes aut moti, aut deinceps movendi usque ad Concilium Generale suspendantur. 2. Imperator curabit, ut intra sex menses Concilium convocetur, et intra annum inchoetur; 3. Si Religionis dissidia per Concilium generale non potuerint componi, Religionis libertas tandiu perduret, donec alio modo fuerint composita; 4. Protestantes subsidia adversus Turcas praestent, et Ferdinandum imperatoris Fratrem ceu Romanorum regem agnoscant *(a)*.

§. 8. *Articuli Smalcaldici.*

Imperator Concilii generalis convocationem urgere non destitit, et reapse Clemens VII promisit, sed morte praeventus consilium suum executioni dare non potuit (mortuus 1534). Concilium Mantuae celebrandum indixit Paulus III an. 1537, ast etiam istud non convenit, partim ob bella et curas Caroli imperatoris, partim ab Protestantium postulata, quibus Ecclesia satisfacere non poterat. Interim Lutherus a suis rogatus librum composuit Concilio exhibendum, in quo fidei articulos, a quibus numquam recessuri essent, secrevit ab iis, circa quos cum adversariis transigere possent. Ad illos referebat justificationem per solam fidem, missam, purgatorium, indulgentias, potestatem Pontificis, episcopatus, monasteria; ad istos baptismum, eucharistiam, poenitentiam, peccatorum confessionem, ordinationem, bona opera, potestatem clavium, leges ecclesiasticas, coelibatum Clericorum. Hisce articulis Ordines et Theologi Protestantes an. 1537 Smalcaldae subscripserunt, et propterea articuli Smalcaldici dicti sunt *(b)*.

(a) Menzel de foed. Protest. et pace Norimberg. (b) Le Plat Monuments, Riffel, Menzel.

§. 9. *Conamina protestantes ad ordinem redigendi.*

Cum Protestantes contra pacis Norimbergicae tenorem bona ecclesiastica diriperent, Tribunalis imperialis auctoritatem contemnerent, novationes religiosas vi suis subditis obtruderent, Religionem catholicam radicitus evellere studerent, et plures Ordines in foedus Smalcaldicum susciperent, Imperator foedus sacrum an. 1538 Norimbergae foederi Smalcaldico opposuit. Res igitur Germaniae spectare videbantur ad bellum, cujus eruptionem tantisper cohibuit conventio an. 1539 Francofordii inita, qua statutum est, ut pax usque ad finem anni sequentis protenderetur. Ad hanc ulterius conservandam an. 1540 Vormatiae amica moderatorum utriusque partis Theologorum habita est Collatio, anno sequenti 1541 in Comitiis Ratisbonensibus frustra continuata. Imperator iterato tum a Gallis, cum a Turcis bello lacessitus, an. 1542 in Comitiis Spirensibus Protestantibus pacem in quinque annos duraturam concessit, et anno 1544 pariter Spirae, Catholicis id aegre ferentibus, eamdem pacem usque ad dissidiorum compositionem per Concilium generale efficiendam prorogavit, nec non promisit Tribunal Camerale post tres annos innovandum, et interea ab iis judicandis cohibendum esse (*a*).

§. 10 *Concilium Tridentinum.*

Tandem anno 1545 Paulus III toties desideratum Concilium generale congregavit Tridenti ad dissidia componenda, haereses condemnandas, optatamque Ecclesiae reformationem perficiendam. Praesederunt Romani Pontificis Legati, et 25 sessionibus fuit absolutum. Post varias altercationes statutum, ut in qualibet sessione fidei definitio et Ecclesiae reformatio fieret. Imperator cum Vormatiae (1545), tum Ratisbonae (1546) Protestantibus persuadere conatus est, ut ad Concilium jam convocatum irent, at Protestantes et locum Concilii et modum illud celebrandi reprobabant. Quam ob rem Imperator non amplius cunctandum ratus, inito cum Mauritio Saxoniae Duce foedere, armis eos agressus est, confoederatorum Smalcaldicorum exercitum fudit, Joannem Saxoniae Electorem et Philippum Hassiae Landgravium jam proscriptos coepit, nec non Joannem Electoris dignitate privavit, quam Mauritio Saxoniae Duci contulit. Interim cum sub initium anni 1547 morbus pestiferus Tridenti grassari coepisset, post Sessionem octavam, Paulus III Concilium Bononiam transtulit, invito et re-

(*a*) Riffel, Hortleder, Acta P. I., Raynald ad an. 1540. Valch.

luctante imperatore, qui Episcopos suarum ditionum illuc ire prohibuit. Bononiae habitae sunt duae Sessiones, quin in illis aliqua decreta conderentur. In hoc rerum statu Imperator anno 1547 Comitia Augustae Vindelicorum indixit, ubi a Protestantibus postulavit, ut Concilio se subjicerent. Verum Protestantes praetendebant: 1. Ut Pontifex nec per se, nec per suos Legatos Concilio praesideret; 2. Ut Episcopi a Jurejurando, quo Ecclesiae primati adstricti sunt, solverentur; 3. Ut Theologi Protestantes in Concilio jure suffragii gauderent; 4. Ut omnes Principes christiani, una cum Ordinibus protestanticis Concilio interessent; 5. Ut decreta hucusque a Concilio condita novo examini subjicerentur. Nihilominus Imperatoris praepotentia victi promiserunt se ad Concilium ituros. Quoniam vero Imperator frustra sollicitavit Pontificem, ut Synodum Tridentum transferret, alia Comitia an. 1548 Augustae Vindelicorum celebravit, in quibus quandam Religionis formulam a Theologis quibusdam compositam, Catholicis et Protestantibus proposuit, ut utrique parti usque ad plenam dissidiorum compositionem per Concilium faciendam normae instar esset, hinc τὸ *Interim* dicta est. Haec formula, quae in Protestantium favorem Clericis uxoratis usque ad Concilii decisionem matrimonium, et laicis communionem sub utraque specie concedebat, non solum Catholicis, verum etiam Protestantibus displicuit. Catholici eam rejiciebant asserentes, Imperatori nullam esse in rebus ecclesiasticis potestatem, Protestantes vero ei obtemperare recusabant, quia doctrinae controversae in sensu catholico proponebantur. Theologi Vittenbergenses, duce Melanctone, aliam formulam, *Interim Lipsiense* nominatam composuerunt, in qua discrimen inter articulos adiaphoros et essentiales factum fuit, et cui Theologi Tubingenses, praesertim Mathias Flaccus (Francovich), Albanae in Istria natus, et Illyricus cognominatus, linguae hebraicae in Academia Vittenbergensi professor, se opposuerunt, contendentes illos articulos adiaphoros non esse. Anno 1549 Paulo III defuncto successit Julius III, qui ut Imperatori obsequeretur an. 1551 Concilium Bononia rursus Tridentum reduxit. Carolus omnem lapidem movit, ut Protestantes ad Concilium comparerent. Nonnulli Principes, placitis Lutheri addicti, legatos quidem Tridentum miserunt sed simulate tantum. Ipse Mauritius, Saxoniae Elector et Lutheri assecla, a Carolo beneficiis cumulatus, inito an. 1551 clam cum Protestantibus et Henrico II Galliae rege foedere, legatos Norimbergae subsistere jussit, et an. 1552 arma adversus Imperatorem imparatum vertit, diuturnam Joannis Saxoniae Ducis et Philippi Hassiae Landgravii soceri sui captivitatem justo graviorem esse et minime ferendam praetexens,

ipsumque Caesarem violatae libertatis germanicae coarguens. In tanto rerum descrimine, cum Ferdinandus, Romanorum Rex, gravi cum Turcis bello implicitus Germaniam pacatam cuperet, ex Imperatoris mandato cum Mauritio Lintii do pace ineunda deliberavit; verum nihil aliud conclusum est, quam nova pacis tentatio Passavii institueretur, et eousqne arma silerent. Mauritius contra datam induciarum fidem, exercitum tanta celeritate Oenipontum duxit, ut Carolus ibi pernoctans vix fuga se periculo Villachum snbtraxerit. Manritii adventus Patribus Tridentinis, a belli theatro non remotis tantum incussit timorem, ut Episcopi Italiae et Electores ecclesiastici ad suas sedes reverterentur. Reliqui Patres in Sessione XVI decretum promulgarunt, quo Concilinm in duos annos suspensum est. Ferdinandus tantam belli tempestatem sedaturus Passavium ad indictum Conventum se contulit, in quo an. 1552 celebris illa *Transactio Passaviensis* inita est, qua Imperator formulam *Interim* abrogavit, Principes proscriptos in pristina jnra et possessiones restituit, pacem Protestantibus indulsit, et intra trimestre Comitia ad pacem solemniter firmandam, se indicturum promisit. Cnm Albertus Baruthinus, belli et praedae cupidns, arma ponere recusaret, eo demnm victo, anno 1555 Comitia Augustae Vindelicorum celebrari potuerunt, quo Ferdinandus rex cum Caesaris legatis venit, et *pacem Religiosam Augustanam* deinceps appellatam firmavit, sub sequentibus conditionibus; 1. Protestantes et Catholici plena religionis libertate et jurium aequalitate gaudeant; 2. Protestantes ab Episcoporum jurisdictione immunes sint, et bona ecclesiastica hactenus occupata retineant; 3. Nemo alium ad Religionis desertionem compellat, vel arte aliqua ad se trahat, aut contra snum Magistratum in tntelam recipiat; 4. In liberis imperii Urbibus, in quibus utraque Religio bucusque viguit, hic status porro perdnret, et cives pacifice cohabitent; 5. Subditi imperii plenam habeant religionis mutandae libertatem; 6. Si Praelatus quiscunque, aut alius Clericus catholicus ad Lutheranorum castra transierit, sine mora, beneficinm amittet, quae Conditio *Reservatum ecclesiasticum* dicta est; 7. Subditis Religionem mutatnris libera maneat facnltas emigrandi, ita tamen, ut Dominis et Magistratibus suis prius satisfaciant, quod ipsis deberent ratione servilis conditionis aut tributi; 8. Qui Confessioni Augustanae ant Religioni Catholicae addictns non est, ab hac pace sit exclusns. Anno seqnente Imperator, traditis partim Philippo filio, partim Ferdinando fratri omnibus terris, imperio se abdicavit ac in Monasterinm S. Justi in Extremadura Hispaniae provincia situm se retraxit. Post 18 menses Carolus jussit in Ecclesia celebrari exequias, quibus ipse

regimine, praedicante potissimum Joanne Honter, Lutheranismus magnos progressus fecit. Sueciae Lutheri pestem intulerunt duo fratres Olaus et Laurentius Peterson, ex Academia Vittenbergensi, ubi studuerunt, in patriam suam reversi, quorum primus Stocolmiae concionatoris, secundus Upsalae professoris munere fungi coepit inde ab anno 1519. Gustavus Vasa, Christianus II in regno successor, ob expulsos nuper Danos de patria benemeritus, anno 1527 in Comitiis Arosiensibus Episcopis tantum incussit timorem, ut omnia bona Episcopatuum Capitulorum et Monasteriorum eidem tribuerent. Idem Gustavus Catholicam Religionem, et Lutheranismum invexit. Christianus II Daniae rex an. 1520 Coduniae tradidit Lutheranis unam Ecclesiam, et varias crudelitates in Catholicos exercuit, quapropter throno fuit ejectus. Qui ei successit Fridericus I, Holsatiae Dux, Lutheri doctrinam professus est, et lutheranis praedicatoribus favit (1523-33). Ejus filius Christianus III in Comitiis Othoniae an. 1539 celebratis catholicam Religionem jure Civitatis privavit, omnia bona ecclesiastica inter se et nobiles divisit, Clericos pepulit, et Catholicos aut ad nova sacra transire aut emigrare jussit. Ex Dania Lutheranismus penetravit in Norvegiam et Islandiam. Eadem Lutheri doctrina sat mature asseclas invenit in Belgio, Gallia, Anglia, Scotia, Hispania et Italia (a).

§. 12. *Religionis vicissitudines in Austria, Styria, Carinthia et Carniolia.*

Etiam Austria a peste Lutheri immunis haud mansit. Maximilianus II Imperator an. 1568 Proceribus et Equitibus Lutheranis indulsit, ut in suis arcibus, oppidis et pagis Oratoria et praedicatores haberent. Hi autem Caesaris indulgentia abusi, etiam in Urbibus, et praecipue Viennae Conventus celebrabant, ad quos cives admittebantur. Rudolphus Maximiliani filius et successor, mala inde eventura praevidens, anno 1578 non solum Lutheranis conventus sacros habere, verum etiam catholicis ad eos comparere prohibuit. Ordines Styriae, Carinthiae et Carnioliae denegatis an. 1578 subsidiis ad bellum contra Turcas, Ducem suum Carolum adegerunt, ut nobilibus in eorum castris, nec non Graccii, Judenburgi, Clagenfurti et Labaci liberum Religio-

(a) Jablovshi Inst. Hist. Christ. t. 2. saec. XVI, Lubienieki hist. Ref. Polon. Lenmann hist. diplom. de statu Relig. evang. in Hung. Debreuen Hist. eccl. ref. in Hung. et Transilv., Baaz, inventarium eccl. Sueco-Gothor., Messenius Scandia illustrata, Ruhs hist. Suec. Gerdas Introd. in Hist. t. 3. Conradus Alsacius Hist. Ref. Dan.

nis lutheranae exercitium concederet. At Ferdinandus Caroli filius an. 1597 decretum edidit, quo omnes Lutheranos aut patria excedere, aut Catholicorum Religionem profiteri jussit. Sub Matthia, Rudolphi II Imperatoris fratre, an. 1609 iterum liberum Religionis exercitium obtinuerunt (*a*).

§. 13. *Bellum tricennale.*

Interea Protestantes in Germania pacis Augustanae conditiones violabant, Episcopatuum et Monasteriorum bona ad se attrahentes, nec non Catholicos injuriis et violentiis lacessentes, quod potissimum evenit Donauverdae (in insula Danubii), ubi cives Religioni catholicae addictos jure civitatis, Ecclesia et publico Religionis exercitio privarunt (1606). Re ad tribunal Spirense delata, Catholici sententiam ab aequalitate petitam obtinuerunt. Cum vero Protestantes quiescere nollent, Rudolphus II imperator anno 1607 per Maximilianum Bavariae Ducem armis Donauverdam sibi subjecit, et Protestantes in Ordinem redegit. Hoc facto, exacerbati Principes Lutherani, agente potissimum Friderico Palatino Electore, an. 1608 foedus inter se inierunt, quod *Unio Evangelica* dictum est; cui Catholici aliud opposuerunt foedus, *Ligae Catholicae* nomine insignitum. Omnia erant ad bellum parata, et Bohemi Protestantes classicum cecinerunt. Hi nimirum intelligentes Rudolphum II imperatorem concessionis a Maximiliano II factae abrogationem moliri, eum improviso impetu ad Religionis libertatem scripto sibi indulgendam adegerunt, qui ut bellum intestinum evitaret an. 1609 scripto (hoc documentum vocatur litterae Majestatis) eis Pragae Consistorium, liberum Religionis exercitium, et facultatem nova Oratoria in fundis eorum extruendi concessit. Mortuo an. 1612 Rudolpho successit ejus frater Matthias, sub cujus regimine Lutherani Archiepiscopo Pragensi et Abbati Brauniensi subditi, contra voluntatem dominorum suorum, an. 1615 Oratoria sibi extruxerunt, quae cum Praelati a Rege adjuti occupassent, et quosdam vim apponentes carceri mancipassent, Ordines Protestantici eorum causam apud Imperatorem agendam susceperunt, facultatem Oratoria aedificandi in litteris Majestatis nonnisi Ordinibus concessam ad quoscumque Protestantes arbitrarie extendentes. Imperator an. 1618 litteras minaces ad eos dedit, quibus irritati, incentore Henrico Mathia comite de Turre, eousque progressi sunt, ut palatium regium ingressi, duos Gubernii consiliarios Martinitz et Slavata e fenestra ejicerent, et totum

(*a*) Walden Hist. Protest. in Austria, Styria, Carinth. et Carniol.

regimen ad se traherent, constitutis 30 directoribus. Ita bellum exortum est, quod per annos 30 non solum Bohemiam, verum etiam alias terras faede vastavit. Cum enim Imperator arma armis opposuisset, Bohemi a confoederatis adjuti, Duce Mathia de Turre, Moraviam, Silesiam et Lusatiam sibi subjecerunt et Viennam usque pervenerunt, ubi defuncto anno 1619 sine prole Mathiae Ferdinandus II successerat. Post Mathiae obitum, Ordines protestantici supra Onasum summa rerum potiti sunt; Ordines vero infra Onasum a Ferdinando II importune et quasi per ludibrium postulabant, ut confoederationem, quam cum Bohemis inituri erant, approbaret. Sed princeps medius inter hostes, et omni auxilio destitutus, sola pia in Deum fiducia inconcussus perseverabat, cum subito miraculo quodam providentiae 500 equites a summo copiarum Duce missi Viennam ingrediuntur, et insolentes Ordinum legatos, terrore perculsos in fugam conjiciunt. Non multo post etiam Bohemi, accepto cladis nuntio, ad Pragam tuendam reversi sunt; quo facto, Ferdinandus ad novi imperatoris electionem Francofordium profectus coronam caesaream ipse retulit. Protestantes Ferdinandum regno exuerunt, et Fridericum Palatinum novum sibi regem crearunt. At Maximilianus Bavariae Dux et foederis catholici director, coactis prius in Austria Ordinibus ad homagium praestandum Ferdinando, et adjunctis sibi Caesareis copiis, an. 1620 prope Pragam Protestantium exercitum ita fudit, ut Fridericus usque in Belgium foederatum fugeret. Imperator eum proscripsit, ejusque dignitatem electoralem et terras Cisrhenanas Bavariae Duci contulit. In Protestantium auxilium an. 1625 venit Christianus IV Daniae rex, qui in circulo Saxoniae Ducatum Holsatiae possidebat; verum victus in Saxonia an. 1627 pacem petiit et impetravit. Post tot victorias Catholici an. 1629 Ferdinandum permoverunt, ut Protestantes omnia bona ecclesiastica post Transactionem Passaviensem occupata reddere, et vel sacra catholica amplecti vel patriam mutare juberet. Quare Gustavus Sueciae rex an. 1630 exercitum formidabilem, cui Ludovico XIII rex Galliae suppetias dabat, in Germaniam duxit, et brevi tempore magnam ejus partem occupavit. Gustavo an. 1632 apud Lützen in Saxonia occiso bellum 13 adhuc annis varia fortuna continuatum est.

§. 14. *Pax Vestphalica.*

Bello tricennati finem imposuit Ferdinandus III, Ferdinandi II filius, qui a. 1648 Monasterii et Osnaburgi in Vestphalia pacem cum Protestantibus iniit sub sequentibus conditionibus: 1. Pax Religiosa Augustana confirmata et ad Calvinianos quoque extensa

fuit; 2. Perfecta Catholicorum, Luteranorum et Calvinianorum aequalitas tam in religionis negotio, quam in rebus politicis et civilibus decreta; 3. Reservati ecclesiastici etiam Protestantes participes facti, Friderici posteris Palatinatus redditus et dignitas Electoris, attamen octavo loco concessa; 4. Sublatum est edictum Ferdinandi II, quo Protestantes omnia bona reddere jubebantur, et in ejus locum, extra terras Austriacas, annus 1624 ceu normalis substitutus ita, ut utraque pars in posterum retineret illa bona et jura, in quorum possessione reali die prima Januarii illius anni fuerat. Cum igitur Protestantes hac pace desideriorum suorum compotes facti fuissent, praecipuae quidem collisionum causae in Religionis negotio cessarunt, mutua tamen animorum concordia, fiducia et benevolentia haud restituta est (a).

§. 15. *Errores Lutheranorum.*

Lutherani a Catholicis in sequentibus praecipue dissentiunt: 1. Solam Scripturam S., exclusa Traditione, ab omni homine rationis compote, et linguarum gnaro facillime intelligendam, tamquam normam credendorum et agendorum venerantur; 2. Libros deuterocanonicos e numero divinorum expungunt. 3. Ecclesiae infallibilitatem etiam in rebus fidei negant. 4. In Ecclesia neque Primatum, neque Hierarchiam divino jure institutam agnoscunt. 5. Duo tantum Sacramenta proprie dicta, baptismum scilicet et S. Coenam admittunt. 6. Doctrinam de transubstantiatione, de vera Christi in Eucharistia, extra sumptionem, praesentia, et de Sacrificio Missae fundamento carere mentiuntur. 7. Eucharistiam ex divina institutione sub utraque specie sumendam esse praecipiunt. 8. Naturae Christi humanae omnipraesentiam tribuunt. 9. Hominem sola fide justificari docent. 10. Satisfactiones et merita officio Christi mediatorio derogare statuunt. 11. Invocationem Sanctorum et Purgatorium inter commenta humana rejiciunt. 12. De confessione auriculari nil scire volunt. Lutherani Tubingenses, duce Martino Crusio, a. 1575 suae fidei confessionem miserunt ad Jeremiam Patriarcham Constantinopolitanum, ut eum, et ejus exemplo, totam Ecclesiam Orientalem in suam partem traherent; ast Jeremias indignatus, edito libro sub titulo: Censura Ecclesiae Orientalis: omnes eorum errores refutavit (a).

(a) Menzel Hist. belli tricen., Struw Hist. Rel., Godeffr. de Mayer Act. pac. Vesph. Woltmann etc. (b) Mosheim Inst. Hist. Eccl. saec. 16., Libri symbolici Ecc. Luth. Dresdae 1580.

§. 16. *Sectae inter Lutheranos exortae.*

Lutheranismus tot peperit sectas, ut nimis longum foret omnes enumerare. Praecipuae sunt sequentes: *Antinomorum*, qui post Joannem Agricolam leges ceu inutiles considerant; *Rigidorum*, qui Lutheri placitis stricte inhaerebant; *Adiaphoristarum*, qui quosdam religionis articulos tamquam indifferentes habent; *Substantialistarum*, qui peccatum originale ipsam animae substantiam esse docent; *Sinergistarum*, a graeca voce ξυνεργέο, (contribuo, cooperor,) qui sequentes Victorem Strigelium asserunt, hominem justificationi cooperari, adeoque eam non esse purum Dei donum; *Ubiquistarum*, qui Corpus Christi ubique esse credunt; *Calixtinorum*, qui cum eorum auctore Georgio Calixto contendebant Lutheranos, Calvinistas et Catholicos in fundamentalibus fidei articulis consentire, atque propterea eos posse in unam societatem coire: quam doctrinam Theologi Lutherani syncretismi (Syncretistae, conciliatores) nomine damnarunt; *Pietistarum* qui a. 1689 Lipsiae, Philippi Speneri exemplum imitantes, Collegia biblica instituerunt, ut in suis auditoribus pietatem excitarent. Cum hi in multis a communi Protestantium systemate recessissent, variis persecutionibus fuerunt obnoxii *(a)*.

§. 17. *Herrenhuthani.*

Herrenhuthanorum auctor fuit Nicolaus Ludovicus Comes de Zinzendorf et Pottendorf, qui a teneris Halam Saxonum, praecipuam Pietistarum Sedem missus, peragratis diversis Europae regionibus in Saxoniam patriam suam redux, anno 1721 domi Collegia pietatis instituit. Empto postea dominio Bertholdorfense, ubi ipse suis subditis pietatem instillabat, an. 1722 Fratres Moravicos suscepit. Hisce montem Hutberg assignavit, in quo cum dicerent, se sub Dei tutela esse, novum locum Herrenhuth vocarunt, ipsis vero Herrenhuthanorum nomen inhaesit. Cum alii Lutheri, alii Calvini placitis essent addicti, an. 1723 dissidia talia inter eos exorta sunt, ut ab invicem discedere meditarentur. Ut haec tolleret Comes de Zinzendorf unionis statuta composuit, quae omnes Herrenhuthi incolae a. 1727, post sumptam in Ecclesia Bertholdorfensi sacram Coenam, solemniter acceperunt. Praeter Scripturam S. N. et V. Foederis Confessionem Augustanam admittunt. Potissimum doctrinam de cruenta Christi morte colunt, unde Zinzendorfius suum Religionis systema Theologiam Crucis et Sanguinis vo-

(a) Arnold. Hist. Eccl. et Haeret., Abraham Calav Hist. Syncret., Klein Hist. N. Test.

care solebat. Deum in Salvatore adorant, quem Ecclesiam suam gubernare credunt. Negotia, in quibus certitudo non habetur, sorte decidunt, asserentes sortes a Christo regi. Divisi sunt in tres classes, quas tropos dicunt, nimirum tropum *Moravicum*, *Lutheranum* et *Reformatum*, quorum quilibet suum habet Antistitem. Ubi singularis Herrenhuthanorum coetus non existit, singuli eorum vel Lutheranorum vel Reformatorum sacra, praesertim Eucharistiam participant. Habent Episcopos, praedicatores, Diaconos et Diaconissas.

In quovis coetu membra secundum aetatem et sexum distributa eunt, in sic dictos choros puerorum, puellarum, juvenum, virginum, viduorum et viduarum, in propriis domibus choralibus separatim vivunt, et suos praepositos habent. Conjuges cum parvulis in aedibus quidem privatis habitant, attamen et ipsi suis inspectoribus subsunt. Hi sicut praefecti chororum ea, quae in familiis et domibus choralibus aguntur Conferentiae Seniorum nuntiant. Supremum omnium fratrum regimen commissum est Conferentiae Seniorum unitatis, quae ex tredecim partim Episcopis, partim Senioribus civilibus constat, et rationem reddere tenetur Synodis singulis circiter quinquenniis ab eadem Conferentia convocandis, in quibus negotia graviora tractant, et novam Conferentiam unitatis eligunt.

Singulis diebus ter devotionis causa conveniunt, nimirum ante prandium, hora septima ad orationem et hora nona ad cantum. Diebus dominicis praeter preces et cantus, homilias a praedicatoribus prolatas excipiunt. Singulis mensibus eucharistiam celebrant, ab omnibus percipiendam, cui praemittitur Agapa, in qua lac et panificia sub canticis et praelectionibus sumunt. Si quis delinquit, primo ab eucharistia, deinde a conversatione caeterorum, denique ab ipso coetu excluditur. Plerique sunt opifices vel mercatores, et laudantur a morum integritate, probitate, simplicitate, gravitate, speciatim autem ab industria. Singuli coetus scholis instructi sunt, in quibus juvenes religione imbuuntur. Coetus eorum in omnibus quatuor mundi partibus existunt (*a*).

§. 18. *Anabaptistae.*

Sub ipsa novationum religiosarum initia prodierunt in Saxonia Anabaptistae, ita dicti a graeca voce *ανα*, *iterum*, *βαπτο*, *lavo*, quod nonnisi adultorum baptismum tamquam validum

(*a*) Lyner-Relat. de orig., progressu et Constitutione Fratrum-Unitorum etc.

admitterent, et omnes ad suum coetum accedentes in infantia baptizatos rebaptizarent. Iidem contemta Scriptura S. internas jactabant revelationes ac inspirationes, fanaticoque furore acti rempublicam civilem gravissime turbarunt, vana novi cujusdam regni, cujus ipsi rectores forent, spe multorum animos fascinantes. Docebant jurare, militiam sequi, magistratum gerere Christiano non licere, homines liberos, aequalem bonorum temporalium communionem introducendam, tributa, vectigalia, decimas, census, Doctores et ministros abrogandos, monasteria evertenda, omnemque adversarium etiamsi Princeps esset ferro et igne exterminandum esse. Auctores hujus sectae fuisse dicuntur Nicolaus Storkius et Thomas Munzerus, Lutheri discipuli, qui rusticis seditiosis juncti ad vastandam Germaniam multum contulerunt. Principes et Magistratus edictis, armis et capitalibus poenis tanta seditiosorum hominum facinora coercere studuerunt. Sublatis Thoma Munzero, Phaiferio et pluribus aliis, novae seditionis auctores in Vestphalia fuerunt Joannes Matthaei pistor et Joannes Bokold sartor, ambo Batavi, qui collecta turbulentorum hominum multitudine a. 1533 urbem Monasteriensem in suam potestatem redegerunt, polygamiam introduxerunt, et Joannem Bokold totius orbis dominum ac regem proclamarunt. Hic debebat omnes Principes et populos justitiae hostes delere. Sed an. 1535 Episcopus Monasteriensis, ab aliis Principibus adjutus, urbem expugnavit, regem Joannem, qui crudelitate et libidine in suos saevierat, cum primariis ejus satellitibus exquisitis tormentis enecavit, et totam turbam vesanam, quae Monasterii coaluerat, dissipavit. Misero horum exitu territi reliqui saniora et pacatiora principia amplexi sunt, auctore maxime Mennone ex Frisia oriundo, parocho apostata, a quo hodierni in Germania, Belgio foederato, Anglia aliisque provinciis degentes *Mennonitae* denominantur. Hi docent: infantes non esse baptizandos, Ecclesiam ex solis sanctis constare, a magistratu politico, bello ac suppliciis capitalibus prorsus abstinendum esse. Neque tamen impedire potuit Menno, ne coetus a se conditus in plures sectas divideretur. In Belgio *Subtilium*, et *Crassiorum* familiae in primis distinguuntur, in Anglia vero in *Baptistas particulares* et *Universales* sunt divisi, qui cum Anabaptistis in hoc conveniunt, quod baptismum parvulorum invalidum censeant (*a*).

(*a*) Hermann Shyn Hist. Christ., Mennonit. Henricus Otl. Annales Anabaptist., Valch. Hist. Relig., Alberti ep.

§. 19. *Zuingliani.*

Zuinglianorum sectam fundavit Uldaricus Zninglius Helveta, Canonicus et Sacerdos Tigurinus. Is desiderio reformationis ductus a. 1519 Indulgentias impugnavit, quas Bernardinus Samson, monachus Franciscanus, Pontificis nomine apud plebem Tigurinam promulgabat. Ad alia inde progressus brevi fautores et adversarios nactus est, atque in his Hugonem Episcopum Constantiensem. Senatus Tigurinus, ut dissidia exorta componeret conventum omnium suae ditionis theologorum an. 1523 indixit, in quo Zuinglius 67 theses edidit contra missam ceu Sacrificium, coelibatum clericorum, votum castitatis, potestatem Pontificis, Episcoporum aliorumque Clericorum, confessionem peccatorum, satisfactionem sacramentalem, purgatorium, et alia hujusmodi directas. Senatus doctrinam Zuinglii approbavit, nihilque, nisi quod Scripturae S. auctoritate probari possit, deinceps doceri jussit. Anno 1524 Zuinglius uxorem duxit, et magistratum permovit, ut sacras imagines et Missam aboleret, atque altaria ex Ecclesiis ejiceret, quo facto in locum altarium mensae positae sunt, in quibus pro celebranda Eucharistia corbis, panibus fermentatis refertus, et calices vino pleni collocabantur. Postea Zuinglius commentarium edidit de vera et falsa Religione, in quo peccatum originale negavit, Sacramenta vacua signa gratiae divinae aliunde collatae esse dixit, de hominis arbitrio mitius, quam Lutherus statuit, et totam potestatem in rebus ecclesiasticis ipsam quoque fidem concernentibus magistratui civili concessit. Tigurinorum exemplum successu temporis sequebantur pagi alii, Bernensis, Basileensis et Shafhusanus in primis, reliquis veterem interim doctrinam et ritum sancientibus. Cum civitates Zuinglianae Catholicas ad admittendas novationes religiosas adigere conarentur a. 1531 bellum civile ortum est, in quo Tigurini ad internecionem coesi sunt, et Zuinglius quoque occubuit. Ei diu non supervixit, quo amico usus fuerat, Joannes Aecolampadius Ecclesiae et Academiae Basileensis doctor. Anno 1535, agentibus Guilelmo Tarelio et Petro Vireto, etiam Genevam in suam potestatem redegerunt (a).

§. 20. *Calvinistae.*

Joannes Calvinus, a quo asseclae Calvinistarum nomen sortiti sunt, natus est Novioduni in Picardia a. 1509, egregiis

(a) Nuschler Hist. Uldarici Zuinglii, Ruchet histoire de la reformation de la Suisse, Wirz Hist. Eccl. Helvetiae P. IV.

dotibus a natura ornatus. Is in neotericorum placita, quae variis in locis imbiberat, tanto amore ferebatur, ut Parisiis, cum Theologia operam navaret, suas novas opiniones etiam aliis instillare satageret. Cum Franciscus I Galliae rex novatorum audaciam gravissimis poenis reprimere conaretur, Calvinus a. 1534 Galliam deseruit, varias regiones peragravit, ac tandem a. 1535 Genevam erroribus Zuinglii jam infectam venit, unde a Magistratu civili, cui potestatem a Zuinglio in rebus ecclesiasticis concessam abrogare voluit, pulsus Argentoratum se contulit, ubi editis variis libris Genevenses ita sibi conciliavit, ut non solum eum revocarent, verum etiam novum ab eo catechismum adoptarent, et cathedram theologiae ei concederent. Calvinus Genevae illimitatam fere auctoritatem consequutus est ita, ut in rempublicam civilem magnum influxum exerceret, et rem ecclesiasticam pro arbitrio dirigeret usque ad an. 1564, quo ex hac vita decessit. Ibi Magistratum permovit, ut a. 1559 universitatem fundaret, Consistoriis ex praedicatore et senioribus compositis potestatem in rebus ecclesiasticis concessit, austeram morum disciplinam sub poena excommunicationis praecepit, a Zuinglio in pluribus capitibus recessit, nominatim in Eucharistia, in peccato originali, in libero arbitrio et in praedestinatione. In Eucharistia docuit, pios per fidem, adeoque spiritualiter vel virtualiter, Corporis et Sanguinis Christi participes fieri, et per vivam passionis et mortis Christi memoriam, quam panis et vini symbola excitant, animos credentium ita pasci, sicut cibo et potu corpus nutritur. De peccato originali orthodoxe praecepit. Liberum hominis arbitrium negavit, asserens, hominem necessario malum eligere, et ad bonum nullo modo posse cooperari, sola Dei gratia illud efficiente. Docuit quosdam homines non solum ad poenam, verum etiam ad culpam praedestinatos esse. In caeteris Luthero et Zuinglio consensit. Inter libros Calvini eminet ejus « Institutio religionis christianae » quatuor libris contenta, quorum primo de Deo Creatore, altero de Deo Redemptore Christo, tertio de Spiritu S. hominum Santificatore, quarto de Ecclesia, de Sacramentis, de Magistratibus, legibus et subditis egit. Ex professoribus Genevensibus longe celeberrimus fuit Theodorus Beza, nobili genere in Burgundia natus, qui Calvini coepta post ejus mortem summo studio, praesertim in Gallia, promovit, et an. 1605 fatis cessit. Anno 1630 Calvinistae fidei suae confessionem miserunt ad Cyrillum Lucharis Patriarcham Constantinopolitanum, jam prius novitatibus religiosis addictum, ut Ecclesiam Graecam cum Reformata conjungeret; quod cum Cyrillus facere tentaret, exorta seditione a Turcis fuit strangulatus et in Bosphorum conjectus.

Reliqui vero Patriarchae Graeci, coactis Synodis, Calvinianismum condemnarunt (*a*).

§. 21. *Turbae a Calvinistis excitatae in Gallia.*

Gallia altero saeculi XVI dimidio novationibus religiosis vehementissime perturbata et concussa est. Henricus II, Francisci I a. 1547 mortui filius et successor a. 1651 contra neotericos severissima decreta edidit, quae tamen impedire non potuerunt, quominus multiplicarentur, et Antonium regem Navarrae, ejusque fratrem Ludovicum Principem de Condé regiae familiae cognatos, nec non Principem de Colinio in suas partes traherent. Ita aucti ab anno circiter 1555 in plerisque urbibus majoribus, nominatim Parisiis, jam coetus bene ordinatos efformabant, atque in Synodo generali fidei confessionem, ordinem et disciplinam ecclesiasticam condiderunt Calvini placitis conformem. Non multo post Turonii, cum nocturnos conventus celebrarent et spectrum Regis Hugonis sibi apparere crederent, *Hugonottae* dici consueverunt. Defuncto a. 1559 Henrico II, successit ejus filius Franciscus II valde juvenis et infirmae valetudinis; quare ejus Mater Catherina Medicaea, Dux de Guisa, ejusque duo fratres Cardinales regni habenas moderabantur. Hi pro studio, quo in Religionem Catholicam ferebantur, Hugonottis conventus sacros sub poena ignis interdixerunt. Hac re non minus, quam Principum Bourbonicorum reginine exclusione irritati, duce Principe de Condé a. 1560 conjurationem fecerant ad Guisas capiendos, et regimen Bourbonibus tradendum. Conjuratione detecta multi ejus participes debitas quidem poenas luerunt, attamen ab hoc tempore incusso Guisis timore, poenae contra eos mitigabantur. Franciscus II inter mortales esse desiit a. 1560, et post ejus mortem regimen suscepit ejus frater Carolus IX minorennis cum matre Catharina, cui, urgentibus publicis ordinibus, Antonius Rex Navarrae, nomine generalis locumtenentis regni additus est. Hujus patrocinio freti Hugonottae jam adeo insolescebant, ut non tantum publicos conventus agerent, consistoria et Synodos instituerent, sed etiam Catholicis Ecclesias vi eriperent, sacras imagines et crucifixa destruerent, Clericos domibus, bonis et redditibus privarent, Magistratusque catholicos deponerent. Ad pacem Galliae restituendam, agente potissimum Cardinali de Lotharingia an. 1562 Pisciaci coram familia regia, pluribus Proceribus, Cardinalibus, consiliariis,

(*a*) Beza vita Calvini, Sponii Hist. Genev., Schrock Hist. Relig. et Eccl. Christ. Schmidt Hist. Germ.

Episcopis et Theologis utriusque partis habita fuit publica de Religione disputatio, in qua ex parte Catholicorum Claudius Espenaeus, et ex parte Hugonottarum Theodorus Beza praecipui disputatores erant; ast cum quaelibet pars sibi victoriam adscriberet, disputatio optatum effectum non produxit.

§. 22. *Bella inter Catholicos et Hugonottas sub rege Carolo IX.*

Cum Hugonottae in seditiones proni pacem Regni turbarent, et Principem de Condè Regem sibi eligere meditarentur, ad reprimendas eorum violentias, Regina an. 1562 liberum et publicum Religionis exercitium eis concessit; quam ob rem Princeps de Guisa, inito cum quibusdam Proceribus foedere, eodem anno Parisios occupavit, et regni administrationem ad se traxit. Hugonottae vero, Duce Condè, libertatem sibi concessam periclitari proclamantes, ansam coeperunt, et plures urbes in suam potestatem redegerunt. Victi quidem fuere in proelio Dorcensi; ast, interfecto a. 1563 cum Aurelianum obsideret, Duce de Guisa, liberum religionis exercitium Hugonottis concessum ad certa quaedam loca restrictum est, quod cum non ferrent Hugonottae a. 1567 Princeps de Condè bellum renovavit. Iterato victi sunt ad Fornacum, ubi Princeps de Condè eorum Dux cedit, sed substituto a. 1568 in ejus locum Gasparo Principe de Colinio belli fortunam tentarunt. Etiam hac vice ad Montocorium magna clade affecti sunt a. 1570. Victores cum victis adeo benigne egerunt, ut non tantum liberum Religionis exercitium, verum etiam aequalia jura civilia cum Catholicis indulserint. Cum necdum quiescerent Hugonottae, Rex Carolus, annuente matre, et suffragante Senatu, eos ex insidiis supprimere statuit. Die 23 Augusti 1572 Margaritha Caroli regis soror cum Henrico rege Navarrae, Antonii in bello occisi filio et successore, nuptias celebravit, ad quas magna Principum et nobilium Hugonottarum multitudo Parisios confluxit. Etiam copiosus exercitus, sub praetextu ordinem et pacem servandi, Parisiis adfuit paratus. Nocte igitur S. Bartholomaei festum praecedente, jussu Regis Caroli milites Hugonottarum domos invaserunt, eosque trucidarunt, quao caedes nomine *nuptiarum Parisiensium et noctis S. Bartholomaei* ad posterorum memoriam translata est. Henricus Rex Navarrae et Princeps de Condè ad Regem Carolum adducti, instructioni religiosae traditi sunt. Emiserunt quidem Religionis Catholicae professionem sed simulate tantum. Verum Hugonottae in furorem acti arripuerunt arma, et praeter alia munimenta Montem Albanum, Nemausum et

Rupellas occuparunt, quae cum rex eis eripere conaretur, an. 1573 bellum exortum est, in quo fortuna Hugonottis arrisit. Inita pace liberum Religionis exercitium obtinuerunt; sed cum non ad omnes Hugonottas extenderetur, bellum renovatum est, quo durante Carolus IX an. 1574 ex hac vita decessit.

§. 23. *Sub Henrico III Edictum Nannetense.*

Carolo IX successit ejus frater Henricus III, qui de consensu matris et Procerum bellum continuare decrevit; ast anno 1576 ad tales angustias redactus est ut Hugonottis plenam Religionis libertatem, jurium aequalitatem cum Catholicis et octo urbes munitas eis concederet: quae regis indulgentia Ducibus de Guisa et fervidioribus Catholicis adeo displicuit, ut eodem anno foedus nomine ligae sacrae inter se inirent, ad Religionem Catholicam tuendam, omnesque regni incolas eidem subjiciendos. Anno 1577 Pictavi pax ab Henrico III cum Hugonottis inita ita modificata fuit, ut Religionis reformatae libertas vario restringeretur, et loca in Curiis eis abjudicarentur. Haec pax anno tantum 1580 inita propter foedus ad breve tempus interrupta, duravit usque ad annum 1585, quo mortuus est junior Regis frater. Hujus mors novi extitit causa belli. Cum enim nulla spes foret, ut Rex proles haberet, thronus Galliae jure haereditario ad Henricum Borbonicum, Regem Navarrae, proximum Henrici III consanguineum et Hugonottam spectabat. Dux de Guisa unionis sacrae princeps, Navarrae regis patruum, Carolum Borbonicum Cardinalem, futurum Henrici III successorem proclamavit, regemque permovit, ut decretum ederet, quo Hugonottae urbes munitas reddere et qui ad sacra catholica redire recusarent, intra sex menses Galliam relinquere jubebatur. Foedus sacrum a. 1588 Rothomagi fuit confirmatum, et conclusum, ut nullus haereticus thronum Galliae conscendere sinatur. Henricus rex Navarrae Rupellis cum Hugonottis aliud foedus pepigit ad sui defensionem. Ita cruentum enatum est bellum. Henricus III. 1 Augusti 1589 confossus fuit a quodam, qui veste Dominicani indutus eum adivit, quasi secreta perlaturus. Hunc conjurati illico trucidarunt, ejusque faciem dilaniarunt ita, ut cognosci non potuerit. Non obstante Catholicorum confoederatorum oppositione, Henricus rex Navarrae armis thronum Galliae sibi vindicavit. Cum vero Catholici novum regem throno dejicere conarentur, Henricus rationibus politicis adductus Calvinistas, Ministros et Catholicos Episcopos ad se vocavit, quaesivitque a Calvinistis, an homines in Religione Catholica salventur?

Habito affirmativo responso an. 1593 haeresim ejuravit, et ad castra Catholicorum transiit. Ne autem Hugonottas a se abalienaret, an. 1598 in eorum favorem Nannetae in Brittania minori celebre *edictum* ab hac urbe *Nannetense* compellatum promulgavit, quo Religionis libertatem eadem cum Catholicis jura, urbesque munitas a regimine independentes eis concessit. Ab hoc edicto exclusae fuere urbes Parisiensis, Rhemensis, Divionensis, Lugdunensis et Tolosana; Hugonottae vero jussi sunt in festis Catholicis a labore abstinere, Clero Catholico decimas praestare et Matrimonia secundum leges Catholicas inire. Senatus Parisiensis hoc edictum, cui omnes Catholici reclamabant, diu in legum catalogum referre nolebat, donec tandem a. 1599 Rex ipse in Curia praesens gravi oratione eum ad hoc faciendum permovit. Cum Hugonottae novas turbas excitarent, Ludovicus XIII urbes munitas et liberum Religionis exercitium eis ademit; anno tamen 1629 pristina jura, non ex pacto sed ex gratia speciali restituit. Tandem Ludovicus XIV novarum turbarum pertaesus eos ad Ecclesiam catholicam reducere firmiter statuit. Hunc in finem an. 1685 edictum Nannetense revocavit, omnibusque praecepit, ut sacra catholica amplecterentur. Ne autem subditorum numerus minueretur emigrationem vetuit; qua prohibitione non obstante, spatio trium annorum 200,000 in Helvetiam, Bataviam, Angliam et Germaniam fugerunt, ubique lubenter suscepti, in primis a Friderico Guilelmo Electore Brandeburgico, cui commoda, pace Westphalica sibi concessa in Germania debebant. Qui vero in Gallia remanserunt, omnibus juribus privati fuerunt, quae tamen eorum posteris Ludovicus XVI a. 1787 restituit (*a*).

§. 24. *Novationes religiosae in Belgio.*

Etiam in Belgium penetrarunt novationes religiosae, contra quas jam Carolus V severas leges ediderat. Philippus II ejus filius et Hispaniae Rex, cui Belgium parebat, ad neotericos supprimendos anno 1559 14 novos Episcopatus et tribunal inquisitionis erexit. Utrumque tum Protestantibus, tum Catholicis displicuit; praecipue vero contra tribunal Inquisitionis an. 1565 foedus inter se inivorunt. Cum protestantes seditiones excitarent, et in Catholicos nefanda committerent, Philippus, an. 1566 seditiosos armis edomuit; ad seditiosos

(*a*) Histoire eccl. des eglises reformés du Royaume de France Antuerp. III. Vol. 8., Benoit histoire de l'Edit de Nantes; Bossuet hist. des variations t. 2. l. 10, Valch hist. Relig. Part. VI p. I. seqq.

vero et haereticos puniendos et penitus extirpandos, revocata Margaritha sorore sua et Belgii gubernatrice a. 1567 Ferdinandum Ducem de Alba cum 10000 militum in Belgium misit, qui poenis et exactionibus in Belgas saevit ita, ut multa millia ad Guilelmum Principem Arausoniensem fugerent. Guilelmus collectis in Germania copiis an. 1568 Belgium invasit, magnamque partem Hollandiae et Schellandiae occupavit. Philippus territus a. 1573 Ducem Albanum revocavit, eique substituit Ludovicum de Zuniga, sub quo bellum continuatum est. Cum milites Hispani urbes et alia loca depraedarentur, nominatim Antuerpiam, Ordines aliarum provinciarum cum Arausionensibus foedus pepigerunt, pacificationem Andegavensem dictum. Tandem Guilelmus effecit, ut provinciae septemtrionales Utrajecti a 1579 unionem inirent contra omne Hispanorum dominium. Ita factum, ut ex 17 provinciis, in quas Belgium est divisum, 7 ab obedientia Regis Hispaniae se subduxerint, et Belgium foederatum seu Hollandiam constituant, residuis 10 Belgium Catholicum formantibus (*a*).

§. 25. *Arminiani et Gomarristae.*

In Belgio inter Calvinianos lis orta est de praedestinatione inter Jacobum Arminium et Franciscum Gomarrum Theologiae professores Lugduni Batavorum. Jacobus Arminius a. 1604 dogma de gratia universali suis auditoribus proponere non dubitavit, asserens: Deum non absolute, sed propter fidem Christo adhibitam, aut denegatam ad vitam vel ad mortem aeternam praedestinasse; unde sequebatur praedestinationem non esse absolutam, hominemque libero haud exercere arbitrio. Hanc Arminii doctrinam impugnavit Franciscus Gomarrus. Cum vero uterque asseclas nancisceretur, ortae sunt duo factiones *Arminianorum et Gomarristarum*, quae mutuo dictis et scriptis se lacessiverunt. Potestas civilis partes litigantes, institutis etiam colloquiis, ad mutuam pacem perducere conabatur, sed frustra; Gomarristae enim ad Synodum generaliorem provocabant, denegato Magistratui jure eas definiendi. Mortuo a. 1609 Arminio, ejus asseclae turbarum et depravatae Religionis ab adversariis accusati, Ordinibus Hollandiae a. 1610 libellum, *Remonstrantiam* inscriptum, a quo *Remonstrantes* dicti sunt, exhibuerunt. Huc libello Gomarristae alium opposuerunt, *Contraremonstrantiam* dictum, unde *Contraremonstantes* vocati fuere. Cum unio obtineri non posset, au-

(*a*) Janianus Strada de Bello Belgico, Materen descript. de bello Holland.

ctoritas civilis an. 1613 vetuit coram populo de praedestinatione loqui et Arminianos prosequi, cui decreto vehementer se opposuit civitas Amstelodamensis. Tandem an. 1617 decretum est, ut Synodus haberetur, cui plerique Ordines Hollandiae reclamabant. Reclamantium primarios, et inter hos Hugonem Grotium, Mauritius Belgii domi, militiaeque praefectus carceribus mancipari jussit. Remoto hoc obstaculo Synodus coaluit Dordraci in Hollandia a. 1618, cui interfuere Theologi ex variis Ecclesiis reformatis, Simon Episcopius primarius Arminianorum theologus et 12 alii horum doctores. Arminiani postularunt, ut utraque pars de materia controversa inter se conferret, sola Scriptura Sacra ceu norma haberetur et lites amice componerentur, quod si obtineri non posset, Magistratus quid et quomodo docendum sit praescriberet. Synodus has Arminianorum postulationes rejecit, et decretum de materia controversa sed ad mentem infralapsariorum (i. e. eorum, qui deserto horrendo Calvini commento de praedestinatione ante et supra lapsum facta, hanc infra vel post lapsum factam fuisse statuebant) condidit, et a. 1619 in Ecclesia principali publicavit. Porro Synodus Remonstrantes condemnavit, et postquam sententia condemnationis ab Ordinibus approbata fuit, eorum praedicatores depositi et in exilium missi sunt. Arminiani profugi divisi sunt in duas sectas, nimirum *Rhenoburgorum* ab urbe Rhenoburgo, ubi praecipuam sedem habebant, et *Collegiantium* e Conventibus, qui Collegia dici consuevere (*a*).

§. 26. *Unitarii.*

Postquam Novatores docuerunt, solam Scripturam Sacram esse Religionis fontem, a quovis interpretandam, inde ab an. 1530 plures emerserunt, qui principio illo utentes, fundamentale Religionis christianae dogma de divina Trinitate negarunt. Ex his notatu dignior est Michael Servetus, a quo asseclae etiam Servetistae, a. 1509 Villanovae in Aragonia natus, ingenii acumine praeditus, et in omni scientia versatus. Absoluto Parisiis studiorum curriculo, a. 1531 librum in lucem edidit sub titulo: de erroribus Trinitatis, et anno sequenti duos libros dialogorum de Trinitate publici juris fecit. Peragratis postea variis Europae regionibus, tandem Viennae in Gallia substitit, ubi artem medicam summa cum laude exercebat.

(*a*) Gaspar Brandt hist. vitae Jacobi Arminii, et Hugonis Grotii, Limborch vit. Episcopii, Gerard Brant hist. Reform. in Holland., Halea hist. Conc. Dordr.

Ibi anno 1553 alium librum typis vulgavit, qui in fronte titulum gerebat: Christianismi restitutio. Cum autem dogma Trinitatis everteret et de Christo cum Paulo Samosateno sentiret, fuit comprehensus et carceri mancipatus; quo feliciter elapsus, cum in Italiam se recipere vellet, Genevae, agente Calvino, qui eum blasphemiae et haereseos accusavit, a. 1553 a Magistratu capitis damnatus lento igne combustus est. Ejusdem farinae homines erant illi, qui a. 1546 ad Religionem a divina Trinitate aliisque mysteriis purgandam Vicentiae in societatem coaluerunt, post aliquot tempus a Senatu Reipublicae Venetae detectam et dissipatam. Horum et aliorum Antitrinitariorum nonnulli in Poloniam se contulerunt, ubi sub Rege Sigismundo, postquam viros nobiles et eruditos suis laqueis irretiverunt, a. 1565 in Synodo Petricoviensi a Protestantibus se separarunt, et peculiarem abhinc coetum efformarunt. Anno 1569 Joannes Sieniesky Podoliae praefectus, Rakoviam a se conditam eis incolendam dedit, unde *Rakovienses* vocati fuere. Ipsi tamen a primario dogmate de unica persona divina Unitarii dici maluerunt. Ex Polonia in Transylvaniam Unitariorum principia secum tulit et propagavit Georgius Blandrata, qui anno 1563 apud Pensilvaniae Principes architecti munere fungebatur, eorumque favore effecit, ut Unitarii ibi jus civitatis obtinerent *(a)*.

§. 27. *Sociniani.*

Novam Unitariorum systemati formam dedit Faustus Socinus a. 1539 Senis natus, cui adhuc juveni patruus Lelius Socinus, unus ex sociis Vicentinis, sententias antichristianas instillaverat. Has Faustus ex Lelii scriptis, quae post ejus mortem haeres coeperat, magis excoluit, et quo his coeptis liberius vacaret, an. 1474 Basileam se contulit, sistema suum jam ore et calamo aliis communicans. Anno 1579 Poloniam petiit, ubi Unitariis, irrito conatu, sua principia proposuit. Nihilominus scriptis, facundia, arte dialectica, politis moribus, pedetentim eorum benevolentiam adeo sibi captavit, ut non tantum sententias ab ipso propositas adoptarent, verum etiam ab eo a. 1654 mortuo *Sociniani* dicerentur.

Quae nunc horum fides fuerit, potissimum colligitur ex catechismo, quem Socinus incoepit, alii vero, eo defuncto, ad finem perduxerunt, et a. 1605 Racoviae in lucem ediderunt, unde catechismus Racoviensis dictus est. Juxta hunc: 1. Jesus Christus in Scriptura Sacra Unigenitus Dei filius allegorice

(a) Bergier dict. Theol. Klein.

appellatus, et propter suam altiorem dignitatem adorandus, est merus homo, qui mortuus est et resurrexit, non ut divinae justitiae satisfaceret, sed ut nobis exemplum constantiae in adversis, et certitudinem de nostra futura resurrectione praeberet. 2. Spiritus Sanctus, quo nomine in Sacris Litteris virtus quaedam divina, et ipse Deus subinde denotatur, proprie Evangelium Jesu Christi significat. 3. Primus homo a Deo mortalis creatus, nullam peccato naturae suae depravationem passus est. 4. Homo viribus naturalibus, et Dei auxilio adjutus potest exercere virtutem, quae ad salutem non minus necessaria est, quam fides in Christum. 5. Praedestinatio nulla datur, si quidem Deus liberas hominum actiones infallibiliter non praevidet. 6. Baptismus est vacuus ritus, quo quis Ecclesiae adscribitur, adeoque ad salutem minime necessarius. 7. Sacra coena est mera Christi commemoratio. 8. Nonnulli inter eos etiam poenarum aeternitatem negarunt. Ex his satis patet, rationem humanam propriam credendorum normam fuisse.

Quoad morum praecepta, fuerunt inter eos, qui militiae nomen dare, magistratum sequi, et poenas capitales irrogare, homini Christiano nefas existimarent. Habebant praedicatores et superintendentes, presbyteros et diaconos, qui Ecclesiam regebant et nonnumquam synodos celebrabant. Praeterea apud illos in usu erant generalis peccatorum confessio publice facienda, jejunium publicum, et severa disciplina ecclesiastica, ad quam excommunicatio spectabat. In Polonia et Transylvania coetus scholis instructi erant. At a. 1638 in Comitiis Varsaucensibus decretum est, ut Ecclesia, schola et typographia, quas Racoviae habebant, eis adimerentur, eorumque doctores in exilium mitterentur. Cum vero a. 1657 criminis perduellionis accusarentur, publico decreto jussi sunt vel ad sacra Catholicorum transire, vel Polonia excedere; ita secta in Polonia extirpata est. In Transylvania religionis libertatem et jurium aequalitatem conservarunt. In Anglia doctrinas Socinianorum propagare conatus est Joannes Biddle ludimagister, quo tamen mortuo etiam societas occubuit (a).

§. 28. *Schisma Anglicanum.*

Angliam praepararunt Vicleftae ad placita Neotericorum suscipienda. Henricus VIII Angliae Rex omnibus modis novationes religiosas supprimere studebat, a. 1521 assertionem septem Sacramentorum edidit adversus Lutherum, et Leoni X

(a) Sardius Bibliotheca Antitrinitariorum. Lubicanietzki hist. reform. Polon. Lanny histoire du Socinianisme.

dedicavit, a quo titulum defensoris fidei accepit. Idem tamen placitis Novatorum totam aperuit portam schismate, quo Ecclesiam Anglicanam a Romana separavit. Huic ansam dedit ejus in voluptatem carnalem proclivitas dispensante Julio II uxorem duxit Catharinam Ferdinandi Catholici regis filiam, viduam a fratre suo Arthuro relictam, quacum quinque genuit proles, omnes acerbo extinctae fato, excepta Maria. Thomas Valsaeus Cardinalis Episcopus Eboracensis et primus regni administer, ut aegre faveret Carolo V imperatori, cujus matertera erat Catharina, Henrico suasit sibi in matrimonium copulare Margaritham Francisci I Galliae regis sororem, praetexens nuptias cum Catharina non esse legitimas propter affinitatis impedimentum, in quo Papa dispensare non potuerit. Henricus amore captus Annae Bolenae Ducis Norfolchensis neptis Volsaei consilium avide arripuit, et anno 1527 a Clemente VII petiit, ut matrimonium nullum declararet. Pontifex Laurentio Compegio et Thomae Volsaeo Cardinalibus potestatem delegavit causam agnoscendi; at Catharina contra eos excepit, et a solo Pontifice judicari voluit. Cum Pontifex in angustias actus decisionem defferret, Henricus morae impatiens, suadente Thoma Cranmero an. 1530 causam Universitatibus Oxoniensi et Cantabrigensi in Anglia, Parisiensi in Gallia, aliisque in Hispania, Italia, Belgio, Germania, dijudicandam submisit. Academiae Anglicae et Parisiensis auro victae ad Regis nutum matrimonium nullum declararunt, reliquis pro ejus valore stantibus. Secundum hanc sibi favorabilem decisionem Henricus, annuente Thoma Cranmero clam Lutherano, et Guilelmi Vorani in sede Cantuariensi successore, a. 1533 Annam Bolenam sibi uxorem duxit, quae quinto mense Elisabetham ei peporit. Pontifex certior factus eodem anno sacrilegas nuptias damnavit, et Regem jussit Catharinam in thalamum recipere. Henricus pervicacior factus an. 1534 declaravit, matrimonium cum Anna Bolena validum, Episcopos in posterum non a Pontifice confirmandos, sed ab Archiepiscopo Cantuariensi, dispensationes aut facultates ab eodem Archiepiscopo, non a Sede Romana petendas, a sententia Archiepiscopi ad aulam regiam appellandum, Regem supremum Ecclesiae Anglicanae Caput esse. Rex crudelissime saevit in omnes, qui his decretis assensum, et sibi ceu Ecclesiae Capiti jusjurandum praestare recusabant. Poena mortis affecti sunt Joannes Fisther Roffensis, Thomas Morus, magnus regni Cancellarius, et Forest, Reginae Catharinae Confessarius. An. 1535 Thomam Cromvell laicum, suum in rebus ecclesiasticis Vicarium generalem constituit, eique visitationem omnium monasteriorum in Anglia demandavit. Is tot ac tantas de eis corruptelas re-

tulit, ut Senatus omnia claustra aboleverit, et omnia eorum bona ad se attraxerit. S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, quod contra Henricum II Ecclesiae libertatem defendisset, ad suum tribunal citavit, ceu perduellionis reum condemnavit, ossaque ejus exhumata comburi et cineres dispergi jussit. Reginaldi Poli ejus acta improbantis et profugi matrem et duos consanguineos ad mortem condemnavit. Annam Boleuam ab ipso incaestus cum fratre Georgio et adulterii accusatam a. 1535 publice capite minui praecepit. Duxit Henricus proxima die Joannam Seimer, ex qua anno 1537 natus est Eduardus, difficili partu, qui matri mortem attulit. Ea mortua matrimonium iniit cum Anna Cleve, quam repudiavit. Post hanc matrimonio sibi copulavit Catharinam Howard, quam adulterii praetextu ultimo affecit supplicio. Duxit adhuc Catharinam Parr, quae crudelissimo tyranno superstes fuit. Immanem et protervum Regem an. 1538 Paulus III excommunicavit, ejusque regnum interdicto subjecit. Henricus a. 1540 etiam Thomam Cromvell perduellionis et haereseos accusatum morti tradidit. Spatio 38 annorum, quibus regnavit de medio sustulit duas reginas, duos Cardinales, 20 Antistites, 13 Abbates, 500 Monachos, 12 Duces et Comites, 38 Doctores Theologiae et Jurisprudentiae, 398 homines diversi sexus et conditionis. Fatis cessit Londini anno 1547, intacta permittens dogmata Catholica. Postremis tabulis successores designavit Eduardum, Mariam et Elisabetham *(a)*.

§. 29. *Status Religionis in Anglia sub Eduardo VI.*

Res Religionis in deterius abierunt sub Eduardo VI Henrici filio. Decem annorum juvenis regnum auspicatus est sub tutela Eduardi Seimer avunculi sui, Ducis Sommersetani, novationum religiosarum studiosissimi. Hoc regni moderatore Thomas Cranmer Archiepiscopus Cantuariensis, uxorem duxit Osiandri neptem suam concubinam, quod ausus non fuerat vivente Henrico, qui Clericorum statuerat coelibatum. Eduardus, vel potius ejus avunculus confirmationem, transubstantiationem, communionem sub una specie, confessionem auricularem, extremam Unctionem, Missam, preces pro defunctis, signa crucis, sacras imagines, reliquias, coelibatum Clericorum abrogavit, altaria in mensas convertit, liturgiam in lingua vernacula praescripsit, dies festos ad exiguum numerum redegit, praelatos sibi resistentes deposuit, praecones haereticos

(a) Nic. Sandero Hist. Schism. Angl. Burnet hist. of. the church of Engl. Lond. 1679. Coblet Hist. Protest. Ref. in Angl., Berti, Alzog, Klein.

e Germania et Helvetia vocavit, poena mortis statuta in eos, qui Regem Caput Ecclesiae Anglicanae esse negarent. Novum editum est rituale, nova Bibliorum latinorum versio peracta. Cranmerus a. 1552 nova placita, a Senatu quoque approbata, 42 articulis proposuit. In eis Rex Ecclesiae Anglicanae Caput pronuntiatur, de Eucharistia Calvini doctrina proponitur, praedestinatio ad salutem absoluta docetur, praedestinatio ad miseriam silentio praeteritur, potestas ritus sacros instituendi et res fidei definiendi Ecclesiae tribuitur, ita tamen, ut nil statuere possit, quod in Sacra Scriptura non contineatur. Catechismus a Cranmero introductus multum contulit ad novas doctrinas celeriter propagandas. Malorum causa Eduardus Seimer scelerum suorum luit poenam, capite ob assassinii suspicionem amputato an. 1552. Rex autem Eduardus septimo regni anno, aetatis suae decimosexto mortem obiit a. 1553 *(a)*.

§. 30. *Sub Maria.*

Extincto Duci Sommersetano ceu regni Protector suffectus est Dudley, Comes Norvicensis, nunc Dux Northumberlandensis, qui filio suo uxorem dedit Joannam Grey Henrici VIII consanguineam, ut regiam dignitatem ad suam familiam pertraheret, cui consilio ipse Eduardus assensum praebuerat; sed Maria de omnibus suis hostibus triumphum egit. Reviviscere visa est Catholica Religio sub Maria, quae ut custos semper fuerat Religionis et pietatis, regna a. 1553 potita, princeps illi cura fidem catholicam restituere, restaurare templa, ritus omnes haereticos abolere. Igitur ambitiosum capitis Ecclesiae Anglicanae nomen deposuit, Acatholicis facultatem praedicandi et libros edendi ademit, pulsis heterodoxis, Theologos incorruptae doctrinae Academiis praeposuit, Buceri, Fagii et aliorum, quos Eduardus in Angliam advocaverat, cadavera exhumari, flammisque absumi jussit, reditum Cardinalis Reginaldi Poli regiae familiae agnati a Julio III impetravit. Cardinalis Polus Sedis Apostolicae auctoritate instructus, in publicis Comitiis Anglos a censuris ecclesiasticis solemniter absolvit, eisque injunxit, ut omnes leges contra Religionem catholicam et R. Pontificem latas revocarent. Caeterum Pontifex Episcopatus ab Henrico VIII erectos approbavit et bonorum ecclesiasticorum possessores non esse inquietandos promisit. Sed Regina bona ecclesiastica, quae Fisco regio obvenerant Ecclesiae tradidit et

(a) Sandero l. c. Barnet Hist. Angl. John. Lingard. Hist. Angl., Hume Hist. of Grent-Britain-of Engl., Annal. Berlin., Alzög.

viris religiosis sua Coenobia restituit. Anno 1555 severissimas poenas in haereticos statuit, Cranmerum multorum delictorum reum ad mortem condemnavit, eique Reginaldum Polum substituit, qui plura decreta Clero reformando apta reddidit. Denique ut fideles validiori patrocinio fruerentur, cum Philippo II Hispaniae rege matrimonium contraxit ita tamen, ut si regina absque prole decederet, ipse in Angliae regno non succederet. Verum in tanta christianae felicitatis spe Maria absque haerede anno 1558 e vita migravit, quam eodem die etiam Cardinalis Polus secutus est (a).

§. 31. *Sub Elisabetha.*

Mariae in Angliae regno successit Elisabetha Annae Bolenae filia: tametsi Henricus II Galliarum Rex proclamasset, Anglorum reginam Mariam Stuartam Francisco II filio suo nuptam eodem anno 1558. Ad Mariam quippe Stuartam regnum illud spectabat, postquam Bullis Pontificum et decreto parlamenti abjudicatum fuerat Elisabethae incertis irritisque connubiis procreatae. Erat enim Maria Henrico proximior et regni utriusque, Angliae nimirum et Scotiae haeres legitima. Elisabetha, spreto juramento, quod emiserat servandi Religionem catholicam, statim se Ecclesiae Anglicanae Caput nominavit, utramque potestatem usurpavit, praedicatores orthodoxos ad silendum coegit, Episcopos deposuit, Presbyteros carceribus mancipavit, incruentum Missae sacrificium abolevit, Sanctorum imagines et cultum inhibuit, omnes occupavit Ecclesiae redditus, novam Hierarchiam, novosque ritus, martyrologia et calendaria instituit, festa Domini, Sanctorum Apostolorum ac jejunia in piscatorum commodum retinuit, omnibus Protestantibus redeundi licentiam concessit, Matthaeum Parker Archiepiscopum, a quo reliqui regni Episcopi ordinandi erant, ab Episcopo Protestante ordinari curavit, ex 42 articulis ab Eduardo VI ad credendum propositis 39 tantum admisit, qui in synodo Londinensi approbati fuere a. 1562. In Catholicos, qui ei jusjurandum praestare, et nova sacra frequentare recusarunt, munerum ademptione mulctis, carceribus, cruciatibus animadvertit. Sub poena mortis vetuit Religionem Catholicam praedicare, ordinare Presbyteros, ad aurem Sacerdotis peccata confiteri, Clericos regno excedere jussit, complures eorum ultimo supplicio affecit. Nulli Catholicorum immanitas ejus pepercit, nec Mariae Scotorum reginae, quae in

(a) Annal. Bert. Joannes Alzog, Hist. Univ. Eccl. Christ., Klein hist. eccl. N. T.

Angliam an. 1567 confugiens, pro regno invenit bipennem; nam post diuturnos 20 annorum carceres, sententia judicum manu Elisabethae firmata, in publico foro Londini securi percussa est.

Merito igitur Pius V anno 1570 diris Elisabetham devovit (*a*).

§. 22. *Dissidia in Anglia exorta.*

Haeretici qui, regnante Maria patriam reliquerant, et in Germania ac Helvetia placita Calvinianorum adoptaverant, sub Elisabetha in Angliam reversi, Religionem ex catholicae Ecclesiae reliquiis purgatam volebant; unde *Puritani*, et quia sacris publica auctoritate introductis se non conformabant *Nonconformistae* dicti sunt. Hi Presbyteros Episcopis aequabant, propterea *Presbyteriani* nominati. Vice versa illis, qui Religioni ab Elisabetha statutae se conformabant, et Episcopos Presbyteris superiores esse asserebant, *Conformistarum* et *Episcopalium* nomen inhaesit. Hae sectae invicem se impetebant. In Puritanos ab Ecclesia dominante alienos regimen politicum severissimis poenis animadvertit. Defunctae an. 1603 in coelibi lecto Elisabethae successit Jacobus VI filius Henrici et Mariae Stuartae, quam illa, peremta matre, in aula sua retinuit. Sub eo regna Angliae et Scotiae in magnum regnum Britanniae coaluerunt, et regi nomen Jacobi I inditum est. Spes affulgebat, ut Religioni catholicae consuleret; at circumstantiarum torrente in hostium partem abreptus est. Ejus in regno successor Carolus I (30 Jan. 1649) Religionis causa capite minutus est, et Oliverius Cromvell, proclamata republica, summa rerum potitus; quo rerum statu durante, cum nonnulli Theologi nimis latam salutis viam aperire viderentur probroso *Latitudinariorum* nomine notati sunt. Mortuo a. 1659

(*a*) Maphaeus Barberinus, postea Urbanus VIII P. M. piissimae reginae exequias hoc epitaphio exornavit.

Te quamquam immeritam ferit, o Regina, securis,
Regalique tuum funus honore caret:
Sorte tua gaude, moerens neque Scotia ploret:
En tibi pompa tuas quae decet exequias.
Nam tibi non paries atro velatur amictu,
Sed terras circum nox tenebrosa tegit.
Non tibi contextis lucent funalia lignis,
Sed coeli stellae: Naenia tristis abest:
Sed canit ad feretrum Superum Chorus Aliger, et me,
Coelesti incipiens voce, silere jubet.

(*b*) Cobbet Hist. Reform. Protest. in Angl. John Lingard Hist. Angl., Annal. Bert. Klein Hist. Eccl. Alzog. Hist. Eccl.

Cromvello, Carolus II ad solium patris evectus Episcopos ab Oliverio Cromvell sublatos restituit, et Puritanos insectatus est. Inde nova dissidia orta, quae ut sedaret Carolus a. 1672 in favorem Puritanorum decreta tollerantiae promnlgavit, irrito tamen conatu; quapropter Magistratus plura eorum millia partim carcere, partim pecunia mulctarunt. Post mortem Caroli II an. 1685 secutam, solium Anglicanum conscendit ejus frater Jacobus II, qui cum Religionem catholicam in Anglia dominantem reddere conaretur, Anglorum odium adeo in se concitavit, ut hi a. 1688 ejus generum Guilelmum Principem Acausoniensem, et Belgii foederati gubernatorem in auxilium vocarent. Is cum classe copiis instructa in Angliam venit, et Jacobum in captivitatem redegit, e qua tamen feliciter elapsus in Galliam fugit, ubi e Regis Ludovici XIV beneficentia vitam sustentavit. Guilelmus rex ab Anglis salutatus a. 1689 decretum tollerantiae edidit, quo omnibus sectis, Socinianis et Catholicis exceptis, liberum religionis exercitium concessit. Nihilominus vetus illud dissidium Episcopales inter et Presbyterianos, quibus *Independentes* se junxerunt, renovatum et ad nostram usque aetatem continuatum. Non solum de regiminis ecclesiastici et cultus divini forma; sed etiam de aliis capitibus acriter invicem disputarunt Theologi Anglicani. Eorum non multi, praeter articulos ad credendum propositos, regiminis formam, et lithurgiam praescriptam rigidiorem vivendi rationem invexerunt, a qua *Methodistae* dicti sunt. Primi eorum parentes Joannes et Carolus Wesley, quibus se postea adjnnxit Georgius Witefield, orator eximius, in promovendo et augendo pietatis studio praecipuam suam operam collocarunt (a. 1729). Sed ita rem omnem egerunt, ut mox in fanatismi suspicionem adducerentur. Episcopus Londinensis a. 1739 litteras pastorales edidit, in quibus gregem sibi commissum admonuit, ut phantasmata Methodistarum caveret. Anno 1740 divisi sunt in *Weslejanos*, qui auctoris sui sententiam de universali hominum ad salutem aeternam praedestinatione, et Witfildianos, qui Calvini decretum defendunt. Ex Methodistis a. 1844 in America orti sunt foederati christiani, quorum scopus est Bibliorum versiones propagare, condemnati eodem anno a Gregorio XVI. In Universitate Oxoniensi a. 1834 Doctor et Professor Theologiae Pusey, a quo asseclae *Puseistae* nominantur, tradere incoepit principia a Catholicorum principiis non multum discordantia; unde spes affulget complures Anglos ad Ecclesiae Romanae gremium reddituros esse (*a*).

(*a*) **Saunders de origine et progressu Schism. Angl., Burnet Hist. Ref.**

§. 33. *Protestantismus in Scotia et Hibernia.*

Neoterici etiam in Scotia et Hibernia sua extulerunt vexilla. In Scotia novam doctrinam a. 1527 praedicavit Patricius Hamilton, Abbas Fermensis, extremo propterea supplicio affectus, quem secuti sunt alii. Jacobus V, Scotiae rex, quoddam sacrae inquisitionis tribunal instituit ad progressus pseudoreformationis cohibendos. Mortuo a. 1542 Jacobo V successit ejus uxor Maria, sub qua Novatores Cardinalem et Scotiae Primatem Beatonem occiderunt, et foedus inter se pepigerunt (1546-57). Rem Neotericorum quam maxime promovit Joannes Knox presbyter, jam a. 1542 a Beatono propter haeresim munere suo privatus, et exilio a regimine politico mulctatus. Geneva, ubi Calvini systema adoptavit, in patriam redux, suis concionibus populum ad sacra Catholicorum evertenda adeo inflammavit, ut altaria, imagines et monasteria destruerentur, Clerici tam saeculares quam regulares, aliique Catholici pessime tractarentur. Maria a Gallis adjuta seditiosos Protestantes armis aggressa est; at illi Elisabethae Angliae Reginae conjuncti eam e sua dignitate deposuerunt. Moerore confecta post dies octo obiit a. 1559. Interea nova sacra magnos progressus fecerunt. Mortuo a. 1560 Francisco II Galliae rege, Maria Stuarta, ejus vidua, in Scotiam reversa est (1561), et Henrico Stuarti, Comiti Darnlejensi, nupsit; sed tantis propter Religionem angustiis pressa fuit, ut Protestantes et praesertim Joannes Knox conarentur impedire, quo minus Missae sacrificium in ejus sacello domestico celebraretur. Praedicatores protestantes in suis sermonibus Reginam Jezabel, et maritum Achabum nominabant. Maria secundo viro a. 1567 a parricidis occiso, opera haereticorum Comiti Bethuelio, nefarii parricidii auctori, iterum nupsit, atque ab iisdem haereticis, tamquam in mariti necem conspirasset, traducta, in Angliam confugit, corona Scotiae filio suo Jacobo unius anni puerulo relicta. Regni administratio data fuit Murrejo spurio reginae fratri. Parlamentum catholicam Religionem abolevit; sub poena confiscationis bonorum, exilii et etiam mortis Missae interesse vetuit, et novam fidei formulam proposuit. Generalis conventus a. 1581 celebratus Episcopis munera ademit, et sub poena exilii functiones episcopales peragere prohibuit. Tandem a. 1592

in Angl., Gerdes Hist. Ref. Guilelm., Ouhols defens. Eccl. Angl., Dan. Neal history of the Puritanos, Joannes Alzog Hist. Univ. Eccl. Christ., Klein II. E. Annali delle Scienze Religiose, Hist. polit. Litter. T. VIII et IX. Ripisunbertt F. 1842 N. 36. etc.

systema Presbyterianorum ceu dominans fuit adoptatum ita tamen, ut communitati jus Presbyteros eligendi competat.

In Hibernia Parlamentum a Romano Pontifice se separavit. Henricum VIII ceu Ecclesiae Caput agnovit, et praedicatoribus Anglicanis facultatem fecit novam liturgiam introducendi. Sub Elisabetha Episcopi et Presbyteri catholici fuerunt vel exilio mulctati vel capite minuti, et ipsis Episcopi Anglicani suffecti. Sub Jacobi I regimine Catholici Religionis suae liberum exercitium non potuerunt obtinere; imo anno 1605 omnes Sacerdotes, sub poena mortis, jussi sunt patria excedere. A Comite Strafford Gubernatore gravaminibus pressi Hiberni anno 1641 arma capessiverunt: « pro Deo et Rege et patria; » sed ab Oliverio Cromvell victi et sub jugum missi sunt. Victorum 20,000 in Americam relegata fuere, et Catholicis sub poena mortis vetitum provincia Connautensi egredi. Anno 1678 Plunkatt Ecclesiae Catholicae in Hibernia Primas a testibus pecunia corruptis perduellionis accusatus, extremo supplicio affectus est. Saeculo XVIII Catholici Hiberni jure acquirendi bona privati, et ab omnibus muneribus publicis exclusi fuere, eorum matrimonia cum Protestantibus nulla declarata, et Presbyteris Catholicis sub poena mortis interdictum matrimoniis mixtis benedictionem impertiri; nihilominus regimen politicum novam metuens seditionem anno 1772 eis facultatem concessit paludes emendi, fidelitatis jusjurandum praestandi, et quosdam legatos ad Parlamentum mittendi. O'Conell, legatorum unus, pro patria et Religione catholica loquitur et operatur indefessus. (1844). Si Religio Catholica, post tot saevas persecutiones in Anglia, Scotia et Hibernia ad hodiernam usque diem existit, virtuti divinae est adscribendum (*a*).

§. 34. *Quakeri.*

Quakeri (trementes) dicti fuere illi homines fanatici qui in conventibus sacris agitabantur et tremebant. Georgius Fox Anglus, professione sutor, circa an. 1649 sub Carolo I praedicavit contra Clerum Anglicanum, honores externos, luxum, pompas, oblectationes, jusjurandum, bellum, judices, mercatores et varias revelationes ex sua exaltata phantasia desumptas in vulgus sparsit, quarum summa erat, homines ad internum lumen divinum ejusque inspirationes excitare. Quia utramque

(*a*) Buchanam Hist. rer. Scott. Memoires de Jacques Melvil, Gilbert. Stuart hist. of Reform. of Scottand, Robertsou hist., of Scott., Rock memoires Thomas Moore hist. of Irland. Hist. Polit. Blatter T. V. etc.

turbabat rempublicam vir fanaticus saepius carceri mancipatus fuit, ex quo demissus plerasque Angliae provincias peragravit. Nactus est plures asseclas non solum ex rudioribus, verum etiam ex praedicatoribus, litteratis et nobilibus, quos inter eminent Samuel Fischer, Robertus Berclay et Guilelmus Penn, celebris praefecti classis navalis filius. Hi confusas magistri ideas in sequens systema redegerunt. 1. Deus cuilibet homini particulam luminis divini indit, quae verbum internum, et quia a Christo descendit, Christus internus vocatur. 2. Ad excitandum lumen internum sensus a rebus externis abstrahere, eosque deprimere oportet. 3. Eo duce omnes homines, sine Religionis discrimine potuerunt semper et possunt ad salutis portum pervenire. 4. Idem lumen fons est et interpres perennis revelationum in sacra Scriptura contentarum. 5. Libri Sacri nec sufficientes, nec perspicui sunt, adeoque adhuc alio fonte opus est. 6. Ea sola luminis divini eloquia habenda sunt, quae neque sanae rationi, neque revelationi contradicunt. 7. Justificatio hominis, cujus fundamentum mors Christi est, per verbum internum efficitur. 8. Sacramenta sunt mere ritus.

Quoad doctrinam moralem attinet, bellum jusjurandum, decimas aliaque tributa ecclesiastica damnabant, caput denudare vel alios honores, ipso rege non excepto, exhibere, nefas declarabant, oblectationes, pompas et luxum evitare praecipiebant.

§. 35. *Eorum constitutio, cultus, mores et propagatio.*

Cum in omnibus sine sexus discrimine, lumen internum admitterent, peculiarem praedicatorum ordinem non habebant. Duplicis tamen generis ministri apud eos erant, nimirum Apostoli, qui ad sectam propagandam alio abibant, et *seniores*, qui in singulis coetibus pauperes et infirmos visitabant, stipem inter eos distribuebant, et ordini in conventibus sacris invigilabant. Ad haec ministeria omnes, qui apti videbantur, sine omni ritu solemni, nec in perpetuum assumebantur. Similiter omnes voce decisiva gaudebant in congregationibus, quas singuli coetus ad communes causas definiendas singulis mensibus instituebant. Praeter has habebant *majores*, ad quas pro negotiis majoribus tractandis plures coetus omni trimestre legatos suos mittebant, et *generales*, quae singulis annis cum Londini, tum in America celebrabantur, inter se communicabant, atque ita totius sectae unitatem conservabant.

Ad sacra bis die dominica, et alicubi etiam nonnullis diebus ferialibus convenire solebant, in quibus quisque, prout

a lumine divino agitabatur, nudato capite surgebat, et vel perorabat, vel in genua provolutus orationes fundebat, caeteris quoque surgentibus et viris caput denudantibus. Si nemini quid in mentem venisset, totus coetus in silentio discessisset. Aliis ritibus penitus carebant. In ipsorum Ecclesiis nil aliud reperiebatur, quam scamna ad utrumque parietem adaptata ita, ut in uno latere viri, in altero foeminae considerent.

In moribus *simplicitate, gravitate* et *affectuum moderatione* distinguebantur. *Simplicitatis* erat, quod aequalitatem inter se admitterent, honores externos nemini exhiberent, et luxum vitarent; *gravitatis*, quod oblectationes strepentes, lusus, cantum, commessationes, vallum pulchras artes a se arcerent, et pauca loquerentur; *moderationis* denique, quod affectibus suis dominarentur, neque facile iracundiam vel laetitiam motibus vehementioribus proderent.

Georgius Fox suam sectam propagavit in Anglia, in Scotia, in America septentrionali, in Batavia et Germania, fatisque cessit a. 1691. Ad magistri exemplum discipuli Apostolos miserunt in Italiam et Asiam. Guilelmus Penn a. 1681 a Carolo II Angliae rege impetravit, ut pro aere alieno, quod regimen anglicanum ei debebat, terram in America ad Dalavarum fluvium sitam, pleno jure, attamen Angliae subjectam ipsi concederet. Hanc terram a se Pensylvaniam dictam Pennius Religionis suae sociis incolendam obtulit tanto successu, ut multa eorum millia ex Europa et America eo migrarent, et Pensylvania principalis Quakerorum sedes evaderet. Pennius toto vitae suae tempore verbo et opere propagationem et prosperitatem suae sectae promovere studuit. Obiit an. 1718 (*a*).

§. 36. *Swedenborgiani. Sansimonistae.*

Emmanuel Swedenborg, filius Episcopi Protestantis, munere consiliarii apud metalli-fodinas in Svevia functus, a. 1743 venditavit se esse legatum a Deo in hanc terram missum ad Christi Religionem pristinae perfectioni restituendam, novamque Ecclesiam (coelestem Hierosolymam) fundandam. Docuit, Jesum Christum unicum esse Deum, qui ad viam salutis hominibus monstrandam de coelo descendit et humanam naturam assumpsit, divinam ejus naturam Patrem, humanam filium, ejusque vim Spiritum Sanctum nominari, solam fidem justificare hominem. Ex libris N. T. 4 Evangelia et Apocalypsim admisit, eaque arbitrarie interpraetatus est. Quidam Tafel

(*a*) Alberti Hist. Quaker. Klein Hist. Eccl. N. T.

Virtembergae ejus scripta deliriis referta in lucem edidit. Nactus est asseclas in Germania, Gallia, Anglia et America septentrionali. Fatis cessit a. 1772.

Anno 1830, quo seditio erupit, nova secta orta est in Gallia, cujus auctor Saint-Simon a. 1760 in eadem terra nobili genere natus sequentia principia praedicavit: Christianismus afflictorum est Religio; per praeceptum date Caesari, quae sunt Caesaris, humana familia in duas partes inaequales dispescitur; tristitia et gaudium in hoc mundo inaequaliter distribuuntur; anthitesis inter *το ideale* praesentis et *το reale* futurae vitae, quam industriae conatus magis evolvit et promovet, hanc terram in lacrymarum vallem mutat; Christiana Religio suam missionem implevit, eique necessario succedere debent dominatio et sapientia, quae omnem anthitesim tollant, et non tantum felicitatem pro futura vita, quemadmodum Evangelium spondet, sed etiam pro praesenti veritatem et realitatem procuret; Protestantismus, Christi Religionem absorbens et destruens, problema negative solvit, positivorum impletio, quae secundum aeternum Evangelium auream adferet aetatem, reservata fuit Saint-Simoni; ejus revelatio amplectitur spiritum et corpus, Deum sociat mundo, praesentat veritatem catholici spiritualismi et philosophici materialismi, in harmoniam adducit felicitatem et fraternitatem, quam Christi Religio promittit quidem, sed non largitur; omnes habent idem jus ad Dei proprietatem, quam ipse generi humano fendi instar dedit, nihilominus bonorum communitas non est introducenda, sed haereditatis lex sine exceptione abolenda; nulla familia ad agricolturam et abjectos labores est destinata; quilibet accipit secundum propriam capacitatem, societas directioni servorum Dei est subjecta; hierarchia constat Presbyteris, Theologis et Diaconis; Dei intuitu forma regiminis est *theoretica*; intuitu meritorum, virtutum et talentorum *aristocratica*, respectu boni promovendi, *democratica*. Haec principia ore et calamo propagarunt ejus discipuli Olindus, Rodriguez, Lechevalier et Lherminier; ast cum Enfantin, e sectae capitibus unus, novam revelationem in lucem proferret, mulieribus potissimum se devoveret, et polygamiam introducere conaretur, eum Rodriguez a. 1831 ceu apostatam condemnavit, et Sansimoniani bifariam sunt divisi. Lugduni anno 1832 solicitarunt operarios ad seditionem contra regimen politicum; quapropter conventicula fuerunt eis interdicta. Ita haec secta vix nata, mortua est in Gallia, et nonnisi in Aegypto reliquiae reperiuntur (*a*).

(*a*) Tafel Divin. Revel. Swedenborg. Gregoire histoire des sectes relig. Doctr. de S. Sim. Par. 1831. Lechevalier, enseignement contr. Mohler. Saint Simon.

§. 37. *Mulieres fanaticae.*

Catharina Theot Barautonii an. 1725 in Gallia nata eo dementiae venit, ut a. 1773 donum prophetiae sibi attribuens in vulgus spargeret, se esse Matrem Dei, secundam Evam, in hunc mundum missam, ad homines regenerandos. Patrocinio Domini Gerle, Prioris Carthusianorum, et Maximiliani Robespierre freta, et mulieribus stipata, conventicula celebrabat, et suae sectae nomen dare volenti, una ex mulieribus dicebat: « intra frater; veni homo mortalis ad immortalitatem, mater Dei aditum tibi patefecit. » Ita in sanctuarium introductus, accendebantur candelae, et disponebatur ad laudes Enti supremo canendas. Tum duae mulieres in genua provolutae ejus crepidas osculabantur, concinentes « gloria matri Dei » illa vero lavabat manus, dicens « Filii Dei, mater ejus est in medio vestrum. » Postea omnes adstantes osculabantur frontem Matris Dei, quae singulis manus imponens, ajebat « filioli mei, ego diligo vos omnes. » Hisce caeremoniis finitis, quilibet jurejurando spondebat, se velle usque ad ultimum vitae momentum gloriam Dei promovere. Mortua est in carcere an. 1793.

Phantasiae deliriis abrepta quoque fuit Clotildes Suzetta. Courcelles-Labrausse, Perigordii (1747) nata, et 19 annorum juvenis Tertio Ordini S. Francisci adscripta. Venustatem e vultu suo viva abigens calce, varia itinera ingressa est, ut populis sua deliria communicaret. Vaticinabatur, Clerum spoliandum, Ordines religiosos abolendos, nobilitatem extirpandam, bellis finem imponendum, unam societatem et in ea perfectam aequalitatem introducendam esse. Romam profecta, tantam habuit audaciam, ut summo Pontifici principia libertatis et aequalitatis exponeret, eumque ad dominii temporalis abdicationem exhortaretur. Jussu Pii VI in arce S. Angeli inclusa, et ad Directorii Gallici petitionem libertate donata, ex hac vita decessit in Gallia an. 1821.

Alia fanatica Joanna Lontheotte, prodiit Londini, quae sua fucata pietate plurimos sibi conciliavit, iisque persuasit, se a Deo mandatum habere omnibus sibi non adhaerentibus interitum mox secuturum annuntiandi, a quo soli ipsius sectatores salvi sint futuri. Hisce, in pignus salvationis epistolam promisit munitam sigillo non prius affringendo, quam ingruente mundi interitu. Ejusmodi epistolarum 144 millia sibi esse asseruit, secundum numerum in Apocalypsi praenuntiatum. Porro mentita est, se esse foeminam in Apocalypsi commemoratam, et Spiritum Sanctum sibi praecepisse, ut juxta descriptionem in Apocalypsi de 7 spiritibus et 24 senioribus,

ante thronum Dei stantibus, totidem ex suis discipulis viros eligeret. Libros quoque edidit deliramentis et blasphemiis refertos. Denique an. 1814 annos 65 nata, ventre intumescente, se novum Messiam, meliorem Ecclesiam conditurum in utero gestare eo eventu annuntiavit, ut ejus asseclae praetiosissimum pro infante nascituro apparatum compararent. Ast eodem anno ad exitum properante ante Messiae partum mortua, et cadavere a Medicis aperto non gravida, sed visceribus nimium extentis tumida deprehensa est, quo facto ejus sectatores a plebe insultati, lapidibus impetiti et dissipati sunt. Sequenti tamen anno eorum nonnulli per plateas Londini discurrebant, et Messiam advenisse clamabant *(a)*.

§. 38. *Causae celeris propagationis innovationum religiosarum.*

Mirum videri potest, sic dictam sacrorum reformationum tam celeriter Europae regiones pervasisse; ast si in causas inquirimus omnis evanescit stupor. Erant autem sequentes: 1. Doctrinae heterodoxae Marsilii Patavini, Vicleffi, Hussi, Joannis de Vesalia, Joannis Vessehi et sententiae liberiores Desiderii Erasmi Roterodamensis ac Philippi Burgundi, Episcopi Ultrajectensis populos ad novationes religiosas disposuerunt. 2. Studium litterarum antiquarum, eo tempore pervulgatum, effecit, ut multi principia liberiori sentiendi rationi faventia adoptarent, et litterarum elegantiae se ita assuefacerent, ut theologiam scholasticam, et cum ea doctrinam Catholicorum, tali involucro propositam, despicerent. 3. Status theologiae scholasticae, quae dum inutilibus disquisitionibus occupabatur, Religionis principia et dogmata illustrare, solidis argumentis stabilire, et contra heterodoxorum objectiones vindicare negligebat, adeoque discipulos suos adversariis impares dimittebat. 4. Mores depravati et in rebus theologicis ignorantia plurimorum Clericorum tam saecularium, quam regularium, laicis offendiculo erant, eosque omni erga se reverentia et fiducia privabant. 5. Varii abusus in Ecclesiam Dei insecti animos multorum reformationis desiderio aestuantes sacrorum reformationi conciliarunt. 6. Hos abusus jam patulos primum aggrediendo reformationis Antesignani, incultae plebi fucum fecerunt, sibi cordi esse maculas ab Ecclesia abstergere, non vero Religionem immutare. 7. Amor libertatis naturae humanae ingenitus gratam, jucundamque hominibus sensualibus red-

(a) Alex. Mazas Hist. de France, Bellaney Inpsustn etc.

didit sacrorum reformationem, quae a potestate ecclesiastica, Missae sacrificio, confessione auriculari, satisfactione sacramentali, jejuniis, abstinentiis, verbo a servitutis jugo liberationem praedicabat. 8. Speciosum principium, solam Scripturam Sacram esse credendorum et observandorum fontem, a quovis homine rationis compote et linguae guaro, interpraetandam, ejusque in linguam vernaculam versiones novae doctrinae accomodatae ingentem hominum fascinarunt et seduxerunt. 9. Dogma arridens de sola fide hominem justificante traxit eos, qui per viam latam ambulare cupiunt. 10. Coelibatus abolitio placuit Clericis tum saecularibus, quam regularibus utriusque sexus, qui etiam greges sibi comissos ad nova sacra perduxerunt. 11. Multorum consensum extorserunt Neoterici mediis subdolis, veluti sibi victoriam in disputationibus adscribendo, Religionem Catholicam ceu idololatriam, Pontificem ceu Antichristum, Sacerdotes ceu diaboli servos diffamando, abusus et superstitiones inter essentialia referendo. 12. Tandem Novatores amplam in rebus sacris potestatem et bona ecclesiastica concesserunt Principibus saecularibus, qui ambitione et lucri studio impulsi non solum ipsi ambabus ulnis sacrorum reformationem amplexi sunt, verum etiam subditos ad eam violenter pertraxerunt, ut factum legimus in Germania, Suecia, Dania, Hollandia, Helvetia, Anglia, Scotia et Hibernia.

§. 9. *Effectus Reformationis sacrorum.*

Tristes, quos produxit effectus sacrorum Reformatio, ad Religionem, mores, litteras et statum politicum referuntur. Quoad Religionem attinet, Neoterici, rejecta Jesu Christi Ecclesiae infallibili auctoritate, talem in religionis negotio invexerunt cogitandi libertatem, quae ad omnem religionem christianam radicitus evellendam perducit. Et reapse Reformatores praecipua Religionis Jesu Christi dogmata negarunt, alia adulterarunt, disciplinam ecclesiasticam inverterunt, salutaria statuta et instituta sustulerunt, et permulti eorum in purum delapsi sunt rationalismum.

Qualis morum corruptela ex sacrorum reformatione fluxerit, colligitur ex mutuis litibus, odii, conviciorum et persecutionum plenis, ex sorte Michaelis Serveti, ex Synodo Dordracensi, aliisque eventibus permultis. Lutherus ipse posterioribus vitae suae annis conquestus est, mores Vittenbergensium, caeterorumque, quibus praeerat, multum deteriores redditos fuisse. Subsequis temporibus perditos fuisse Protes-

tantium mores testantur Godefridus Arnoldus in sua historia ecclesiastica, Spenerus et alii de partium studio minime suspecti. Quid mirum! Dogma: « sola fides justificat et salvat hominem » honestatis studium inter Protestantes non potest non enervare.

Perperam gloriantur Protestantes, se litteras profanas ad apicem perduxisse, cum ex historia pateat, non ex sacrorum reformatione, sed ex restaurata superiori periodo litteratura antiqua, et enato inde fervidiori frequentiorique scientiarum amore, earum incrementa descendisse; post vero reformationem plura fuerunt tam in Catholicorum, quam in Protestantium coetu, quae rem Litterariam illustrandi, et promovendi occasionem dederunt. Si in Theologiae sanctuarium oculos conjiciamus, videmus Neotericos ansam solum Catholicis dedisse antiqua historiae ecclesiasticae monumenta evolvendi et perscrutandi, doctrinas Religionis praesertim controversas, majori studio et cura, novisque argumentis comprobandi et vindicandi. Generatim systema protestantium Theologiae magis nocuisse, quam profuisse, nemo inficias ibit.

Tandem sacrorum reformatio pacem et tranquillitatem reipublicae civilis turbavit, mutui amoris vincula dissolvit et inter Christianos, quos prius sacer unius Religionis sanctissimae nodus arcte constringebat, tot ac tanta jurgia, odia, inimicitias, persecutiones et bella genuit, ut pleraeque regiones, in primis Helvetia, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia et Germania concuterentur, dilaccrarentur, et humano sanguine foedarentur.

CAPUT VII.

DE RITIBUS, MORIBUS ET DISCIPLINA ECCLESIAE JESU CHRISTI.

§. 1. *Nova Festa.*

Circa ritus notandum, quod festis hactenus introductis nova quaedam accesserint. S. Pius V instituit festum B. V. Mariae de Victoria in memoriam victoriae de Turcis in pugna navali apud insulas Echinadas relatae. Innocentius XI festum Nominis Mariae ad universam Ecclesiam extendit. Benedictus XIV festum VII gaudiorum B. V. Mariae introduxit. Clemens XI festum Ss. Nominis Jesu secunda Dominica Januarii ubique celebrare jussit, festum Conceptionis B. V. Mariae ad universam Ecclesiam extendit, et festum Rosarii dominica prima Octobris celebrandum universale reddidit eo quod victoria a Carolo VI reportata de Turcis, et Corcyra non multo post so-

luta, supplicationibus Sodalitatum Rosarii adscribebatur. Ad nonnullorum terrae Principum petitionem Benedictus XIV festos dies ad eos restrinxit, qui hodie adhuc a Catbolicis celebrautur, imposita fidelibus iu festis abolitis sacrum audiendi obligatione, a qua, postulantibus aulis, Clemens XIV eos liberavit. Generatim periodus V ritibus ecclesiasticis baud fuit propitia, quemadmodum ex reformationibus in Italia, Austria et Gallia susceptis patet *(a)*.

§. 2. *Mores Christianorum.*

Quamquam Cbristianorum mores partim per salutaria Concilii Tridentini decreta, partim per studium quorundam Episcoporum piorum, quos inter S. Carolus Borromaeus, et S. Franciscus Salesius eminuerunt, et partim per Ordines religiosos, qui pietatis restaurationem, et religiosam juventutis educationem prae oculis habuerunt, in melius fuerint mutati: nihilominus posterioribus hujus periodi saeculis mornm corruptela ad culmen pervenit. Non opus est eam describere, quam oculis nostris conspicimus, omnique ex parte persentiscimus. Id solum commemoramus, vitia hujus aevi principalia esse ingens quoddam voluptatum sensualium desiderium ac studium, incredibilem de propria intelligeutia et praestantia superbiam, et effraenem suipsius amorem seu egoismum, qni subjectionis jugum excutere, et societatis vincula solvere conatur. Sed injustus foret, qui non concederet, hanc quoque aetatem variis praerogativis moralibus, variisque virtutibus uituisse. Erant sane in toto orbe catbolico permulti, qui vitae sanctitate Ecclesiam Dei illustrarunt, omniaque adversa, bonorum jacturam, carceres, tormeuta, imo ipsam mortem pro vera Jesu Christi Religione pertulerunt. Quod vero huic aevo praecipue laudi tribuendum, est quaedam erga afflictos beneficentia, de qua tot instituta pro orphanis, pro pauperibus, pro infirmis, pro mutis, aliisque miserabilibus personis condita testimonium perhibeut.

§. 3. *Reformationes Monachorum, Maurini, Trappistae, Observantes, Conventuales, Reformati, Cappuccini, Augustiniani, Carmelitae discalceati.*

In Gallia an. 1618 celebris coaluit Congregatio Maurinorum, a S. Mauro S. Benedicti discipulo, qui in Gallia

(a) Klein Hist. Eccl.

primum Benedictinorum monasterium fundaverat, sic dicta et a Gregorio XV approbata. Haec, S. Benedicti regulae nova quaedam statuta addidit, et proprium generalem Ministrum sibi selegit, qui domicilium fixit Parisiis in Claustro S. Germani, et cui mox 150 religiosae familiae se subjecerunt. Ex Maurinis alii verbum Dei praedicabant, confessiones excipiebant, aliasque functiones sacras obibant, alii juvenes, potissimum nobiles educabant atque erudiebant. Maurinorum congregatio babuit in suo gremio viros celeberrimos de historia ecclesiastica, patristica, diplomatica optime meritos, quos inter eminuerunt Mabillonius, Montfoconius, Ruinartus, Martenius, Durandus etc.

Austeram et hominibus gravia delicta expiaturis accomodatam reformationem fecit Joannes Bouthillier de Rance in Monasterio Cisterciensium, la *Trappe* dicto. Is natione Gallus, et nobilissima prosapia ortus, postquam usque ad annum aetatis 38 vitae licentiori indulsisset, mortua Ducis Montbazon uxore, amasia sua, adeo commotus est, ut Monasterium illud, suis in fundis situm, ingressus, atque Abbas creatus Monachos suos, quibus Trappistarum nomen inhaesit, ad rigidissima instituta admittenda permoveret (1664). Vi horum debebant ab hominum consortio segregati vivere, perpetuum silentium servare, preces diu noctuque in choro persolvere, labori manuum vacare, oleribus et fructibus vesci, super palea induti dormire, quotidie vesperi sepulchra fodere ad refricandam mortis memoriam. Ob nimiam austeritatem Reformatio haec paucos habuit sectatores. Anno 1843 nonnulli Trappistae ex Gallia, in Africam transeuntes, ibidem unum Monasterium excitarunt.

Jam praeterita periodo filii S. Francisci erant divisi in *Rigidos* et *Laxos*. Rigidorum variae existebant Congregationes, quarum celebrior erat illa fundata in Italia a. 1368, a Paulino, qui a Thoma Ferignano. Ordinis Seraphici Ministro Generali licentiam obtinuit cum quibusdam sociis vitam solitariam agendi, et Regulam S. Francisci strictissime observandi. Leo X has Franciscanorum divisiones aegre ferens, sollicitatus etiam ab Imperatore Maximiliano, aliisque Regibus et Principibus, statuit omnem discordiarum fomitem extinguere, et dissidentes ad concordiam redigere. Hunc in finem an. 1517 Capitulum Generale Romae in Conventu Aracaelitano celebrandum indixit, in quo cum laxi rigidam regulae observantiam recusarent, summus Pontifex Rigidis demandavit ut nomina diversarum Congregationum deponerent, et in posterum solo *Fratrum Minorum regularis Observantiae* aut breviter *Observantium nomine* es-

sent insigniti. Ita Leo X omnes Rigidos in unum congregavit, ipsisque facultatem fecit Ministrum Generalem totius Ordinis eligendi, cui, ceu legitimo S. Francisci successori, sigillum Seraphicae Religionis tradidit. Laxis vero Christi Vicarius jus concessit nominandi Superiorem *Magistri* titulo ornandum ea conditione, ut a *Ministro Generali Ordinis* confirmaretur. Ast Laxi hac dispositione haud contenti, omnem lapidem moverunt ut evaderent omnino independentes. Reapse temporis progressu a Sede Apostolica jus obtinuerunt proprium Ministrum Generalem habendi. Ita factum, ut ex una radice duo pullularent germina. Rigidis *Observantium* ab austera regulae observantia, Laxis *Conventualium* a Conventibus nomen inhaesit. Conventuales etiam Minoritae vocari consueverunt. Observantes reformarunt Joannes de Guadalupo, et Petrus Melpar hispani, qui an. 1518 Romam venientes a Ministro Generali Sichetto varia monasteria obtinuerunt, in quibus regula S. Francisci stricte observabatur. Inter reformatores Ordinis Seraphici eminuit Petrus de Alcantara, qui fratribus suis asperrimum vitae genus praescripsit, et a Julio III amplissima impetravit privilegia. Ili in Hispania *Excalceati*, in Gallia *Recolecti*, et in Italia *Reformati* vocabantur, tria unius Reformationis nomina. Stephanus Molina an. 1533 a Clemente VI favorabilem obtinuit Bullam « In Suprema etc. » qua Pontifex Reformatos approbavit. Tandem Urbanus VIII edita anno 1639 Bulla quae incipit « Injunctis » decrevit, ut observantes et reformati, communem haberent Generalem Ministrum *(a)*.

Cappuccinis originem dedit Matthaeus de Bassi, a loco natali in Ducatu Urbinatensi ita dictus, frater laicus ex Ordine Franciscanorum Observantium, qui cum a Sacerdote Monasterii Montis Falconis audivisset, S. Francisci habitum cucullo acuminato instructum fuisse, desiderio flagrans, Fundatorem suum in hac quoque re imitandi, mox tale vestimentum sibi confecit. Intelligens autem, hanc novitatem a suis haud concessum iri, anno 1525 clam Romam petiit, atque a Clemente VII impetravit, ut sibi et asseclis suis talem habitum gestare et ubique verbum Dei praedicare liceret ea tamen lege, ut in eremis viverent et ad contestandam Provinciali suam subjectionem quotannis in Capitulo provinciae se sisterent. Matthaeus in Marchia Anconitana sedem suam figens non paucos imitatores nactus est, qui ad arcendas Ob-

(a) Wading. ad ann. 1532. n. 1. Helyoth Hist. des ordres mon. Klein H. E. t. 2. p. 609, Coronelli Hist. Relig.

servantium persecutiones Conventualibus accesserunt. Tandem, intercedente pro eis Ducis Camerini uxore, Pontificis nepte, an. 1528 a Clemente VII sub nomine Congregationis fratrum minorum conventualium de vita eremitica Cappuccinorum approbati sunt. Anno sequenti Cappuccini in Capitulo Matthaeum de Bassi Vicarium generalem, Ministro generali Conventualium subjectum elegerunt, et nova statuta pro Ordine suo condiderunt, inter quae erant; unicum ferculum ex carne et jusculo constans prandentibus quotidie apponendum et solis diebus festis lactucam addendam, feria quarta carnibus abstinendum, in itinere pedibus incedendum, ab Ecclesiis aurum, argentum et sericum arcendum, certis diebus corpus flagellandum, aliis silentium observandum, nulla missarum stipendia accipienda esse. Matthaeus post duos menses munus suum deposuit, et paulo post ad Observantes rediit. Eidem successit Ludovicus de Fossembruno, qui propter importunam severitatem et dominandi cupidinem an. 1536 ex Ordine ejectus est. Huic Cappuccini substituerunt Bernardinum Occhinum, a vitae sanctitate et sacra eloquentia clarum; ast hic clam deserta Italia ad Protestantes transiit et uxorem duxit. Hanc ob causam Ordo Cappuccinorum in haeresis suspicionem incidit, et aliquot annis facultate praedicandi privatus est. Postquam autem Cappuccini suam orthodoxiam probarunt, per omnes terras propagati sunt. Progressu temporis, derelicta vita eremitica, a Paulo V an. 1619 jus proprium et independentem Ministrum generalem sibi eligendi obtinuerunt.

Reformationi inter Augustinianos eremitas ansam dederunt octo hujus Ordinis Missionarii in Hispania, qui a. 1533 in Mexicum profecturi calceamenta deposuerunt, et vestem e lana crassiori confectam adoptarunt. Eorum exemplum mox plures secuti alias austeritates addiderunt, quas cum caeteri repudiarent, facta separatione, nova Augustinianorum Congregatio exorta est, a Sixto V an. 1585 approbata, cujus membra *Augustiniani discalceati* nominari consueverunt.

Similem reformationem in majori abstinentia, rigidiori jejunio, viliori vestitu, flagellationibus et frequentioribus precibus consistentem inter Carmelitas in Hispania suscepit S. Theresia, an. 1515 Abulae nobili genere nata, et vigesimo aetatis anno Ordinem Monialium Carmelitarum ingressa, quam approbavit Pius IV an. 1562. Eamdem inter Monachos sui Ordinis introduxit opera potissimum Joannis a Sancta Cruce circa annum 1560. Ili Monachi a nudis pedibus *Carmelitani discalceati* dicti sunt. Quoniam caeteri reformatis adversabantur, Clemens VIII an. 1600, data rigidioribus facultate pro-

prium Praepositum generalem habendi, Ordinem in duas Congregationes divisit (a).

§. 4. *Novi Ordines Religiosi; Theatini, Barnabitae, Sommascenses.*

Primus Theatinorum fundator fuit Cajetanus, nobili Thianaeorum prosapia Vicentiae natus, qui postquam in Urbe patria aliquandiu infirmis curandis, peccatoribus convertendis, et morti damnatis praeparandis operam dedisset, Romae Cleri emendationem meditari coepit. Cajetano se adjunxit Joannes Petrus Caraffa Episcopus Theatinus et Archiepiscopus Brundusinus in regno Neapolitano ad animarum salutem procurandum, atque ita societas coaluit, quam ingressi tria vota monastica emittere, et voluntariis fidelium donis vivere tenebantur. Clemens VII an. 1524 hunc Ordinem approbavit et Paulus IV nomen *Canonicorum regularium Congregationis Lateranensis* ei tribuit; nihilominus ab Episcopatu Caraffa, qui ad Summi Pontificis dignitatem sub nomine Pauli IV evectus est, vulgo *Theatini* vocati sunt. Propagati fuere in tota Europa.

Alium Ordinem fundarunt an. 1530 tres nobiles Mediolanenses, nimirum Antonius Maria Zaccaria, Bartholomaeus Ferrera et Jacobus Antonius Morigia, qui vota monastica emiserunt, et curam potissimum animarum sibi proposuerunt, Ordinem approbavit Clemens VII an. 1532. Eidem adscripti nominati sunt *Clerici regulares S. Pauli Apostoli*, quem sibi patronum et exemplar elegerunt; postea vero ab Ecclesia S. Barnabae, quae Mediolani, eis tradita fuit, *Barnabitarum* nomen acceperunt. Cum tardius Mediolani et Ticini litteras publice docerent, virosque eruditos et scriptores in gremio suo haberent, saeculo decimo septimo ita se commendarunt, ut in Galliam, Austriam, aliasque terras introducerentur.

Novam societatem fundavit S. Hieronymus Aemilianus, senatorio Venetorum genere natus, prius miles dissolutus, dein in captivitate calamitatibus ad meliorem frugem perductus. A gravi morbo liberatus poenitentiae et charitatis operibus totus se dedit, potissimum autem puerorum per luem pestiferam parentibus orbatorum curam gessit. Socios nactus an. 1531 in pluribus ditionis Venetianae urbibus Orphanotrophia erexit, ac tandem Sommascae in agro Bergomensi, unde socii *Sommascenses* dicti sunt, sedem suam fixit. Asseclis suis praescripsit, ut silentium servarent, orationes diu noctuque

(a) Helyoth. Hist. des Ordres monastiques.

ad Deum funderent, corpus castigarent, manuum labori vacarent, et ruriculas in religione instituerent. Hanc Congregationem an. 1537 approbavit Paulus III, Pius IV vero, praescripta ei regula S. Augustini, sub nomine Clericorum regularium S. Majoli, cui Ecclesia eorum Ticini sacra erat, inter Ordines religiosos retulit. Extra Italiam non erexerunt Monasteria *(a)*.

§. 5. *Jesuitae.*

Caeteros Ordines aemulata est Societas Jesu, cujus auctor fuit S. Ignatius nobilis Hispanus anno 1491 natus, qui accepto in defensione Pampelonae contra Gallos vulnere, mirabilibus Sanctorum gestis, quorum vitas in lecto decumbens legebat, excitatus, ut sanitati restitutus, post iter Jerosolymitanum, Barcinonae, cum esset annorum triginta, ad perdiscendam linguam latinam cum pueris in schola considere non est dedignatus. Compluto, ubi Philosophiae operam navabat, ad declinandam persecutionem contra se exortam anno 1528 Parisios ivit, qua in Urbe eo successu litterarum studia continuavit, ut an. 1534 Philosophiae magister renuntiaretur. Sex juvenes litterarum studiosos, nimirum Franciscum Xaverium, Petrum le Feure, Jacobum Lainez, Alphonsum Salmeron, Nicolaum Bobadilla et Rodriquez asseclas nactus in Ecclesia montis Martyrum prope Parisios votum de colenda omnimoda paupertate et de procuranda proximi salute emisit. Post tres annos prius Venetias, dein Romam profectus cum sociis, Faber et Lainetius munus docendi in universitate Romana, reliqui vero facultatem verbum Dei praedicandi a Sede Apostolica obtinuerunt. Tandem Paulus III an. 1540 Societatem Jesu non solum approbavit, et sub Sedis Apostolicae patrocinium constituit, verum etiam plurimis privilegiis exornavit. Ordini Fundatores sequentem dederunt constitutionem. Finis primarius Societatis est gloriam Dei et animarum salutem promovere. In candidatorum susceptione attendendum est ad Corporis sanitatem et formam, ad ingenium et facultatem cum hominibus conversandi. Rigidus duorum annorum novitiatus est praescriptus, in quo Novitii uno mense in exercitiis spiritualibus a S. Ignatio conscriptis vacare, alio infirmis ministrare, alio devotionis causa peregrinari mendicando, toto autem novitiatus tempore vilissima servitia domestica obire. Consuetis tribus votis quartum ad-

(a) Helyoth l. c. Holstenius, Codex regul. monastiear.

ditum fuit de missionibus suscipiendis ad nutum Romani Pontificis. Quoad paupertatis votum attinet Jesuitae possunt donationes sponte oblatas accipere, et ad mendicandum semper parati esse debent, Collegiis vero, in quibus litterae traduntur, licitum est habere fundos aliosque redditus in usum docentium et discentium. Singuli officium divinum recitant privatim. Omnes socii fuerunt divisi in tres classes, nimirum in *Scholasticos approbatos*, qui emissis tribus votis ordinariis altiores disciplinas in Collegiis docebant; in *Coadjutores Clericos*, qui ad Gymnasia et curam animarum applicabantur, mediumque inter Scholasticos et Laicos (hi dicebantur Coadjutores temporarii) locum tenebant; denique in *Professos*, qui post novam probationem quartum votum de missionibus suscipiendis nuncupabant, bisque potissimum impendebantur. Ex professis Ordinis Superiores eligebantur. Praepositus Generalis Romae residens sex expertos probatosque Assistentes ex Germania, Polonia, Gallia, Hispania, Lusitania et Italia electos ad latus habuit. Praepositi Generalis et Assistentium electio fiebat in Congregatione generali. Praepositus Generalis, interrogatis praevie Provinciali et tribus aliis Jesuitis prudentioribus Superiores inferiores designabat. Rectores Collegiorum, aliorumque Institutorum Superiores suorum subditorum talenta et moralitatem quolibet anno Praeposito Generali significare tenebantur. Jesuitarum Societas, faventibus terrae Principibus aliisque primi ordinis viris, intra breve temporis spatium tanta coepit incrementa, ut per totum orbem catholicum diffunderetur. Ast postremis saeculis validi hostes insurrexerunt in Jesuitarum ruinam conspirantes. Initium factum fuit in Lusitania, qua agente Josepho de Carvalho, Marchione de Pombal, Regio administro, an. 1759 exularunt. Dux de Choiseul, primarius Ludovici XV administer effecit, ut an. 1762 etiam in Gallia Jesuitarum Societas aboleretur. In abolitione suas habuit partes etiam Comitissa de Pompadour, quae cum aegrotaret et Patri Sacy Jesuitae peccata sua confessa fuisset, ad Confessarii mandatum aulam deserere noluit. Similis sors Jesuitis obtigit in Hispania sub Aranda Regis administro, in Ducatu Parmensi et in regno Neapolitano. Imo urgentibus Aulis Burbonicis ipse Pontifex Clemens XIV anno 1773 die 21 Julii universam Societatem suppressit edito Brevi, quam Catharina II Russiae imperatrix executioni non dedit. Pius VII editis an. 1814 apostolicis litteris Societatem Jesu restituit, quae in diversis orbis catholici provinciis revixit. In America Jesuitae tres Novitiatus habent, nempe in Marylandia, ad S. Ferdinandum in dioecesi S. Ludovici, et

in Canada. Dolendum, quod anno 1844 in Helvetia gravis contra Ordinem Jesuitarum exorta sit persecutio, cui ansam dedit liber Eugenii Sue in fronte gerens titulum: « Judaeus errans » in quo auctor turpi calumnia Jesuitarum famam proscidit. (a).

§. 6. *Fratres misericordiae, Patres Oratorii, Piaristae, Lazaristae, Redemptoristae.*

Novum Ordinem monasticum, curandis et sustentandis infirmis destinatum fundavit Joannes a. 1495 in Portugallia natus, homo laicus, qui post multos annos terras oberrando transactos a. 1540 Granatae in Hispania domum conduxit et infirmorum curae se dedicavit. Quia Dei misericordiam imitari videbatur, Episcopus Tuitiensis eum Joannem de Deo appellavit, et propriam vestitus formam asseclis praescripsit, qui *Fratres misericordiae* nominati sunt. Post mortem demum Joannis a. 1550 secutam Pius V a. 1572 Ordinem cum tribus votis monasticis et obligatione infirmos ex collectis eleemosynis gratis curandi approbavit.

Auctor Congregationis Patrum Oratorii fuit S. Philippus Nerius Florentinus, Romae philosophicis et theologicis disciplinis imbutus, et a juventute pietatis, salutisque animarum studio flagrans. Presbyter a. 1551 ordinatus Hospitale pro peregrinis erexit, in cujus Oratorio sacram Scripturam explicabat, et colloquia de rebus divinis instituebat. Paulus IV a. 1558 ei unam Ecclesiam dono dedit. Novi istituti fructibus permotus et asseclas nactus S. Philippus Nerius, in eadem Urbe Roma, Congregationem Patrum Oratorii dictam fundavit, a Paulo V an. 1612 cum suis constitutionibus confirmatam, cujus scopus praecipuus fuit, cultum divinum publice exercere, et exercitia spiritualia cum auditoribus instituere. Patres Oratorii vestitum Clericorum saecularium gestabant, et libertate Congregationem pro lubitu deserendi gaudebant. Ad exemplum S. Philippi Nerii etiam in Gallia Petrus Berullius Cardinalis a. 1611 Congregationem Patrum Oratorii Jesu instituit ad reformandum et excolendum Clerum Gallicanum, quam solemniter approbavit Paulus V a. 1612.

Ad parvulos in litteris et pietate instituendos saec. XVII S. Josephus Calasantius, nobilis Arago, Ordinem Patrum pia-

(a) Maffei Petrus l. 3. de vita et morib. S. Ignatii Loyolae, Petrus Ribadeneira in lib. V. de vita S. Ignatii, Extraits des assertions dangereuses etc., Schlegel Hist. Eccl., Dictata Mohelers, Annali d'Italia, Ephemerides Venet.

rum scholarum, vulgo Piaristarum fundavit. Abdicato Vicarii Generalis Episcopi Orgelitani munere, et Romam profectus cum in hac urbe pueros haud paucos rudes et sibi relictos reperiisset, in domo a se empta scholam aperuit, eosque litterarum rudimentis et pietate imbuere sategit. Eidem se adjunxerunt alii Clerici, atque ita a. 1600 exorta est Congregatio Presbyterorum, quam Paulus V et Gregorius XV ad Ordinis religiosi dignitatem cum tribus votis monasticis elevarunt, et statuta a S. Josepho Calasantio composita approbarunt. Postquam S. Josephus Calasantius munus Generalis Ministri deposuit, Ordo iterato in Congregationem mutatus est; sed Clemens IX Patres piarum scholarum eo induxit, ut tria monastica vota nuncuparent.

Congregationem Lazaristarum, vel Missionum, ad purgandas potissimum peccatorum conscientias destinatam, instituit S. Vincentius de Paulo, in pago Pouy pauperibus parentibus natus, in Conventu PP. Franciscanorum et in Universitate Tolosana disciplinis philosophicis et theologicis imbutus, et an. 1605 dum vigesimum nonum ageret aetatis suae annum a piratis captus et Tunetem in captivitatem abductus, a qua liberatus et in Galliam reversus, Curatoris animarum in parochia Aichensi, et in domo Comitis de Foigny paedagogi munus suscepit. Ansam fundandae Congregationis Vincentio dedit quidam subditorum suorum, qui cum hominum opinione gauderet, morbo afflictus horrenda crimina confessus est; qua occasione Vincentius, hortante etiam pia Comitissa, totam communitatem ad confessionem peccatorum generalem deponendam permovit. Perspectis salutaribus hujus rei fructibus familia Comitis de Foigny a. 1624 Lutetiae domum pro suscipiendis, et bona pro sustentandis sacerdotibus subministravit, qui identidem pagos visitarent, verbum Dei praedicantes et confessiones excipientes. Sacerdotes ad hoc munus paratos Vincentius collegit, eorumque directionem suscepit; sic coaluit Societas, quam Urbanus VIII, nomine *Congregationis missionum* a. 1632 solemniter approbavit. Ejus socii etiam *Lazaristae* dicti sunt, quoniam primaria eorum sedes apud Ecclesiam S. Lazari Parisiis erat. Ii, exactis duobus probationis annis, tria vota monastica emittebant, et stabilitatem in electa vitae ratione vovebant. Tardius etiam ad infideles Evangelii praedicandi causa se contulerunt. Propagati fuerunt per Galliam, Italiam, Hispaniam et Poloniam.

Congregationem SS. Redemptoris a Benedicto XIV an. 1749 approbatam, cujus socii *Redemptoristae* nominari consuevere, fundavit a 1732 Alphonsus de Liguori, Neapoli nobili genere natus, post strepitum forensem an. aetatis 26 Clero

adscriptus, anno 1772 Episcopus de S. Agatha Gothorum designatus, et a Gregorio XVI a. 1839 in Sanctorum album relatus. Fundator suis asseclis sequentes fines proposuit: vita regulari et ascetica perfectioni morali studere, ignorantes religione imbuere, perditos in viam salutis reducere, praecipiente Episcopo animarum curatoribus opitulari, juvenes in litteris et scientiis erudire. Anno 1818 civitas Triburgensis in Helvetia eos in sua ditione considere permisit, et a. 1828 Viennensis in Austria eis domum cum ecclesia et facultatem candidatos indueudi concessit (*a*).

Ad haec: nova virorum Congregatio prodiit salmauticae an. 1752 sub invocatione Jesu Nazaraeni; quamobrem Nazaraenorum communiter est dicta. Auctorem habuit Joannem Varella et Losada Hispanus, qui ejus constituendae et dilatandae causa plurima perpessus incommoda, supremum tandem diem obiit Ferrariae an. 1769 sanctitatis fama clarus. Eamdem postmodum Pius VI P. M. approbavit a. 1784, interque Ordines Religiosos recensuit, confirmavitque *Sacramentum*, quo ejus Alumni, praeter consueta tria vota, solemniter se obstringunt, *tuendi,* scilicet *Beatam Virginem Mariam ab noxa originis plane immunem fuisse.*

§. 7. *Sors Ordinum Equestrium.*

Ordinem Templariorum, agente Philippo Pulchro, a Clemente V abolitum fuisse jam alibi narravimus. Quoad Teutonicorum sortem attinet, ejus bona in pace Posaniensi an. 1806 inita Domui Austriacae concessa sunt ea conditione, ut semper unus ex Principibus sit Supremus Ordinis Magister. Occupata ab Auglis a. 1800 insula Melita, Ordinis Joanitici Sedes, Supremus Magister in Siciliam concessit. In congressu generali, annis 1814 et 1815 Viennae iu Austria habito, Ordo Joanniticus propriam et independentem sedem impetrare non potuit. Ferdinandus I Austriae imperator a. 1839 Ordinem Joanniticum in regno Longobardo-Venetiano restituit, et cum Sedis Apostolicae consensu in supremum Ordinis Magistrum elegit Joannem Baptistam Cappellari a Columba, Gregorii XVI nepotem, qui potestatem suam etiam in Equites Melitenses in Ducatibus Parmensi, Mutineusi, et Lucensi existentes exercet (*b*).

§. 8. *Moniales.*

Quemadmodum inter viros, ita inter foeminas familiae

(*a*) Helyot l. c. Holstenius Codex Regular. Monastic., Biedenfeld etc.
(*b*) Annali delle Scienze Religiose, Gazzetta di Venezia.

religiosae exortae sunt educationi juventutis, et charitatis operibus quamplurimum destinatae. S. Angela in agro Brixiensi nata an. 1506 personas sui sexus ad puellas educandas collegit, et sub S. Ursulae patrocinium constituit, unde *Ursolinae* nominatae sunt. Paulus III anno 1544 Ordinem approbavit. Victoria Furnaria a. 1605 Genuae virgines, quae a ceruleo vestibus colore vocantur *Coelestes*, in unum congregavit. S. Franciscus Salesius, Episcopus Genevensis, Anecii ubi residebat, a. 1610 Societatem fundavit, in quam confugere possent mulieres, quae ob corporis debilitatem, vel paupertatem, vel viduitatem, in aliis ordinibus non suscipiebantur, easque castitati et obedientiae simpliciter adstrinxit, nullum rigorem corporalem praescribens. Primam hujus Societatis directionem suscepit Joanna Francisca Fremiot, vidua Baronis de Chantal. Postea S. Franciscus Congregationem in Ordinem monasticum convertit sub regula S. Augustini, quem Paulus V confirmavit a. 1618 sub nomine Ordinis Visitationis B. M. Virginis; ab ipso tamen Fundatore etiam *Salesianae* dictae sunt. S. Vincentius de Paula a. 1618 fundavit *Sorores charitatis*, quarum scopus est infirmis omnis sexus et conditionis assistentiam praestare. Comitissa Magdalena de Canossa Veronae nata, ad medelam morum corruptelae ferendam, in patria sua a. 1808 fundamenta jecit Congregationis *Filiarum charitatis*, seu *Canossarum*, quae puellas plebeas instituunt. Candidatae ante induitionem per quatuor annos probantur; indutae unum annum in Novitiatu transigere debent, quo elapso vota simplicia emittunt. Votis nuncupatis adhuc per semestre manent sub Magistrae Novitiarum regimine, quo expleto numisma, ceu Instituti insigne accipiunt. Franciscus I Austriae imperator an. 1815 eis dedit Monasterium SS. Josephi et Fidelii Veronae, et Conventum S. Luciae Venetiis. Sedes Apostolica a. 1819 hoc novum Institutum confirmavit, et fuit propagatum in Italia et Tyroli. Leopoldina Naudet, ex Gallia oriunda, Veronae a. 1817 fundavit Ordinem sororum Sacrae familiae, eisque Jesum, Mariam et S. Josephum ceu exemplaria, quae semper prae oculis habere deberent, proposuit et normam vivendi praescripsit. Gregorius XVI P. M. hunc Ordinem confirmavit. Novum Ordinem Sororum B. V. Mariae septem Dolorum instituit Theodora de Campostrini, qui fuit approbatus a Gregorio XVI a. 1836. Emittunt Sorores tria vota solemnia, et non solum pietatis operibus, verum etiam puellarum educationi vacant (*a*).

(*a*) Mersolier, Annali.

§. 9. *Disciplina poenitentialis.*

Circa disciplinalem poenitentiam Concilium Tridentinum Sessione XXIV decrevit, ut pro peccatis publice commissis, e quibus alios scandalizatos fuisse constat, poenitentia publica imponatur, facta tamen Episcopis potestate ejusmodi poenitentiam, si consultius duxerint, in secretam mutandi. Sed rerum adjuncta, posterioribus temporibus, jam ita comparata erant, ut decretum istud vix executioni daretur. Attamen Benedictus XIII in Synodo a. 1724 Romae celebrata de restituenda publica disciplina poenitentiali serio cogitavit. De Indulgentiis Concilium Tridentinum definivit, earum usum esse populo christiano quam maxime salutarem, in eis tamen concedendis moderationem adhibendam, et abusus circa eas extirpandos esse. Secundum hoc decretum reapse Indulgentiae tum a Romanis Pontificibus, tum ab Episcopis impertitae sunt. Sic Benedictus XIII illis, qui vesperae ad sonitum campanae salutationem angelicam, nec non illis, qui Rosarium recitarent, indulgentias largitus est. Pius VII an. 1810 fidelibus in terris Austriacis, praescriptas conditiones impleturis, indulgentias plenarias in festo Sanctissimi Nominis Jesu et per totam ejus octavam lucrandas concessit (*a*).

§. 10. *Conclusio.*

Ex memorabilioribus Religionis et Ecclesiae Jesu Christi eventibus, earum statum ab exordio ad nostram usque aetatem perspeximus. Quod historia cujusvis aevi testatur, et data occasione saepius observavimus, nunc menti nostrae vividius obversatur, nimirum Ecclesiam Catholicam tot potentissimorum hostium insultus saevissimos sustinuisse et superasse ita, ut perpetua ejus victoria nonnisi virtuti divinae eam roboranti et servanti adscribi queat. Judaei et idolorum cultores, et inter hos Imperatores Romani, orbis terrarum Domini, calumniis crudelissimisque tormentis, per tria saecula in Christianos adhibitis, nascentem Ecclesiam non valuerunt supprimere; errores, haereses, schismata, quae non minus potentia, quam sapientia saeculi suffulciebantur, veritatem catholicam eradicare non potuerunt; barbaries, ignorantia, abusus, superstitio, morum corruptela, quae nonnunquam late per Ecclesiam grassabantur, semen divinae sapientiae et sanctitatis in ea reconditum non suffocarunt. Ecclesia a Christo fundata haec omnia obstacula superavit, e tot acerrimis pugnis semper victrix, e

(*b*) Conc. Trid., Klein Hist. Eccl.

tot sordibus semper purior et splendidior prodiit, et post 369 lustra in praeliis Domini transacta, venerabilem frontem nobilibus cicatricibus exornatam suis adversariis tabescentibus et pereuntibus ostendit. Haec, qualia in nullius alterius instituti vel civitatis historia occurrunt, evidenter demonstrant Salvatoris divini promissionem: « portae inferi non praevalebunt adversus eam » non fallere. Ecclesia catholica non solum usqne ad consummationem saeculorum perdurabit, verum etiam in diem magis dilatabitur et vegetior evadet, dummodo nos qui in sortem Domini vocati sumus depositum custodiamus, devitantes profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt, vigilemus, in omnibus laboremus, opus faciamus Evangelistae, ministerium nostrum impleamus, praedicemus verbum, instemus opportune, importune, arguamus, obsecremus, increpemus in omni patientia et doctrina, in omnibus nosmetipsos praebeamus exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, et gravitate, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent patrem nostrum, qui in coelis est (*a*).

(*a*) I. Tim. c. 6., II. Tim. 1., Tit. II., Math. 5. 16.

O. A. M. D. G. B. V. M. S. F. H.



ERRATA | CORRIGE

pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
36	25	(*b*) Christi	(*b*) anno Christi
39	36	mitescerunt	mitescerent
65	penult.	naturaram	naturarum
97	19	Orientalem	Orientale
108	17	an. 690	an. 590
114	7	Samblici	Jamblici
»	22	*Galilaleos*	*Galilaeos*
161	7	generationem	gratulatione
127	2	a tribnti	a tribntis
135	3	commemoratur	commemorsntur
157	33	hortatus	hortatur
160	18	damnatum	damnstam
182	21	taediis	tedis
195	39	domina	dominam
208	4	concordis	concordiae
234	22	numqusm	umquem
270	16	affixum	affixam
310	25	spparatos	apparatus
322	31	prsetexto	praetextu
329	30	adire aut haud	adire haud
337	21	1474	1274
354	11	erripiens	arripiens
355	23	ex grosso	ex rudi
»	40	qui anno circiter s carnibus, lacte, et omnibus ex coitu genitis sbstinerent 1170 subitanes	qui anno circiter 1160 subitanea
362	18	scandalo	scandala
363	36	schismate	schismati
365	6	Viclato	Viclefo
369	32	exercitium	exercitum
373	25	tale	totum
374	19	hunc	hinc
376	27	tantum	tanto
379	33	jecta	jacta
381	39	sgerrime	aegerrime
389	20	assumpta	Assumpta
390	14	vestigium	fastigium
393	19	praedicta	praedicata
416	33	Medsurus	Medaura
417	26	inter Anglos	inter et Anglos
»	33	exigendi	erigendi
429	5	Carmoniam	Harmoniam
»	35	Recchetti	Becchetti
440	19	Clarus	Clerus
450	25	ab	ob
455	7	Christianus	Christiani
464	6	1651	1551
468	39	Huc	Huic
470	30	1474	1574
471	32	iibertatem	libertatem

INDEX

INTRODUCTIO IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM NOVI TESTAMENTI.

§. 1. *Historiae ecclesiasticae notio et divisio* . . pag. 1
» 2. *Historiae ecclesiasticae utilitas* . . . . » 2
» 3. *Fontes historiae ecclesiasticae* . . . . » 3
» 4. *Praecipue testium dotes* . . . . » *ibi*
» 5. *Testium dexteritas aestimatur* . . . . » 4
» 6. *Aestimatur eorum sinceritas.* . . . . » 5
» 7. *Auxilia historica* . . . . » 6
» 8. *Regulae criticae* . . . . » 7
» 9. *Dotes historiae pragmaticae.* . . . . » *ibi*
» 10. *Ordo temporum et rerum observandus* . . . » 8
» 11. *Scriptores historiae eccl. primis 3 saec.* . . . » *ibi*
» 12. *Scriptores Graeci a saec. IV ad VII* . . . » 9
» 13. *Scriptores H. E. latini ejusdem aetatis* . . . » 10
» 14. *Scriptores H. E. medii aevi graeci* . . . . » *ibi*
» 15. *Scriptores ejusdem aevi latini* . . . . . . » *ibi*
» 16. *Scriptores H. E. aevi recentioris* . . . . . » 11

PERIODUS PRIMA

CAPUT I.

DE FUNDATIONE ET PROPAGATIONE ECCLESIAE CHRISTIANAE.

§. 1. *Status civilis populorum gentil.* . . . . . . » 13
» 2. *Status religiosus gentilium* . . . . » *ibi*
» 3. *Status civilis Judaeorum* . . . . » 16
» 4. *Status religiosus Judaeorum* . . . . » 17
» 5. *Status litterarum, in primis philosophiae* . . » 18
» 6. *Nativit. pucrit. et adolescent. J. Christi.* . . . » 19
» 7. *Christi baptismus* . . . . » 20
» 8. *Doctrina Christi theor. et pract.* . . . . . . » 21
» 9. *Rationes, quibus Christus probavit doctr. suae divinitatem* . . . . » 22
» 10. *Sacramenta a Christo instituta* . . . . . . » *ibi*
» 11. *Apostoli et discipuli Christi.* . . . . » 23
» 12. *Mors Christi* . . . . » *ibi*

§. 13. *Resurrectio Christi et Ascensio.* . . . . . pag. 24
» 14. *Initia muneris apostolici.* . . . . » 25
» 15. *Sauli conversio* . . . . » 26
» 16. *Apostolorum scripta et Symbolum.* . . . . . » 27
» 17. *Ecclesiae saec. I* . . . . » 28
» 18. *Ecclesiae saec. II et III* . . . . » 30
» 19. *Causae celeris propagat. Relig. Christianae.* . . » 32

CAPUT II.

DE FATIS ADVERSIS RILIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 1. *Persecutiones jud. in christianos* . . . . . . » 33
» 2. *Causae odii gentilium in christianos* . . . . » 34
» 3. *Impugnatores rel. christianae* . . . . » 35
» 4. *Persecutiones gent. in christianos saec. I et II* » 36
» 5. *Persecutiones gent. in christianos saec. III et IV ineunte.* . . . . » 39
» 6. *Martyres eorumq. acta et cultus* . . . . . . » 43

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE ET HIERARCHIA ECCL.

§. 1. *Potestas apostolorum* . . . . » 44
» 2. *Primatus S. Petri* . . . . » *ibi*
» 3. *Petri successor R. Pontifex.* . . . . » 45
» 4. *Doctores ab Apostolis instituti* . . . . . . » 46
» 5. *Eorum gradus.* . . . . » *ibi*
» 6. *Episcoporum potestas. Metropolitani* . . . . » 47
» 7. *Diaconi et diaconissae* . . . . » *ibi*
» 8. *Ministri inferiores.* . . . . » 48
» 9. *Modus perveniendi ad dignit. eccl.* . . . . . » *ibi*

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Patris ecclesiae notio.* . . . . » 49
» 2. *Patres apostolici saec. I* . . . . » *ibi*
» 3. *Patres apostolici saec. II* . . . . » 50
» 4. *Ecclesiae patres et scriptores saec. II.* . . . . » *ibi*
» 5. *Ecclesiae patres et scriptores saec. III lat.* . . » 52
» 6. *Ecclesiae patres et scriptores saec. III graec* . » 53

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Fontes doctrinae catholicae* . . . . . . *pag.* 56
» 2. *Ex S. Script. et. tradit. SS. PP. dogma Religionis hauserunt* . . . . » 57
» 3. *De peccato origin. et de satisfactione per Jesum Christum praestita* . . . . » *ibi*
» 4. *De sacramentis* . . . . » 58
» 5. *De resurrectione corporum et de fatis animarum post mortem* . . . . » 59
» 6. *De Ecclesia fidissima verbi divini custode* . . » *ibi*
» 7. *Contraversia de legis mosaicae valore* . . . » 60
» 8. *Controversia de regno millenario* . . . . . » *ibi*
» 9. *Controversia de tempore celebrandi Paschat.* . » 62
» 10. *Controversia de baptismo haereticorum* . . . » *ibi*
» 11. *Modus docendi theologiam* . . . . » 63

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Notio haereseos et schismatis* . . . . . . » 64
» 2. *Gnostici* . . . . » 65
» 3. *Sistema commune* . . . . » *ibi*
» 4. *Gnostici judaizantes: Cerinthiani, Nazaraei, Ebionaei* . . . . » 67
» 5. *Gnostici eclectici. Simon Magus, Menander, Carpocrates ejusque filius Epiphanes* . . . . » 68
» 6. *Simonis errores* . . . . » 69
» 7. *Gnostici Aegyptii* . . . . » 70
» 8. *Gnostici Syrii* . . . . » 72
» 9. *Marcionitae* . . . . » 73
» 10. *Montanistae* . . . . » 74
» 11. *Antitrinitarii saec. II* . . . . » 75
» 12. *Antitrinitarii saec. III* . . . . » *ibi*
» 13. *Manichaei* . . . . » 77
» 14. *Manichaeorum doctrina, hierarchia et liturgia.* » *ibi*
» 15. *Schisma Novati et Felicissimi* . . . . . . » 79
» 16. *Schisma Novatiani* . . . . » 80

CAPUT VII.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS, MORIBUS CHRISTIANORUM ET DISCIPLINA ECCLESIAE.

§. 1. *Necessitas rituum* . . . . pag. 81
» 2. *Tempora et loca conventuum religiosorum* . . » 83
» 3. *Partes cultus divini* . . . . » *ibi*
» 4. *Baptismus* . . . . » 85
» 5. *Jejunia* . . . . » 86
» 6. *Mores christianorum religiosi* . . . . . . » 87
» 7. *Ascetae et Anachoretae* . . . . » 88
» 8. *Quorundam christianorum vitia et poenae ecclesiasticae* . . . . » 90
» 9. *Poenitentia publica* . . . . » 91
» 10. *Varii poenitentiae publ. actus ejusque rigor* . » 92
» 11. *Reconciliatio* . . . . » 93
» 12. *Poenitentiae minister* . . . . » 94

PERIODUS SECUNDA

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 1. *Status imperi romani* . . . . » 96
» 2. *Status litterarum* . . . . » 97
» 3. *Propagatio relig. christianae* . . . . » 98
» 4. *Conditio rei christianae post mortem Constantini* » 102
» 5. *Barbarae gentes fidem Christi recipiunt saec. IV* » 104
» 6. *Saeculo V et VI*. . . . . » 106
» 7. *Saeculo VII* . . . . » 109
» 8. *Saeculo VIII* . . . . » 111

CAPUT II.

DE FATIS ADVERSIS ECCLESIAE CHRISTIANAE.

§. 1. *Religio christiana impugnata a scriptoribus ethnicis* . . . . » 113
» 2. *Persecutio Juliana*. . . . . » 114
» 3. *Persecutiones christianorum in Persia* . . . » 115
» 4. *Persecutio arianorum maxime, et aliorum adversus catholicos*. . . . . » 116

§. 5. *Mohamedis ingenium et vita* . . . . . . *pag.* 118
» 6. *Legis ab eo traditae praecipua capita* . . . » 119
» 7. *Propagatio pseudo-religionis mohamed., causae celeris propagationis et schismata in ea orta.* . . » 121

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE, ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Origo patriarcharum.* . . . . » 123
» 2. *Numerus patriarcharum.* . . . . » *ibi*
» 3. *Cleri potestas et jura aucta* . . . . . . » 126
» 4. *Archipresbyteri et archidiaconi* . . . . . . » 127
» 5. *Romani Pontificis auctoritas suprema* . . . . » 128
» 6. *Initia dominationis civilis RR. PP.* . . . . » 129
» 7. *Modus designandi ecclesiarum antistites* . . . » 132

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Scriptores graeci saec. IV* . . . . » 133
» 2. *Scriptores saec. IV latini* . . . . » 139
» 3. *Scriptores saec. V graeci* . . . . » 145
» 4. *Scriptores latini saec. V.* . . . . » 146
» 5. *Scriptores graeci saec. VI* . . . . » 149
» 6. *Scriptores latini saec. VI* . . . . » *ibi*
» 7. *Scriptores saec. VII graeci* . . . . » 152
» 8. *Scriptores saec. VII latini.* . . . . » 153
» 9. *Scriptores graeci saec. VIII* . . . . » 154
» 10. *Scriptores saec. VIII latini* . . . . » 155

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Religionis norma a christianis agnita* . . . . » 157
» 2. *Doctrina de mysterio SS. Trinitatis.* . . . . » 158
» 3. *De peccato originali et gratia Dei* . . . . . » 159
» 4. *De Sacramentis N. T.* . . . . » 160
» 5. *Doctrinae catholicae reliqua capita* . . . . . » 162
» 6. *Methodus tradendi theologiam* . . . . » 163

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Haereses saec. IV — Arius* . . . . . pag. 165
» 2. *Concilium nicaenum, generale I* . . . . . » 166
» 3. *Arianismi progressus et exitus*. . . . . . » 167
» 4. *Photinus*. . . . . » 170
» 5. *Macedonius*. . . . . » *ibi*
» 6. *Conc. constantinopolitanum I gen. II* . . . » 171
» 7. *Apollinaris* . . . . » 172
» 8. *Audius sive Audaeus*. . . . . » *ibi*
» 9. *Priscillianus* . . . . » 173
» 10. *Jovinianus, Aerius, Helvidius, Vigilantius* . . » 174
» 11. *Collyridiani, messaliani* . . . . » 175
» 12. *Haereses saec. V et VI Pelagiani* . . . . » *ibi*
» 13. *Alia concilia particularia in causa pelagianorum celebrata* . . . . » 176
» 14. *Pelagianorum errores* . . . . » 177
» 15. *Semipelagiani* . . . . » 178
» 16. *Eorum errores*. . . . . » 179
» 17. *Praedestinatiani* . . . . » 180
» 18. *Nestoriani* . . . . » *ibi*
» 19. *Acta S. Cyrilli Episcopi Alex. contra Nestor*. » 181
» 20. *Concilium ephesin. generale III* . . . . . » *ibi*
» 21. *Nestorianorum reliquiae*. . . . . » 183
» 22. *Eutychiani* . . . . » *ibi*
» 23. *Latrocinium Ephesinum* . . . . » 184
» 24. *Concilium chalced. generale IV* . . . . . » *ibi*
» 25. *Eutychianorum post conc. turbae*. . . . . » 185
» 26. *Henoticon Zenonis*. . . . . » 186
» 27. *Sectae ex eutychianismo ortae*. . . . . . » 187
» 28. *Lites Origenianae*. . . . . » 188
» 29. *Controversia de tribus Capitulis* . . . . . » 189
» 30. *Dissidia inde exorta* . . . . » 190
» 31. *Concilium constantinopolitan. II generale V* . » *ibi*
» 32. *Haereses saec. VII et VIII, monothelitae* . . » 191
» 33. *Ectesis Heraclii* . . . . » 192
» 34. *Typus Constantis* . . . . » 193
» 35. *Concil. constantinopolitan. III generale VI* . » 194
» 36. *Sinodus trullana. Maronitae* . . . . . . » *ibi*
» 37. *Adoptiani* . . . . » 195
» 38. *Adalbertus et Clemens* . . . . » *ibi*
» 39. *Iconomachi, seu SS. Imaginum impugnat.* . . » 196
» 40. *Conc. nicaenum II generale VII* . . . . . » 198
» 41. *Schisma meletianum* . . . . » 199

§. 42. *Schisma antiochenum.* . . . . pag. 199
» 43. *Schisma Luciferi calaritani.* . . . . » 200
» 44. *Schisma donatistarum* . . . . » 201
» 45. *Collatio carthaginensis* . . . . » 202
» 46. *Donatistarum haeresis* . . . . » 204

CAPUT VII.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS, MORIBUS CHRISTIANOR. ET DISCIPLINA ECCLESIAE.

§. 1. *Ritus aucti* . . . . » *ibi*
» 2. *Dies festi, eorumque celebratio.* . . . . . . » 205
» 3. *Sacrorum conventuum ratio* . . . . » *ibi*
» 4. *Baptismus et confirmatio* . . . . » 206
» 5. *Sacra coena* . . . . » 207
» 6. *Jejunium* . . . . » 208
» 7. *Coelibatus clericorum* . . . . » 209
» 8. *Mores christianorum.* . . . . » 210
» 9. *Origo monachorum in Oriente.* . . . . . . » 211
» 10. *In Occidente* . . . . » 212
» 11. *Monachorum incrementum* . . . . » 213
» 12. *Varia monachorum genera.* . . . . » 214
» 13. *Virgines sacrae* . . . . » 215
» 14. *Canonici.* . . . . » *ibi*
» 15. *Disciplina poenitentialis* . . . . » 216
» 16. *Relaxatio disciplinae poenitentialis* . . . . . » 217
» 17. *Peccata publicae poenitentiae obnoxia* . . . . » 218
» 18. *Confessio.* . . . . » 219

PERIODUS TERTIA

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 1. *Status imperii romani* . . . . » 220
» 2. *Status litterarum* . . . . » 222
» 3. *Propagatio relig. christianae* . . . . » 224

CAPUT II.

FATA CHRISTIANAE RELIGIONI ADVERSA.

§. 1. *Persecutio saracenorum* . . . . » 229
» 2. *Persecutio normannorum.* . . . . » *ibi*

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Cleri auctoritas* . . . . *pag*. 230
» 2. *Auctoritas romani pontificis* . . . . » 231
» 3. *Imperatorum interventio in rebus romanae ecclesiae pontificatum attinentibus* . . . . » 232
» 4. *Animadversio* . . . . » 234
» 5. *Commentum de Joanna papissa* . . . . . . » 235
» 6. *Modus perveniendi ad dignitates eccl.* . . . . » 236

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Scriptores saec. IX graeci* . . . . » 237
» 2. *Scriptores saec. IX latini* . . . . » 238
» 3. *Scriptores graeci saec. X* . . . . » 240
» 4. *Scriptores latini saec. X* . . . . » *ibi*
» 5. *Scriptores graeci saec. XI* . . . . » 241
» 6. *Scriptores latini saec. XI* . . . . » 242

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Praecipua capita doctrinae catholicae* . . . » 243
» 2. *Controversia de modo praes. corp. et sang. Christi in Eucharistia* . . . . » *ibi*
» 3. *Berengarius*. . . . . » 244
» 4. *Controversia de praedestinatione* . . . . . » 246
» 5. *Controversia de processione Spiritus S.* . . . » 247
» 6. *Status theologiae* . . . . » 248

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Iconomachi* . . . . » 249
» 2. *Occidentalium in causa imaginum gesta*. . . » 250
» 3. *Pauliciani in Oriente*. . . . . » 251
» 4. *Haereses saec. X et XI*. . . . . » 252
» 5. *Haeretici aurelianenses* . . . . » *ibi*

§. 6. *Schisma inter graecos et latinos* . . . . pag. 253
» 7. *Conc. costantinopolitan. IV generale VIII.* . » 255
» 8. *Schisma sopitur* . . . . » 256
» 9. *Schisma resuscitatur* . . . . » 258

CAPUT VII.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS, MORIBUS CHRISTIANORUM ET DISCIPLINA ECCLESIAE.

§. 1. *Ritus sacri* . . . . » 259
» 2. *Festa* . . . . » 260
» 3. *Mores christianorum* . . . . » 261
» 4. *Monachi*. . . . . » 262
» 5. *Canonici*. . . . . » 263
» 6. *Disciplina ecclesiastica* . . . . » 264

PERIODUS QUARTA

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 1. *Status civilis utriusque imperii*. . . . . . » 266
» 2. *Status litterarum* . . . . » 267
» 3. *Causae promotorum studiorum*. . . . . . » 268
» 4. *Expeditiones cruciatae in Orientem* . . . . » 269
» 5. *Expeditio I*. . . . . » 270
» 6. *Expeditio II* . . . . » 271
» 7. *Expeditio III* . . . . » 272
» 8. *Expeditio IV* . . . . » 273
» 9. *Expeditio V* . . . . » 274
» 10. *Expeditio VI* . . . . » *ibi*
» 11. *Expeditio VII*. . . . . » 275
» 12. *Causae sinistri eventus expeditionum cruc.* . . » 276
» 13. *Expeditionum cruc. effectus*. . . . . . . » *ibi*
» 14. *Ordines equestres. Ordo equitum S. Joan.*. . » 278
» 15. *Ordo equitum templariorum* . . . . . . » 279
» 16. *Ordo equitum teutonicorum*. . . . . . . » 280
» 17. *Fata reliqua religionis christianae in Oriente* . » 281
» 18. *Propagatio relig. christ. in Europa* . . . . » 282
» 19. *Religio christiana per alias mundi partes translata* . . . . » 285

CAPUT II.

FATA ADVERSA ECCLESIAE CHRISTIANAE.

§. 1. *Persecutio christianorum in Oriente* . . . . » 286
» 2. *Persecutiones christianorum in Occidente* . . » 288

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Pontificatus S. Gregorii VII* . . . . . . » 289
» 2. *S. Gregorii VII dissidia cum Henrico IV.* . » 290
» 3. *Henricus absolvitur ab excommunicatione et redit ad comitum* . . . . » 292
» 4. *Crisis in gesta S. Gregorii VII* . . . . . » 294
» 5. *Dissidia de investituris continuata*. . . . . » 295
» 6. *Concilium lateran. I generale IX*. . . . . » 297
» 7. *Schisma Anacleti II* . . . . » 298
» 8. *Concilium lateranense II generale X*. . . . » *ibi*
» 9. *Dissidia inter Fridericum I. et RR. PP. saec. XII* » 299
» 10. *Concilium lateran. III generale XI*. . . . » 302
» 11. *Dissidium S. Thomae Cantuariensis cum Henrico II Angliae rege*. . . . . » *ibi*
» 12. *Dissidia inter sacerdotium et imperium sub Coelestino III R.P.* . . . . » 304
» 13. *Innocentius III* . . . . » 306
» 14. *Simultas. Innocent. III cum Joan. Angliae rege sine terra nuncupato* . . . . » 307
» 15. *Dissidium ejusdem pontif. cum Othone IV Imp.* . » 308
» 16. *Concilium lateran. IV generale XII.* . . . . » 309
» 17. *Simultates Honorii III et Gregor. IX cum Friderico II*. . . . . » 310
» 18. *Conc. lugdunense I generale XIII* . . . . » 311
» 19. *Gregorius X et Rudolphus Habsburgicus* . . » 313
» 20. *Conc. lugd. II generale XIV*. . . . . . . » *ibi*
» 21. *Alii pontifices saec. XIII* . . . . » 315
» 22. *Controversia Bonif. VIII cum Philippo Pulchro* » 316
» 23. *Sedes pontificia Avenionem translata*. . . . » 318
» 24. *Conc. viennense generale XV* . . . . . . » 319
» 25. *Dissidium Joann. XXII cum Ludov. Bavaro.* » 320
» 26. *Magnum schisma pontificium seu Occidentale* . » 322
» 27. *Concilium pisanum* . . . . » 324
» 28. *Schisma continuatur* . . . . » 325
» 29. *Concilium constantiense* . . . . » 326

§. 30. *Concilium basileense* . . . . pag. 329
» 31. *Conc. ferrariense seu Florentinum* . . . . » 331
» 32. *Concordatum nationis Germanicae cum Sede Apostolica* . . . . » 332
» 33. *Sanctio pragmatica in Gallia* . . . . . . » 333
» 34. *Simultas inter Julium II P. et Ludov. XII Galliae regem* . . . . » 334
» 35. *Conc. lateranense V* . . . . » 335
» 36. *Modus perveniendi ad dignitates ecclesiasticas* . » 337

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Scriptores graeci saec. XI et XII* . . . . » 338
» 2. *Scriptores latini saec. XI et XII* . . . . » *ibi*
» 3. *Scriptores graeci XIII XIV XV* . . . . » 340
» 4. *Scriptores latini saec. XIII* . . . . . . » 341
» 5. *Scriptores latini saec. XIV* . . . . » 344
» 6. *Scriptores latini saec. XV* . . . . » 345

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Ejus capita praecipua* . . . . » *ibi*
» 2. *Controversia de immaculata Conceptione B. V. Mariae* . . . . » 347
» 3. *Aliae controversiae theologicae. Abaelardus* . . » 348
» 4. *Gilbertus Porretanus. Roscellinus.* . . . . » 349
» 5. *Methodus tradendi theologiam* . . . . . . » 351

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS.

§. 1. *Manichaei recentiores.* . . . . » *ibi*
» 2. *Petrobusiani, Henriciani* . . . . » 352
» 3. *Arnaldistae, Tancheliani* . . . . » 353
» 4. *Eudo de Stella seu Eon, apostolici* . . . . » 354
» 5. *Valdenses* . . . . » 355
» 6. *Albigenses* . . . . » 357
» 7. *Sacra inquisitio* . . . . » 359
» 8. *Joachitae* . . . . » 360
» 9. *Stadingi* . . . . » 361
» 10. *Fratres et Sorores liberi spiritus* . . . . . » *ibi*
» 11. *Fraticelli* . . . . » 362

§. 11. *Flagellantes*. . . . . pag. 364
» 12. *Viclefitae* . . . . » 365
» 13. *Hussitae*. . . . . » 366
» 14. *Ejus errores* . . . . » 368
» 15. *Hussitarum sectae et gesta* . . . . » 369

CAPUT VII.

DE RITIBUS ECCLESIASTICIS, MORIBUS CHRISTIANORUM ET DISCIPLINA ECCL.

§. 1. *Ritus aucti*. . . . . » 371
» 2. *Mores christianorum*. . . . . » 373
» 3. *Monachi carthusiani, cistercienses*. . . . . . » 375
» 4. *Praemonstratenses*. . . . . » 376
» 5. *Ordo SS. Trinitatis de redemptione captivorum*. » *ibi*.
» 6. *Ordo Servitarum*. . . . . » 377
» 7. *Origo Ordinum mendicantium*. . . . . . . » 378
» 8. *Dominicani*. . . . . » *ibi*
» 9. *Franciscani*. . . . . » 379
» 10. *Carmelitae* . . . . » 380
» 11. *Augustiniani* . . . . » 381
» 12. *Eorum privilegia et lites*. . . . . » *ibi*
» 13. *Disciplina poenitentialis* . . . . » 382

PERIODUS QUINTA

CAPUT I.

DE PROPAGATIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE.

§. 1. *Status civilis Europae*. . . . . » 384
» 2. *Status litterarum* . . . . » 386
» 3. *Propagatio religionis*. . . . . » *ibi*
» 4. *In imperio Sinensi* . . . . » 388
» 5. *In Paraguaja* . . . . » 389
» 6. *In regno Medaurensi*. . . . . » 490
» 7. *In India posteriori* . . . . » 391
» 8. *In America*. . . . . » *ibi*
» 9. *In Africa* . . . . » 393
« 10. *In Australia* . . . . » *ibi*
» 11. *Instituta ad relig. cath. propagandam* . . . . » 394

CAPUT II.

FATA ADVERSA ECCLESIAE CHRISTIANAE.

§. 1. *Religio J. Christi impugnata in Italia* . . pag. 395
» 2. *Impugnatores rel. christianae in Gallia*. . . » *ibi*
» 3. *Conjuratio erumpit in Gallia* . . . . . . » 397
» 4. *Eversio religionis* . . . . » 398
» 5. *Status rel. sub directoribus*. . . . . . . » 400
» 6. *Sedis Apostolicae suppressio*. . . . . . . » 401
» 7. *Ejusdem restitutio*. . . . . » *ibi*
» 8. *Restauratio ecclesiae cath. in Gallia*. . . . » 402
» 9. *Napoleon Imp. coronatus Pium VII dominatione temporali privat et in captivitatem abducit* . » 403
» 10. *Conc. Parisiense* . . . . » 404
» 11. *Pius VII suae sedi restituitur*. . . . . . » 405
» 12. *Status relig. in Gallia sub reg. Ludovico XVIII etc*. 406
» 13. *Hostes relig. in Anglia* . . . . » 408
» 14. *Hostes relig. in Germania* . . . . » 409
» 15. *Tristis ecclesiae germanicae conditio* . . . . » 410
» 16. *Status rel. in Helvetia et Batavia* . . . . . » *ibi*
» 17. *In Dania, Suevia, Polonia et Russia* . . . » 411
» 18. *In Hispania et Lusitania* . . . . » 412
» 19. *Media ad irreligionem propagandam adhibita*. » 413
» 20. *Arcanae societates*. . . . . » *ibi*
» 21. *Persecutores relig. christianae in Japponia*. . » 414
» 22. *Lites de ritibus sinensibus* . . . . » 415
» 23. *Persecutores relig. christianae in Sina* . . . » 416
» 24. *Persecutiones contra christianos excitatae in India posteriori* . . . . » *ibi*

CAPUT III.

DE GUBERNATIONE ECCLESIAE ET HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

§. 1. *Episcoporum potestas*. . . . . » 417
» 2. *Conamina Episcoporum potestatem suam amplian-di* . . . . » 418
» 3. *Facultates quinquennales* . . . . » 419
» 4. *Patriarchae latini*. . . . . » 420
» 5. *Auctoritas R. Pontificis*. . . . . » *ibi*
» 6. *Immunitas ecclesiastica* . . . . » 421
» 7. *Dissidium inter Paulum V et rempublicam Venetam*. . . . . » 422

§. 8. *Dissidium inter Ludovicum XIV Galliae regem et Innocent. XI R. P.* . . . . pag. 422
» 9. *Dissidium inter Clementem XIII et ducem Parmensem* . . . . » 423
» 10. *Reformationes in republica Veneta et Austria susceptae*. . . . . » ibi
» 11. *Reformationes in Hetruria* . . . . » 424
» 12. *Methodus perveniendi ad dignit. eccl.* . . . . » 426

CAPUT IV.

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

§. 1. *Scriptores latini saec. XVI.* . . . . » ibi
» 2. *Scriptores latini saec. XVII* . . . . » 427
» 3. *Sriptores latini saec. XVIII* . . . . » 429
» 4. *Scriptores latini saec. XIX* . . . . » 431

CAPUT V.

DE DOCTRINA CATHOLICORUM.

§. 1. *Ejus capita praecipua* . . . . » 432
» 2. *Controversia Bajana*. . . . . » ibi
» 3. *Controversia Molinistica*. . . . . » 433
» 4. *Controversia Jansenistica* . . . . » 434
» 5. *Controversia Quesnelliana* . . . . » 437
» 6. *Lites inde exortae*. . . . . » 438
» 7. *Appellantium fraudes*. . . . . » ibi
» 8. *Schisma Ultrajectense* . . . . » 440
» 9. *Fata bullae unigenitus in Terris Aust.* . . . . » ibi
» 10. *Controversia quietistica* . . . . » 441
» 11. *Controversia casuistarum, probabilistarum, et probabilioristarum* . . . . » 442
» 12. *Controversia Hermesianorum* . . . . » ibi
» 13. *Methodus tradendi theologiam* . . . . » 443

CAPUT VI.

DE HAERESIBUS ET SCHISMATIBUS.

§. 1. *Lutherus*. . . . . » 444
» 2. *Lutherus a Pontifice excommunicatur*. . . . . » 445
» 3. *Decreto Vormatiensi proscribitur* . . . . . . » 446
» 4. *Comitia Norimbergensia*. . . . . » 447

§. 5. *Bellum rusticorum et dissidia inter Novatores de Eucharistia* . . . . pag. 447
» 6. *Diffusio Lutheranismi. Comitia Spirensia et Augustana* . . . . » 448
» 7. *Foedus Smalcaldicum et pax Norimbergensis* . » 450
» 8. *Articuli Smalmaldici* . . . . » *ibi*
» 9. *Conamina Protestantes ad ordinem redigendi* . » 451
» 10. *Concilium Tridentinum* . . . . » *ibi*
» 11. *Propagatio Lutheranismi extra Germaniam* . » 454
» 12. *Religionis vicissitudines in Austria, Styria, Carinthia et Carniolia* . . . . » 455
» 13. *Bellum tricennale* . . . . » 456
» 14. *Pax Westphalica* . . . . » 457
» 15. *Errores Lutheranorum* . . . . » 458
» 16. *Sectae inter Lutheranos exortae* . . . . . » 459
» 17. *Herrenhuthani* . . . . » *ibi*
» 18. *Anabaptistae* . . . . » 460
» 19. *Zuingliani* . . . . » 462
» 20. *Calvinistae* . . . . » *ibi*
» 21. *Turbae a Calvinistis excitatae in Gallia* . . » 464
» 22. *Bella inter Hugonottas et Catholicos sub rege Carolo IX* . . . . » 465
» 23. *Sub Henrico III edictum Nannetense* . . . » 466
» 24. *Novationes religiosae in Belgio* . . . . . » 467
» 25. *Arminiani et Gomarristae* . . . . » 468
» 26. *Unitarii* . . . . » 469
» 27. *Sociniani* . . . . » 470
» 28. *Schisma Anglicanum* . . . . » 471
» 29. *Status Relig. in Anglia sub Eduardo VI* . » 473
» 30. *Sub Maria* . . . . » 474
» 31. *Sub Elisabetha* . . . . » 475
» 32. *Dissidia in Anglia exorta* . . . . » 476
» 33. *Protestantismus in Scotia et Hibernia* . . . » 478
» 34. *Quakeri* . . . . » 479
» 35. *Eorum constitutio , cultus, mores et propagatio* » 480
» 36. *Swedenborgiani. Sansimonistae* . . . . . . » 481
» 37. *Mulieres fanaticae* . . . . » 483
» 38. *Causae celeris propagationis innovationum religiosarum* . . . . » 484
» 39. *Effectus reformationis sacrorum* . . . . . » 485

CAPUT VII.

DE RITIBUS, MORIBUS ET DISCIPLINA ECCLESIAE J. CHRISTI.

§. 1. *Nova festa* . . . . pag. 486
» 2. *Mores Christianorum* . . . . » 487
» 3. *Reformationes Monachorum, Maurini, Trappistae, Cappuccini etc. Augustiniani, Carmelitae discalceati* . . . . » ibi
» 4. *Novi Ordines religiosi, Theatini, Barnabitae, Sommascenses* . . . . » 491
» 5. *Jesuitae*. . . . . » 492
» 6. *Fratres misericordiae, Patres Oratorii, Piaristae, Redemptoristae, de Poenitentia* . . . . . . » 494
» 7. *Sors ordinum equestrium* . . . . » 496
» 8. *Moniales* . . . . » ibi
» 9. *Disciplina poenitentialis*. . . . . » 498
» 10. *Conclusio* . . . . » ibi

NIHIL OBSTAT

Fr. Antonius M. ab Arignano Theologus Deputatus.

NIHIL OBSTAT

Fr. Josephus a Bosco-mari Ord. Min. Ref. Censor Theol. Dep.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. SS. Pal. Apost. Magister.


IMPRIMATUR

F. L. Ligi Archiep. Iconii Vicesg.

tot sordibus semper purior et splendidior prodiit, et post 369 lustra in praeliis Domini transacta, venerabilem frontem nobilibus cicatricibus exornatam suis adversariis tabescentibus et pereuntibus ostendit. Haec, qualia in nullius alterius instituti vel civitatis historia occurrunt, evidenter demonstrant Salvatoris divini promissionem: « portae inferi non praevalebunt adversus eam » non fallere. Ecclesia catholica non solum usque ad consummationem saeculorum perdurabit, verum etiam in diem magis dilatabitur et vegetior evadet dummodo nos qui in sortem Domini vocati sumus depositum custodiamus, devitantes profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt, vigilemus, in omnibus laboremus, opus faciamus Evangelistae, ministerium nostrum impleamus, praedicemus verbum, instemus opportune, importune, arguamus, obsecremus, increpemus in omni patientia et doctrina, in omnibus nosmetipsos praebeamus exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, et gravitate, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Sic luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera nostra bona, et glorificent patrem nostrum, qui in coelis est (*a*).

(*a*) I. Tim. c. 6., II. Tim. 1., Tit. II., Math. 5. 16.

O. A. M. D. G. B. V. M. S. F. H.



Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
		Praefatio lin. 10 *affluxisset*	*effluxisset*
4	28	eonstat	eonstet
»	36	ea	ex
5	40	oxiopistia	axiopistia
»	12	judieia	indieia
6	19	eontradictls	contradietio
7	6	eonstat	eonstet
»	21	censetur	censetur liber
8	5	eomparandas	eomponendas
»	22	1820-1844	1820-1846
10	26	Zonarem	Zonaram
11	17	Lekoviensem	Lexoviensem
12	1	(du Rin)	(du Pin)
14	36	eaepus	eaepas
16	10	peperat	pepererit
»	13	despenderunt	desponderunt
»	17	eonjungeruut	eonjugerent
18	33	υλγυ	ὕλγυ
19	29	שֶׁעַ	יֵשֶׁעַ
26	18	Sacerdotibus	a Sacerdotibus
30	38	Indos	ad Indos
31	7	Trigenes	Origenes
»	19	Ecelesia	Ecclesiae
»	25	Trophinum	Trophimum
»	35	Euebarium	Euebarium
34	10	et	at
«	34	eopnlata	copulatae
30	24	Christi 64	anno Christi 64
36	29	Christianos	ad Christianos
37	27	Cleopha	Cleophae
39	1	Guados	Quados
»	33	miteseerunt	miteseerent
43	38	alios	alias
44	1	referebatur	referebantur
»		Cap. III. De gubernatione Ecelesiae et Hierarehiae Ecelesiastieae	De gubernatione Ecelesiae et Hierarehia eeelesiastica
46	15	Samoratenum	Samosatenum
50	24	supersunt	superest
51	40	Milsiades	Miltiades
52	9	sua	suo
»	26	Floreus	Florens
55	11	Neo-Gaesaraensis	Neo-Caesaraeensis
»	18	quem	quam
59	22	allnendas	abluendas
65	36	naturaram	naturam
66	1	ὑλν	ὕλγν

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
66	7	conglutinata	conglutinato
69	17	peperit	pepererit
70	1	Deponebant	Proponebant
»	37	superstitam	superstitem
72	19	animadverit	animaverit
74	31	Aeenomis	Æeonomis
76	3	Pentepolitana	Pentapolitana
79	21	quibus	a qnibus
»	31	imperium	in imperium
80	40	viam	vim
86	24	rediebant	redibant
87	26	*ξυρογαγιαν*	*ξυροφαγιαν*
92	31	eodem	eosdem
97	2	Deeius	Daja
»	19	Orientalem	Orientale
99	37	a Constantino	, Constantino
100	4	mann Osii	e mann Osii
102	20	Elenam	Elnam
»	26	estimabant	existimabant
103	22	visus	vivns
»	27	everteret	everterit
104	38	poena	poenam
»	27	Armanorum	Armaenorum
107	25	Osterhosium	Osterhofium
109	9	Aboraei	Æboraei
»	37	Araneos	Franeos
110	5	Gailonam	Geilanam
»	7	Gailonae	Geilanae
»	42	Laureasum	Laureaeum
»	»	Illyriam	Styriam
111	6	Cornntonsis	Carnotensia
112	19	Rotisbonensem	Ratisbonensem
113	25	Eunopius	Eunapins
114	7	Samblici	Jamblici
»	22	*Galibeos*	*Galilaeos*
116	8	generationem	veneratione
»	34	saevit	saeviit
118	25	Kadjieh	Kodijah
»	27	diligeretnr	deligeretnr
119	11	Vatrebam	Yatrebam
»	13	Hadstera	Hedschra
»	23	Carba	Caaba
122	23	Hegira	Hegirae
»	38	Muselmanorum	Mnsulmannorum
124	40	Guernm	Quereum
126	17	*κυθοκεγαλου*	*αύτοκεφαλου*
127	2	a tributi	a tributis

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
130	33	Himilrudam	Himiltrudem
131	24	oblegavit	ablegavit
135	3	commemoratur	commemorantur
136	6	Letajum	Letojum
»	8	et	ut
140	9	ad viam	ad iram
»	26	perpotitua	perpolitua
141	8	suaviornm	suaviorem
142	12	scripta	. Seripta
147	30	Homilia	Homiliae
148	1	Roma	Romae
153	9	praefulxit	praefulsit
156	23	eognitioni	eognitione
»	20	ostendat	osteutet
»	44	Fatouia et Faaouis	Tatouis et Jasouls
157	1	illis	illius
»	33	hortalus	hostatur
159	21	nulloa	nullus
160	18	demnatum	damuatam
164	40	Theologi	Theologia
167	26	fratre	a fratre
169	21	Couellio	eonsilio
»	33	divexerunt	divexarunt
»	44	reverterunt	reverterentur
170	6	Oratlaui	Gratiani
»	20	destitntum	destitutam
173	32	fuit	fit
176	22	Aralatensis et Agnensis	Arelatensis, et Aquénsia
180	34	prodiit	peperit
181	26	edideret	ediderit
182	21	taediis	taedis
»	44	eustodiendus	eustodiendos
183	16	venirent	venlret
»	26	, hano	. Hanc
184	2	eonflixit	eonfixit
185	28	Aluro	Æluro
186	1	praevaluerit	praevalnit
»	4	viciuia	viciua
»	16	γνοτις	ηνοτης
187	18	Acaetae	Aeaemetae
»	20	fuerint	fuerunt
»	36	Edissenus	Edessenus
188	37	Arabiae	Arabiee
»	1	Jaeobitae.	. Jaeobitae
»	15	obstuperet Eeelesiae	obstreperet Eeelesia
»	35	inservientibus	interveníentibus
189	3	detrusa	detrusae

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
189	18	solavit	volavit
193	21	a	e
195	35	domina	nomina
198	8	a viris	e vivis
»	10	Patriarcha	Patriarchae
»	34	Missis	missis
208	4	concordia	concordiae
»	7	sancta	sancte
209	31	conversi	reversi
211	1	colligi	collisi
»	8	fuerat	fuerit
212	2	Sutis	Scetis
214	34	curarunt	curarent
215	8	heae	hae
»	15	, sacrarum	. Sacrarum
»	27	Toronensi	Turonensi
216	38	Latejum	Letojum
218	12	rigore	vigore
»	34	in perpetuo	in perpetuum
219	17	aperiant	aperiunt
220	6	1070	1073
222	12	Psalus	Pselus
»	18	excepta	excerpta
»	29	Cusae	Cufae
»	30	Beasoreae	Besarae
224	14	Tutiae	Jutiae
»	15	Haraldus	Heroldus
»	28	Tutia	Jutia
»	34	incurrente	incurrentes
»	41	Badimirum	Budimirum
225	29	Moyncinum	Moymirum
226	34	Jaroolaus	Jaroslaus
233	22	Adalbertus	Adalberto
»	41	restituerunt	restituerent
234	22	nunquam	unguem
235	14	e	a
»	30	Gamblacensis	Gemblacensis
236	34	appositus	oppositus
237	12	aligendi	eligendi
238	16	Angiae	Augiae
241	3	Rotherius	Ratherius
242	7	Iregnae	Treguae
243	28	hoc	hic
244	7	Rotramnus	Ratramnus
»	»	Rotherius	Ratherius
»	20	in Sacramenti	in Sacramento
245	40	vicinia	vicina

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
246	8	Fuldiensi	Fuldensi
»	33	Antiviralensis	Antivillarensis
247	3	adolitio	additio
248	4	nimis	nimiis
»	6	traditione	additione
258	39	Nicolas	Nicetas
259	11	Stratonium	Stratinium
263	7	hucque	hucusque
264	17	aliam	etiam
265	1	. . . .	nervos
266	12	Rodulphus	Rudolphus
»	15	Rodulphus	Rudolphus
267	1	detardati	retardati
»	2	tradebatur	traderetur
270	16	affixum	affixam
271	2	exercitu	exercitui
»	14	assaltu	assultu
»	25	Attabaeo Zangio	Attabeko Zengio
272	18	Anobardus	Ænobardus
274	32	Tolanta	Jolanta
277	27	assumpserat	absumpserat
278	40	Vitarbii	Viterbii
280	1	obsiderat	obsideret
»	32	Tauronii	Touronii
»	38	Magistratum	Magistrum
283	10	Lochansis	Lochensis
287	16	Tamerlon	Tamerlan
292	1	et Ecclesia susceptus	et Ecclesiae gremio susceptus
293	8	per quos	per quas
294	19	ut omni	in omni
295	6	firmissime	firmissima
296	44	Vormatia	Vormatiae
297	22	Roma	Romae
»	24	Lateranensi	Lateranensis
298	9	apposuerunt	opposuerunt
300	35	aliis	alios
302	13	28 canone	27 canone
304	28	poenitentia	poenitentis
305	30	percutit	perculit
307	37	impetrata	imperata
»	38	ira	irae
308	10	Longthonem	Langthonem
»	15	Bororum	Baronum
»	24	Saxonia	Saxoniae
»	20	Villelobachensi	Vittelsbachensi
309	28	Almorici	Almarici
310	2	Cantius	Centius

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
310	11	eolleetos	eollectas
»	21	Romanus	Romanae
»	23	apparatos	apparatus
»	37	resutnrum	resarcitorum
311	3	Roma	Romae
312	32	Conradis	Conradi
314	35	comınorari	commemorari
»	41	revocatum	renovatum
315	13	Hetruriae	Hetruria
»	18	in Italam	in Italiam
»	37	imo	uno
317	9	Apamensis	Appamiensis
318	1	irrumperunt	irruperunt
»	7	de Gotta	de Gotto
319	27	auxilium	auxilio
320	1	Psalmorum	Psalmi
321	2	fortuna	fortunae
»	30	—— Furnarius	Joannes Furnarius
»	32	Philippo	Philippi
322	2	Schivarzemburgico	Schwarzenburgico
»	4	eleetus a 1352 et sublatus e vivis a 1362 et Innocentii VI nomen assumpsit	qui Innocentii VI nomen assumpsit, et e vivis sublatus est a. 1362
»	18	mentis	mentio
»	31	praetexto	pretextu
323	4	estrenue	strenue
»	9	armisque	armis quoque
»	28	concilia	consilia
»	44	afferendae	offerendae
324	3	in eo	in eum
325	38	Gregorii XIII	Gregorii XII.
326	28	Joannem XXII	Joannem XXIII
»	30	juratim	jurato
327	29	intimarunt	intimarent
»	30	declararetur	declararet
»	45	Geidelburgae	Haidelbergae
329	38	aut	. . . .
330	20	permultae	permulta
»	23	Sanetorum	fatuorum
331	2	Ripoliae	Ripaliae
332	16	ineusserunt	inusserunt
333	19	Episcopalibus	Episcopatibus
»	29	1408	1438
334	36	eoneilio	consilio
335	3	foverent	faverent
336	3	Carvojal	Carvajal
»	8	Sessionis	Sessione

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
337	21	1474	1274
339	23	Canonem	Cononem
340	7	Blassensis	Blessensis
»	12	Alvarnia	Alvernia
»	18	Nicolas	Nicetas
341	32	Bibliorum	Bibliorum invenit
349	19	Varsgine	Vorsgine
343	25	Gennense	Genuense
348	35	optaveriut	aptaverint
352	1	optata	aptata
»	19	Figabeno	Zigabeno
354	12	arripien	arripiens
355	40	. . . . .	(delenda)
356	10	substrinxit	perstrinxit
»	34	turrineationes	thurificationes
359	7	augere	angeri
361	2	Inquisitiones	Inquisitores
»	23	Belgiam	Belgium
»	33	eum	cum
362	18	scandalo	scandala
363	4	edito	edita
»	36	schismate	schismati
»	37	qui	quia
364	11	et	at
»	21	praecepit	praecipit
365	6	Vielcto	Vielefo
366	39	fruerantur	fruerentur
367	2	Pragae	Praga
»	25	disperatae	desperatae
368	16	nniversalitas	universitas
»	26	vivat	vivit
»	33	sic virtus omnes	sic virtus vivificat omnes
369	23	in	ii
»	31	exercitium	exercitum
370	4	Rosum	Rasum
»	9	in Joannes	Joannis
»	18	Roso	Rsso
»	42	a	e
371	10	Bratislao	Uratislao
373	15	Perusium	Romam
»	24	taie	Iste
374	19	hunc	hinc
»	33	in . . .	in eo
375	30	Cabislonensi	Cabilonensi
376	7	Hanti	Xanti
»	22	Monstrè	montrè
378	24	coaptatus	cooptatus

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
378	27	tantum	tanto
»	32	ad S. Romanis	ad S. Romani
381	18	babeant	baberent
»	24	maxima	maxime
382	19	pertendere	portendere
383	9	seeura	seeure
384	15	eas	eos
387	16	Commarino	Commorino
»	40	Japponia	Japponiae
388	5	Siriam	Sinam
389	17	retinebantur	renitebantur
389	19	in urbe assumpta	in urbe Assumpta
»	14	vestigium	fastigium
390	20	admisserunt	admiserunt
»	35	ex eventu	eo eventu
392	7	Bioira	Bieira
»	33	perduxerunt	perducerent
393	18	praedieta	praedieata
394	11	Pompallier	Pompellier
»	26	vivas	vivea
395	2	tenebant	tendebant
396	5	Vigandus	Viandus
»	6	Badinus	Bodinus
»	9	a Sylvanestra	a Sylvaneeto
»	14	ministro	ministroa
397	35	eavere	severe
399	45	vooa	vora
401	5	quod	ut
402	12	Luneville	Lunevillae
403	24	dependerent	dependeant
404	26	libertati	libertate
406	8	detigerat	tetigerat
»	32	donationis	donationes
408	8	Hebertus	Herbertus
»	32	eognoscenda	eognoseendae
409	19	Hobbesii	Hobbesii proposuit
»	40	Ivanbiehl	Isembiebl
410	17	percurserunt	pereursarunt
411	2	Argovrensi	Argoviensi
»	4	Religionis	Religiosis
412	2	favet	favit
413	34	(philosophia)	(Philosophi)
415	12	probibendas	prohibendos
»	34	evocatus	eoaetus
416	3	Yong-isching	Yong-tsching
»	17	Ageodato	Adeodato
417	30	Medaurus	Medaura

Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
417	5	ammittere	omittere
»	22	belligerendo	belligerando
»	26	inter anglos	inter et Anglos
»	28	exigendi	erigendi
418	36	delectus	detectus
419	15	Nassaviae	Nassoviae
»	34	comminata	diminuta
»	35	inde . . . saeculo	inde a saeculo
421	12	valituros	valituras
424	17	in	ex
425	8	qua	quae
»	15	excommunicatis	excommunicatio
»	23	celebrentur	celebretur
427	31	Parisis	Parisiis
429	5	Carmoniam	Harmoniam
»	35	Recchetti	Becchetti
431	19	Pesthinensi . . .	Pesthinensi professor
»	28	Priesfingensis	Priesflingensis
»	29	Ombergensi	Ambergensi
»	40	civit	vivit
432	16	Ecclesia	Ecclesiam
433	1	gratia	gratuita
»	33	quam	quem
435	20	Cornel	Cornet
438	7	Huic	Hinc
»	24	etiam	aliam
439	18	physicis .	physicis, partim psychicis
440	19	Clarus	Clerus
»	31	et	ut
»	35	Brixiensem	Brixinensem
441	11	ita sit	ita fit
»	12	ut	et
442	18	Medino	Medina
443	21	Helvenio	Helvenie
445	11	Militz	Miltiz
»	23	a	e
»	30	praestitit	praestitnit
446	1	loco	loca
»	23	Badestein	Bodestein
»	37	Schrverzerd	Schwarzerdo
447	13	Norimberga	Norimbergae
»	32	Phaiterus	Phaiferus
450	25	ab	ob
451	32	agressus	adgressus
452	»	Albanao	Albonae
454	13	Corvinio	Corvino
»	31	Irettler	Ketteler



Pag.	linea	ERRATA	CORRIGE
454	31	Cnroniae qui	Cnroniae
455	7	Christianus II	Christiani II
456	7	aeqnalitate	aeqnitate
457	36	Ludovico	Ludovicus
460	11	eunt	sunt
462	34	Tarelio	Farelio
464	6	1651	1551
465	3	Espeneceus	Espaneaeus
»	13	ansam	arma
»	19	Fornaonm	Jornaenm
466	15	Pietavi	Pictavii
468	4	saevit	saeviit
»	26	exercere	carere
»	37	Ilue	Huio
469	2	proseqni	persequi
470	21	Pensilvaniae	Transilvaniae
»	22	Architeeti	Archiatri
»	30	1474	1574
471	26	totam	latam
»	32	ibertatem	libertatem
472	4	dispensante	. Dispensante
»	9	faveret	faceret
»	20	deferret	diferret
»	38	saevit	saeviit
»	41	Fisther	Fischer
474	25	regna	regno
475	4	reddit	edidit
»	16	incertis	incestis
477	11	Acansionensem	Aransionensem
478	22	Stnaro	Stnarto
480	19	mere	meri
482	31	theoretica	theoeratica
483	32	Lontheotte	Sontheotte
»	37	affringendo	effringendo
484	17	Vessehi	Vesselii
»	32	insecti	invecti
491	9	proeurandnm	proeurandam
492	12	ut	et
493	30	Regio	Regis
495	16	Paulo	Paula
»	22	Aichensi	Clichensi
»	22	Foygni	Joygni
496	7	Tribnrgensis	Friburgensis
»	24	Posaniensi	Posoniensi
497	7	vestibus	vestitns
»	31	Fidelii	Fidentii
498	1	diseiplinalem poenitentiam	disciplinam poenitentialem





